





IOANNIS LAVRENTII BERTI

FRATRIS EREMITAE AVGVSTINIANI

DISSERTATIONVM HISTORICARVM

QVAS HABVIT

IN ARCHIGYMNASIO PISANO

VOLVMEN II.

IN QVO TRIVM PRIORVM SAECVLORVM

ECCLESIASTICA HISTORIA

CONTINETVR.









FLORENTIAE MDCCLIII.

Apud ANDREAM BONDVCCIVM

PRAESIDVM ADPROBATIONE.





PROLOGVS.



Ditum typis Volumen primum noſtrarum Hiſtoricarum Lucubrationum huic Praefationis loco eſſe poteſt: de modo enim tradendae Eccleſiaſticae Hiſtoriae, huiusque utilitate praemiſimus orationem; & Chronologiae quoque rudimenta tyronibus neceſſaria, quantum poſtulare videbatur inſtituti noſtri ratio, tradidimus. Nunc vero quid ſit Eccleſiaſtica Hiſtoria, quid ea comprehendat, quid hoc Volumine contineatur, paucis exponimus. Hiſtoriam dici a Graeco verbo ἱστορέω, quod idem ſonat, ac *narro*, *ſcio*, *inquiro*, docent Vives lib. II. de Cauſis corruptarum artium, & Budaeus in Commentariis Linguae Graecae. Quare quidquid ſcite, graviterque explanatur, Hi-

ſtoriae argumentum haud incongrue vocari poteſt. Nam Theophraſtus, Plinius, Ariſtoteles, aliique diſquiſitionibus philoſophicis interdum Hiſtoriae tribuerunt appellationem, ita illas inſcribendo, *Hiſtoria Mundi*, *Hiſtoria Animalium*, *Hiſtoria Plantarum*. Preſſiori tamen ſignificatione uſurpatur Hiſtoriae nomen pro rerum geſtarum enarratione; unde Hiſtoria a Plutarcho, a Tullio, & ab Iſidoro definitur *Narratio rei geſtae*, ſive, *rerum praeteritarum expoſitio*. Eſt igitur Eccleſiaſtica Hiſtoria *rerum in Eccleſia geſtarum, & ad Eccleſiam pertinentium deſcriptio*.

Sunt qui inter Hiſtoriam, Annales, & Diaria, ſeu Ephemerides diſtinguendum eſſe contendunt, aſſerentes in Hiſtoria non tantum ea, quae geſta ſunt, dignaque exiſtimantur poſterorum memoria, videlicet, illuſtria admodum facta narrari, verum etiam illorum referri cauſſas, atque effectus: Annales quae ſingulis annis praeclare fiunt, vel contingunt, exponere temporum ratione ſervata; in Diariis autem acta diurna, quamvis illuſtria non ſint, recenſeri. De quo diſcrimine legi poteſt A. Gellius lib. v. Noct. Attic. cap. 18. Verum ea quaeſtione ad Grammaticos miſſa, nos quidquid praeteritarum rerum continet enarrationem, ad Hiſtoriam, ſaltem tanquam ſpecies ad genus, pertinere arbitramur.

Nomine Eccleſiae, de cuius Hiſtoria pertractamus, intelligimus, coetum congregationemque fidelium ſub eodem Capite, & cum eadem Sacramen-

mentorum participatione, cum eadem professione fidei, etsi in disciplina, ritibusque interdum discrepent pro temporum locorumque diversitate, viventium, deducto vocabulo ab ἐκκαλέω, idest, *evoco*, *convoco*: & communi praeterea sensu Ecclesia dicitur sacer ille locus, aut aedes, in quam ad exhibendum Numini cultum fideles conveniunt, ut constat ex Apostolo in priori ad Corinthios Epistola cap. XI. 18. Quamquam vero Ecclesiae nomen in propria illa, ac primo tradita significatione tribui possit etiam Synagogae Iudaeorum, necnon cuique credentium communioni, ideoque extiterit a mundi exordio; immo utriusque nominis, *Synagogae*, & *Ecclesiae*, eadem vis sit ac potestas, quippe συναγωγὴ est a συνάγω, *congrego*, *simul duco*: antonomastice tamen Ecclesiam appellamus coetum Christianorum, communionem servantium cum Romano Pontifice, vigilantissimo incorruptae Fidei, & Apostolicarum Traditionum custode, ac magistro. Huic enim, tanquam illius Ecclesiae Pastori, adversus quam portae inferi praevalere non possunt, concreditum est supremum regimen, universale magisterium, Fideique depositum. Quamobrem Ecclesiasticam Historiam eam dicimus, quae a Christi adventu, & a peractae Redemptionis tempore inchoatur, & perquirit, narratque Christianae Religionis originem, progessus, atque incrementa. Praecedentium vero temporum Historiam, sive rerum Ecclesiasticarum ad Synagogam spectantium expositionem, propteraquod

contineatur in sacris & canonicis Scripturis Veteris Testamenti, *Historiam Sacram* consuevimus appellare. Quo vocabulo si velimus insignire etiam Historiam Novi Testamenti, non eam tantum, quae comprehenditur in Libris Evangeliorum, Actibusque Apostolicis, cui nomen *Sacrae Historiae* congruere nemo unus inficiabitur, verum etiam praesentis Ecclesiae, ab Apostolorum aetate ad haec usque tempora deductae; non proinde abutemur proprietate verborum, siquidem Severus Sulpitius, *vir summus, & doctrina, ac sapientia pollens*, quemadmodum dicitur initio Chronici Alexandrini, necnon ab Augustino Epistola 205. editam a se Historiam, quam ab initio mundi protraxit usque ad Consulatum Stiliconis & Aureliani, nimirum usque ad annum Dionysianae, communisque Aerae quadringentesimam, *Historiae Sacrae* nomine inscripsit. At nimio frueremur otio, si diutius in significatione vocabulorum immoraremur.

Quum itaque Ecclesiastica Historia a Christo humani Generis Reparatore, & Ecclesiae, cuius nos membra sumus, Institutore & Sponso, sit inchoanda; ubi ad illam compendio tradendam animum applicuimus, praemittendam duximus de eiusdem Domini ac Redemptoris nostri narrationem historicam, eamque complexi sumus, cum in Isagogica Dissertatione, quae postrema est praecedentis Voluminis, tum fusiori stilo, & copia rerum uberiori, in *Historia Evangelica*, ante biennium auditoribus nostris explanata. Nunc vero methodo,

quam

quam in Prolusione innuimus, insistendo, principio aliquid operis impendere deliberavimus in definienda, & collustranda Chronologia Episcoporum Sanctae, & Catholicae Romanae Ecclesiae, quod hi teneant in Hierarchia principatum, sint Petri Apostolorum Principis successores veri, & legitimi, atque eiusdem Christi vices in terris gerant, actaque eorumdem summorum Antistitum describere, definitiones referre, & vindicare; nequaquam praetermissis, ubicunque exhibeatur occasio, sponte tamen sua, non vi, & obtorto collo producta, criticis & historicis animadversionibus. Praeterea de Conciliis, sive de conventibus Episcoporum, iis maxime qui Romani Pontificis nutu, & in re gravissima celebrati fuere, instituendam duximus orationem: inde enim Maiorum nostrorum documenta, vetus & nova disciplina, Fideique Orthodoxae dogmata deprehenduntur. Curabimus insuper portentosa haereticorum mendacia, & contra Evangelicam veritatem pugnantia commenta describere, breviterque refellere, perditorum illorum hominum vita, scriptis, moribusque propositis. Recensemus postea illustriora saltem monimenta Sanctorum Patrum, aliorumque Virorum, qui doctrina, librisque Christianam Religionem propugnarunt, & illustrarunt, eorumque litterarios foetus germanos & genuinos segregabimus a supposititiis ac spuriis. In exponendis demum Augustissimorum Principum, ac Tyrannorum, pro Ecclesia, vel contra Ecclesiam constitutionibus, divalibus, ac bene, vel male fa-

ctis,

ctis, simulque celebriorum Martyrum, aliorumque Sanctorum commemorandis certaminibus, ac virtutibus, aliquam impendemus diligentiam. Haec omnia, quantum ad tria priora Saecula spectat, in hoc secundo Volumine expedientur: eumdemque ordinem in iis, qui consequentur, servare curabimus. Ita Ecclesiam spectabimus in Capite, in membris, in toto corpore.

Quid utilitatis, quid commodi hinc percipere valeant adolescentes, Disciplinae Theologicae daturi operam, speramus fore ut eventus ipse commonstret. Neque enim solas Historiae institutiones, aut synopsim quamdam conscribimus, sed ulterius dogmata exponimus, & controversias ita inserimus, ut absque prolixitate verborum, & multiplicium argumentationum farragine, quae in Scholis contentiose agitantur, expedita hic, & enucleata habeantur, aut saltem sine fastidiosa repetitione revocentur ad lectoris memoriam. Atque hac de caussa *Dissertationum* potius *Historicarum*, quam *Ecclesiasticae Historiae* titulum hisce libris indidimus. Alibi sane quid emolumenti Historia adferat, enarravimus. Id unum addimus in praesentia, non alia ratione post obitum Conditoris Romanae Vrbis id negocii datum Pontificibus Maximis, ut eventus singulorum annorum mandarent litteris, quemadmodum testantur Tullius in II. de Oratore, Vopiscus in Vita Imperatoris Taciti, atque in III. Saturnalium Macrobius, nisi ut maiorum exemplis, dictis, factisque pulcerrimis mo-

mores civium honeste formarentur, & recte ac saluberrime administraretur respublica. Quod civili politiae illi existimaverunt perutile ac necessarium, conducere plurimum ad fidelium sanctitatem servandam ac promovendam Rectores Ecclesiae bene sapienterque noverunt. Colligendis idcirco Pontificum, & Synodorum Decretis, Actibus conscribendis, Martyrum passionibus, aliisque id genus in Ecclesiae tabulas referendis, sollertes, industriosque viros ab eiusdem Ecclesiae incunabulis praefecerunt. Illorum virorum monimenta quaedam perierunt; sed plura tamen servata sunt, & a Scriptoribus consignata posterorum memoriae, adeo, ut qui ea ignorant, non maiorum curam atque solicitudinem, sed negligentiam, torporemque suum culpare debeant, & condemnare.

Commemorare Scriptores illos videtur esse frustraneum: ac Bibliothecae, non Praefationis, foret id argumentum. Eos tantum, qui nobis symbolam contulerunt, laudare fas erit, grati animi caussa. Eusebio, Rufino, Socrati, Sozomeno, Theodorito, Evagrio, Cassiodoro primas deferendas esse partes neminem latet. Venerabili, & immortali Baronio, Bzovio, Rainaldo, Spondano, ii omnes, qui Ecclesiasticam condiderunt Historiam, plurimum se debere fatentur. Fleurius, Gravesonius, Vrsius, aliique recentiores facem nobis praebuerunt. Sunt alii, quibus in peculiaribus argumentis adhaerere studuimus, ut in Chronologicis Vsserio, Pagio, Norisio: in Romanorum

Pon-

Pontificum rebus gestis Pontificali Romano, & Anastasio notis variorum in postrema Vaticana editione illustrato; Platina, Panvinio, Papirio, Sandino, ceterisque penitus non neglectis. De Conciliis, praeter Binium, Surium, Coriolanum, suppetias nobis tulere Harduinus, Sirmondus, Labbeus, & Cossartius. Praestantissimo, doctissimoque Bellarmino, ceterisque pertractantibus de Scriptoribus Ecclesiasticis, addidimus Caveum, Dupinium, Oudinum, memores cuius religionis & voti fuerint primus ac tertius, & cuius critices alter. Romanorum Imperatorum leges, actaque ex profanis quoque Historiographis confirmavimus. Reliquos opportuno in loco non praetermittam silentio.

Dicturi sunt procul dubio qui aliena carpunt & rodunt, ac nostra praesertim opuscula genuino mordent, & discerpunt: Ecquid in tanta clarissimorum Auctorum copia Historiam typis vulgare? quisnam post Natalis Alexandri lucubrationes, post Iosephi Vrsii expolita gravissimaque scripta, post Tillemontii, Pagii, aliorumque notas exquisitissimas, istiusmodi breves ieiunasque disquisitiones perleget, ac pervolutare dignabitur? Quid in his novi occurret? quid incompertum, quid dignum obulo, vel teruncio?

Obtrectatoribus huius furfuris nihil aliud reponendum esse arbitramur, nisi nos, ut diximus paullo supra, adolescentibus operam locare nostram: ii, qui eruditiores sunt, ne arrigant nares, aut sto-

ſtomachentur, hinc manus, & oculos avertant. Si novi aliquid veritati adderemus; non hiſtoriis, ſed fabulis litaremus. Prolixe ab aliis conſcripta ſi in epitomen redegimus, non parum utique adlaboravimus: utiliora ſi elegimus, non fecimus iacturam temporis; ſi aut methodo, aut rerum excellentia, aut differendi arte alicui ſatisfecimus, id, quod nobis propoſitum fuerat, nos conſecutos fuiſſe confidimus. Non eos denique, qui omnia vellicant, ſed boni & aequi aeſtimatores, iudices, contemptis inſimulatoribus, reveremur. Hac etiam Praefatione, ſi alicui diſpliceat, omiſſa, nobiliorem ſubſtituimus, quam parvipendere nemo queat.

Eſt autem illa, quam Auctor ſecundi libri Machabaeorum a viceſimo quinto ad poſtremum verſum ſecundi capitis ſuo Canonico Operi attexuit. Exſcribere ipſam non pigeat. „ Conſiderantes enim, inquit, multitudinem librorum, & difficultatem volentibus aggredi narrationes Hiſtoriarum, propter multitudinem rerum, curavimus volentibus quidem legere, ut eſſet animi oblectatio: ſtudioſis vero, ut facilius poſsint memoriae commendare; omnibus autem legentibus utilitas conferatur. Et nobis quidem ipſis, qui hoc opus breviandi cauſa ſuſcepimus, non facilem laborem, imo vero negotium plenum vigiliarum, & ſudoris aſſumpſimus. Sicut hi, qui praeparant convivium, & quaerunt aliorum voluntati parere propter multorum gratiam, libenter laborem ſuſtinemus.

mus, Veritatem quidem de singulis auctoribus concedentes, ipsi autem secundum datam formam brevitati studentes. Sicut enim novae domus architecto de universa structura curandum est; ei vero, qui pingere curat, quae apta sunt ad ornatum: ita aestimandum est & in nobis. Etenim intellectum colligere, & ordinare sermonem, & curiosius partes singulas quasque disquirere, Historiae congruit auctori: brevitatem vero dictionis sectari, & executiones rerum vitare, brevianti concedendum est. Hinc ergo narrationem incipiemus: de Praefatione tantum dixisse sufficiat. Stultum etenim est ante Historiam affluere, in ipsa autem Historia succingi. „ Hactenus sacer, & Numine afflatus Historicus: cuius verba num apposite sint modo producta, alii viderint.

DISSERTATIONES HISTORICAE

QVAE

PRIMI CHRISTIANI SAECVLI

ECCLESIASTICAM HISTORIAM

COMPLECTVNTVR.

DISSERTATIO I.

DE ROMANAE VRBIS EPISCOPIS.

I. HI omnes, qui univerfim Sacras ediderunt Hiftorias, cum veteres, tum recentiores Scriptores, Romanorum quoque Pontificum res geftas, quae illarum Hiftoriarum haud exiguam partem comprehendunt, profecuti funt, & litteris confignarunt, Baronius, Spondanus, Pagius, Briettius, Alexander Natalis, Gravefonius, aliique fexcenti: item qui Haerefeon confcripferunt origines, errorumque portenta, ut Alphonfus a Caftro, Guido Perpinianus, Georgius Hernius, Dominicus Berninius: Infpectores etiam veterum Catalogorum, Schelestratius, Henfchenius, Blanchinius, Muratorius. At fingillatim in hoc argumento verfantur, Auctor Libri Pontificalis, quem tribuunt Damafo, & Diurni Romani a Mabillonio in Mufeo Italico illuftrati, Anaftafius Bibliothecarius in poftrema Romana editione locupletiffimis notis adauctus, Platina, Panvinus, Papirius, Ciacconius, ac poftrema aetate Burrius, Pagius alter, Sandinus. Hos tantum ex innumeris laudavi, quoniam & notiffimi funt, & ubique proftant, atque fingulorum teruntur manibus.

I. Quinam Auctores de Romanis Pontificibus pertractaverint.

II. Quoniam vero antiquitate ceteris praeftat Pontificale Romanum, quod, ut nuper dixi, tribuitur Damafo; referam de illius auctore varia Scriptorum clariffimorum iudicia. Adfcripferunt illud S. Damafo Ptolomaeus Lucenfis, Sabellicus, Platina, & Angelus Rocca. Vitas antiquiorum Pontificum ufque ad Liberium incerto attribuerunt auctori Caefar Card. Baronius, & Philippus Labbè: quidam Guilielmi Bibliothecarii, quidam Pandulphi, Oftiarii Lateranenfis, quidam denique Anaftafii fetum easdem Vitas dixere. Agunt hac de re Ioannes Ciampinus in Examine huius Libri, & Emmanuel Schelestratenus Tom. I. Antiq. Eccl. Difs. 3. Arbitramur nos eiusdem Operis non unum fuiffe auctorem. Enimvero Vitae Summorum Pontificum a Petro ufque ad Zachariam ex perantiquo Catalogo fuerunt exfcriptae: a Zacharia autem ufque ad Nicolaum I. diverfi Scriptores eorumdem Pontificum res geftas mandarunt litteris. Videtur Anaftafius praelaudati

II. De Auctore Libri Pontificalis.

dati Nicolai I. Benedicti III. Leonis IV. & Sergii II. Vitas elucubrasse. Quum itaque Liber Pontificalis sit ex variis Catalogis, Scriptorumque plurium monimentis consarcinatus, nequit certus eiusdem Operis auctor designari; ideoque illam loquendi rationem, *Quod tribuitur Damaso*, consulto adhibuimus.

III. Catalogi Romanorum Pontificum praestantiores quinam sint.

III. Ad seriem vero, aetatemque Summorum Pontificum recte stabiliendam, satis non est praedictum Pontificalem Librum pervolutare, nisi etiam cum vetustioribus Catalogis conferatur. Inter Catalogos insigniores connumerandus priori loco est editus a Bucherio, & iam a tempore Liberii exaratus, ut sentiunt praestantes viri, Petavius lib. v. Ration. Temp. cap. 5. & Emmanuel a Schelestrate praecitata Diss. 3. necnon Disput. 1. de Success. Roman. Pontificum Pearsonius, perperam reclamante Dodwello. Hunc autem Catalogum nonnulli Damaso adscripserunt, ex quibusdam supposititiis Epistolis ipsius Damasi, & Hieronymi, quas primo SS. Aprilis Volumini inseruit Henschenius; sed non haberi in iisdem Epistolis Damasi, & Hieronymi salivam censent viri naris emunctioris. Sequitur Catalogus editus eo loci ab Henschenio & Papebrochio ex autographo Bibliothecae Reginae Svecorum, conscriptus sexto Ecclesiae saeculo, ut fatetur Pearsonius praelaudata Differt. 3. de Succes. primorum Episcoporum Vrbis Romae cap. 12. Protrahitur autem Catalogus iste usque ad Felicem IV. qui obiit anno Aer. Vulg. 520. *Coss. Postumio & Oreste*. Sequuntur alii plures Vaticanae Bibliothecae Catalogi a Schelestrateno collecti in Append. tom. 1. Antiq. Eccl. necnon decem ab Antonio Pagio ante Apparatum Chronologicum ad Annales Baronii, & qui deprompti fuerunt ex Bibliothecis Regia Parisiensi, Colbertina, & Thuanea. Horum utique, quorum alios octingentorum, alios sexcentorum, aut plus, minusve, annorum commendat vetustas, & quos percelebres Viri aut probarunt, aut emendarunt, usum prae ceteris comprobamus: alios vero posteriori aetate consarcinatos, pluribusque mendis scatentes, omnino reiicimus.

IV. Regulae pro Catalogis Pontificum seligendis.

IV. Discrepantibus in supputatione annorum Catalogis superius commemoratis, atque hinc Pontificum Chronologia incerta prorsus, & varia admodum derivante, opus est ut regulae, quas subiiciam, sedulo & accurate attendantur. Prima regula haec sit: Vbi Pontificum Catalogi discordant invicem, aequum est, ut antiquiores praeferantur recentioribus, & qui a Latinis editi sunt maiori habeantur in praetio, quam Graece conscripti. Vt enim in iis, quae spectant ad Orientalem Ecclesiam, seriemque Alexandrinorum, aliorumque Orientis Patriarcharum, fatemur Graecos Scriptores praeferendos esse Latinis; ita ubi de Ecclesia Occidentali, atque de Romanorum Antistitum pertractatur Historia, Latinis potius, quam Graecis est adhaerendum. II. Catalogi, qui Romanae Ecclesiae traditioni, & communiori Historicorum computo inveniuntur concordes, maxime si pluribus, & exqui-

exquisitioribus cohaereant, reliquis sunt certo certius anteponendi. III. Quoniam ignorantia Consulatuum plurimos in Chronologia invexit errores, & firmiores sunt notae temporum ex inscriptione Romanorum Consulum repetendae, quam sint Arabicorum numerorum characteres: inter veteres Romanorum Pontificum Catalogos illi praestantiores sunt existimandi, qui praeferunt eorumdem Consulum nomina, modo tamen Consulatus, ut saepenumero accidit in Libro Pontificali, & quibusdam Catalogis, non sint ex propria sede divulsi, id, quod facile ex collatione Fastorum potest dignosci. IV. Magno demum in pretio habendi sunt ii Catalogi, qui in computo annorum nequaquam discrepant ab imaginibus Romanorum Pontificum depictis in Paulina Basilica via Ostiensi: quum ipsae imagines sint pervetustae, & doctiorum virorum iudicio exacta annorum praenotatione insignitae.

V.
De illustrioribus Chronicis, minus a Chronologia Pontificum aberrantibus.

V. Praeter commemoratos Catalogos alii extant fontes, unde haurire possimus legitimam seriem Romanorum Pontificum, & Chronotaxim exactiorem. Hos inter praecipuum tenent locum quae de iisdem Pontificibus litteris mandarunt S. Irenaeus, qui Romam advenit sedente Elauthero; Optatus Milevitanus, qui floruit sub Syricio; S. P. Augustinus, qui Romanos Pontifices enumeravit usque ad Anastasium; Victor Tunnensis, cuius Chronicum plurimum ab Isidoro commendatum edidit in Thesauro Temporum Ioseph Scaligerus, quod Chronicum extenditur usque ad obitum Iustiniani, idest, usque ad Annum 566. Post Victorianum sequitur Chronicum Eusebii latinitate donatum, suppletumque a Hieronymo. Huic tamen Chronico anni a Nativitate Domini manu inserti sunt aliena; quum rationem illam numerandi post Dionysium Exiguum Ecclesia coeperit usurpare. Protrahitur Eusebii Chronicon cum Additamento Hieronymi usque ad Consulatum Valentis VI. & Valentiniani, scilicet usque ad Annum 378. Sequitur Cronicon Prosperi editum a Philippo Labbè tom. I. Biblioth. MSS. atque extenditur usque ad obitum Valentiniani Augusti, & Romanae Vrbis devastationem factam a Genserico anno Aer. Chr. 455. Conscripsit & Chronicum aliud Marcellinus Comes, magnopere laudatum a Cassiodoro Lib. Divinarum Lectionum cap. 17. & complectitur Romanos Episcopos, qui in Apostolica Cathedra sederunt usque ad quartum Consulatum Imperatoris Iustiniani, nempe usque ad annum Christi 534. Quae vero ibidem sequuntur usque ad obitum eiusdem Imperatoris, aliena manu accessisse observarunt Iacobus Sirmondus, Wilelmus Cave, aliique. Permultas alias Chronicorum collectiones, quae ad hanc usque aetatem prodierunt, recensere haud exigui taedii, nullius autem foret utilitatis.

VI.
De priori Romanorum Pontificum successione.

VI. Perdifficile est Romanorum Pontificum, qui ab initio Christi gubernarunt Ecclesiam, seriem ex recensitis monumentis eruere. Etenim Augustinus epist. 165. & Optatus Milevitanus lib. II. contra Parmenianum inquiunt, *Petro succedit Linus, Lino Clemens, Clementi-*

menti Anacletus. At Irenaeus lib. III. Anacletum Clementi praemittit, scribens: *Petrus, Linus, Anacletus, Clemens, Evaristus, &c.* Similiter Epiphanius Haeresi 27. ubi tamen pro *Anacleto*, Cletum posuit: inquit enim, *Romanorum Pontificum ista successio est: Petrus & Paulus, Linus, ac Cletus, Clemens, Evaristus, &c.* Nonnulli Catalogi, inter quos concinnatus sub Liberio Papa, & Palatino - Vaticanus conscriptus aetate Caroli Magni, Cletum ab Anacleto distinguunt, quibus & cohaeret antiquus Auctor Carminis contra Marcionem inter Opera Tertulliani, cuius haec sunt verba:

Ex quibus electum, magnum, plebique probatum
Hac Cathedra, Petrus qua sederat ipse, locatum
Maxima Roma Linum, primum considere iussit:
Post quem Cletus & ipse gregem suscepit Ovilis.
Huius Anacletus successor sorte locatus,
Quem sequitur Clemens.

Hinc apparet quam perturbata sit, & incerta priorum Pontificum successio, ac series. Praemissis tamen regulis, aliisque monumentis, rectum ordinem assequemur: quamobrem affirmamus primo saeculo, quod protenditur usque ad annum tertium Imperatoris Traiani, Ecclesiam Christi gubernasse Sanctissimos Christi Vicarios, Petrum, Linum, Cletum, Clementem, & Anacletum.

VII. *Petri Chronologia.*

VII. Petrus posteaquam a Christo supremum Ecclesiae regimen indeptus fuit, triginta septem annis illud administravit. Id aperte hac ratiocinatione demonstratur. Christus in *Consulatu Gemini & Gemini* suffixus est cruci, ut alibi diximus, idest anno Aer. Vulg. 29. Petrus autem crucifixus est anno Aer. Vulg. 65. *Coss. Nerva, & Vestino*, dum annus 37. laberetur a Domini crucifixione, inchoato a die 13. Octobris anno 12. Imperii Neronis. Demonstratur 1. ex Catalogo Liberiano, in quo legitur, *Passus die tertia ante Kalendas Iulias, Coss. Nerva & Vestino, imperante Nerone*. S. Hieronymus de Script. Eccl. de Paulo Apostolo inquit: *Eodem die, quo Petrus Romae pro Christo capite truncatur, sepultusque in via Ostiensi, anno post Passionem Domini trigesimo septimo*. Similia tradunt Honorius Augustodunensis, Nicephorus Calixtus, Isidorus Hispalensis, aliique permulti. Ab anno autem Aer. Vulg. 29. ad annum 65. sive a Consulatu duorum Geminorum ad Consulatum Nervae & Vestini, 36. completi anni intercesserunt. Igitur totidem annis Petrus Catholicam rexit Ecclesiam. Ex his autem quot annis Romae sederit, incertum est, ac pendet id ex ea quaestione, num Petrus Romam advenerit sub Claudio. Qui hoc negant, cum Antonio Pagio ad Annum Christi LIV. num. 3. consequenter aiunt sedisse Petrum Romae annos duntaxat undecim: tot enim sunt ab anno 54. Aerae Christ. & primo Neronis, usque ad ann. 65. & Neronis 12. At Petrum Romam venisse

nisse

nisse sub Claudio anno Aer. Vulg. 42. & duodecimo a Passione Domini, sententia est veterum, atque, ut infra ostendam, longe probabilior. Hac interim supposita, consequitur Romae Petrum tenuisse Pontificatum annis 25. cum priusquam venisset Romam, 12. annis in Palaestina, atque ex his septem sedisset Antiochiae. Revera tot Romani Pontificatus annos Principi Apostolorum tribuunt praestantiores Catalogi, & cum Eusebio & Hieronymo antiquiores Historici. Hinc vulgare proloquium est, nullum alium Romanorum Pontificum vidisse annos Petri; nemo quippe vigesimum quintum Pontificatus sui annum exegit, uno excepto Benedicto XIII. a Pontificum Catalogo expuncto, qui ab assumpto Papali titulo vixisse dicitur ultra annos 28.

VIII. *De rebus a Petro gestis.*

VIII. At quid narrant de Petro Sacrarum Historiarum Auctores? Aiunt fuisse Galilaeum genere, & appellatum Simonem, & natum Patre Iona, aut Ioanne; Cepham vero, seu Petrum cognominatum a Christo: quae ex cap. 16. Matth. & 21. Ioan. aperta sunt. At de ratione impositi a Christo nominis dissentiunt Heterodoxi, & Catholici. Hierosolymis una & altera concione hominum octomillia Christo peperit; atque e Palaestina profectus migravit in Syriam, Sedemque Apostolicam firmavit Antiochiae. Romam venisse dicitur anno 2. Claudii, qui successit Caligulae anno Vulg. Aer. 41. die 24. Ianuarii. Verum id, ut dixi num. praecit. in controversia positum est. Ab eodem Claudio Iudaeis omnibus Roma expulsis, repetiit Hierosolymam, ibique coacto cum ceteris Apostolis Concilio, controversiam de Circumcisione, aliisque Iudaicis ritibus Antiochiae exortam, dirimendam curavit. Ipsum Petrum in iis, quae ad materiam hanc spectant, aliquando fuisse reprehensum a Paulo constat ex cap. 2. Paulinae Epistolae ad Galatas. Sunt tamen qui commemoratum ibi Cepham alium a Petro fuisse hominem putant. Claudio mortuo Romam reversus istic usque ad Neronis annum 12. sedit; tametsi Haereticorum nonnulli Petrum nunquam Romam venisse autument. Iubente Nerone affixus est cruci, ut vulgo creditur, in Clivo Montis Aurei, sed ut habetur in Libro Pontificali, via Aurelia, prope Templum Apollinis, iuxta Neronianum Vaticani Palatium, idest, eo ipso in loco, ubi modo sita est augustissima eiusdem S. Petri Basilica. Ex his colligitur has de Petro moveri posse quaestiones: I. De nomine Cephae, seu Petri, quod illi Christus imposuit. II. De illius ad Vrbem adventu sub Claudio. III. De Cepha, quem Paulus reprehendit. IV. De martyrio, quod subiit Romae imperante Nerone.

IX. *Agitur de Cephae, seu de Petri nomine.*

IX. Simon Apostolorum Princeps a Domino *Cephas*, aut *Petrus* appellatus fuit, quod ipse constitutus sit *petra*, fundamentum, & caput Ecclesiae: ait enim Matth. cap. 16. *Tu es Petrus, &c.* Patres tamen haec verba diversa ratione explicant, & alii *petrae* nomine Christum, alii confessionem Christianae Fidei, alii ipsum Apostolum intellexerunt: unde Haeretici negant, hinc Petri demonstrari Primatum;

tum; ac sudant Theologi nostri in Patrum testimoniis conciliandis. Ego arbitror omnia excipienda esse, nullumque supremo Ecclesiae regimini derogare. Petram enim laudatis in verbis Fidei confessionem interpretati sunt Hilarius lib. vi. De Trinit. ubi ait, *Super hanc igitur Confessionis Petram Ecclesiae aedificatio est*: Chrysostomus Hom. LV. in Mat. *Super hanc petram, idest, fidem & confessionem*; & in Serm. de Poenit. *Super fidem fundata est Ecclesia*: Cyrillus Alex. lib. IV. De Trinit. *Petram, opinor, nihil aliud, quam inconcussam, & firmissimam fidem vocat*; & August. Tract. CXXIII. in Ioannem, & Serm. XIII. de Verbis Domini. *Super hanc petram, quam confessus es, super hanc petram, quam cognovisti dicens, Tu es Christus filius Dei vivi, aedificabo Ecclesiam meam*. Petram vero *Christum* interpretantur Hieronymus in Matth. Augustinus in secundo Retract. cap. 21. & in lib. contra Epistolam Donati, necnon Theodoritus in caput III. Ep. I. ad Corinth. Demum Petrum ipsum dici *Petram* affirmarunt Tertullianus de Praescript. Haeretic. ubi ait: *Latet aliquem, Petrum aedificandae Ecclesiae petram dictum?* Cyprianus Epist. ad Iub. *Ecclesia una est supra Petrum*. Ambrosius in Hymno: *Hoc ipsa petra Ecclesiae Canente culpam diluit*. Augustinus Serm. LXXVI. *Petrus a Petra cognominatus, Ecclesiae figuram portans, Apostolatus principatum tenens*. Arbitramur itaque nos allatas omnes interpretationes veras esse, ita ut Petrus & a Christo qui Petra est, & a Fidei firmitate & confessione *Petrus*, & *Cephas* appellatus, Ecclesiae caput & fundamentum fuerit constitutus; atque hanc esse veram, expeditamque viam refellendi Haereticos, qui Petri negantes primatum amplectuntur primam & secundam interpretationem, reiecta postrema. Videntur enim ansam praebere heterodoxis ii, qui cum Venerabili Bellarmino lib. I. de Rom. Pontif. cap. 10. aiunt, nonnullos Patres, & Augustinum praesertim, ex ignorantia Syriacae linguae fuisse deceptos; quod utique ad Traditionem stabiliendam parum conducit, propterea quod alii etiam, ut vidimus, *petram* fidei confessionem, qua Apostolorum princeps Christum esse Filium Dei vivi affirmavit, cum Augustino interpretati fuerunt.

X. *Num Petrus sub Claudio Romam advenerit?*

X. Romam S. Petrum Hierosolymis venisse imperante Claudio, & circa initia anni 42. Aer. Chr. tametsi negent Papebrochius, Pagius, & omnes fere recentiores, maxime qui protrahunt passionem Domini ad annum 33. communis Aerae, & ipsius 37. sententia est tamen longe verisimilior. Nam primo, id tradunt Eusebius in Chronico his verbis: *Cum primum Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam proficiscitur, ubi Evangelium praedicans 25. annis eiusdem Vrbis Episcopus perseverat*. Hieronymus item de Script. Eccl. *Secundo Claudii anno ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique 25. annis Cathedram Sacerdotalem tenuit*. Severus Sulpitius lib. II. Sacr. Hist. ait: *Antequam Petrus sub Nerone una cum Paulo Romam rediisset*, di-

divina apud urbem religio invaluerat, Petro ibi Episcopatum gerente. Paulus Orosius lib. VII. Hist. cap. 6. *Exordio regni Claudii Petrus Apostolus Domini nostri Iesu Christi Romam venit, & salutarem cunctis fidem fideli populo docuit*; ac Leo Magnus Serm. VIII. in Natali Apost. *Nunquid*, ait, *aut iudicio Pilati, aut saevitia Iudaeorum minor erat vel in Claudio potestas, vel in Nerone crudelitas?* Loquitur autem de Petro absque ullo timore Romam, Mundi dominam, adveniente; unde Quesnellus haec verba margini apposuit; *Petrus sub Claudio Romam venit, & sub Nerone moritur*. Praeterea advenisse Romam sub Claudio Petrum Apostolorum principem invicte ostenditur ex tempore, quo Romanum tenuit Episcopatum. Enimvero Liber Pontificalis etiam in vetustissimo Florentino Codice haec habet, *Petrus ingressus est in Vrbem Romam, ibique tenuit Cathedram Episcopatus annos 25. menses 2.* Idem legitur in Catalogo Liberiano, in altero conscripto tempore Caroli Magni, in alio item exarato sub Ioanne VIII. in collecto ex vetustioribus anno 1348. sedente Innocentio II. atque in ceteris omnibus, nullo prorsus excepto. Idem praeter Eusebium, & Hieronymum paullo supra laudatos tradiderunt Ven. Beda de Rat. Temporum, S. Prosper in Chronico apud Labbeum, Chronicon S. Ivonis, & Virdunense Hugonis Abbatis Flaviniacensis. Praeterea S. Petrum scripsisse primam Epistolam Romae, quam cap. 5. 19. designat nomine *Babylonis*, est sententia Catholicorum communis. Videantur Eusebius lib. II. H. E. cap. 15. Hieronymus de Script. Eccl. in *Marco*, aliique apud Baronium ad Annum XLV. num. 17. Bellarm. lib. II. de Romano Pontifice cap. 2. & Henricum Valesium p. 29. Ex eadem vero Epistola constat Marcum tunc temporis cum Petro Romae fuisse; nam legitur cit. cap. 5. v. 13. *Salutat vos Ecclesia, quae est in Babylone collecta, & Marcus filius meus*. At Marcus anno 3. Olymp. 205. & anno 3. Claudii profectus est Alexandriam, postquam Romae Evangelium scripserat. Superiori itaque anno uterque, Petrus scilicet, & Marcus Romae fuerunt.

XI. *Contrariae opinionis momenta expenduntur.*

XI. Qui negant Petrum advenisse Romam, Claudio imperante, his innituntur momentis. Primo, inquiunt, *duodecimo tantum anno a Christi passione*, idest, post divisionem Apostolorum, Hierosolymis Petrus discessit. Christus autem anno 33. Aer. Vulg. subiit Crucis patibulum; igitur Petrus ante annum 45. & Claudii quintum Romam nequaquam venit. At nec venit eo anno; circa enim haec tempora ab Herode, seu Agrippa, fuit carceri mancipatus, ut ex Actibus Apostolicis aperte colligitur. Deinde Lactantius lib. II. de Mortibus Persecutorum ait: *Apostoli per annos 25. usque ad principatum Neroniani Imperii per omnes provincias & civitates Ecclesiae fundamenta miserunt: cumque iam Nero imperaret, Romam Petrus advenit*; ideoque ante annum Christi 54. quo Nero die 13. Oct. imperare coepit, Petrus Romam non venit. Vtuntur hisce momentis Papebrochius

chius in Conatu Hist. Diss. II. Antonius Pagius ad Annum LIV. Baluzius in Notis ad Lact. & Franc. Pagius in *Petro*. Verum ad primum dicimus sententia nostra Christum passum anno Aer. Vulg. 29. a quo supputatus annus 12. incidit in annum Aer. Vulg. 41. Potuit ergo Petrus anno proximo 42. & 2. Claudii esse Romae, ut Veteres tradiderunt, demonstrantque vetusti omnes Catalogi. Ad auctorem libri de *Mortibus Persecutorum*, quem docti quidam viri asserunt suppositum esse Lactantio, primo dicimus ab eo non denegari quod Petrus venerit Romam sub Claudio, sed affirmari tantummodo quod venerit sub Nerone, sicut venit revera tunc in Vrbe usque ad martyrium permansurus. Deinde idem auctor ait, Apostolos *per* 25. *annos* praedicasse Evangelium usque *ad principium Imperii Neroniani*, ibique haud obscure innuit discessisse a Hierosolymis anno 12. post Christi mortem, id, quod omnes fatentur. En ergo qua ratione Chronologiae nostrae omnia quadrant. Christus passus est an. Aer. Vulg. 29. Apostoli in Iudaea perstiterunt annis 12. idest usque ad annum 41. Aer. Vulg. & primum Claudii. Tum ad praedicandum Evangelium per universum Mundum dispersi sunt, ac Petrus anno 42. Aer. Vulg. & 2. Claudii Romam usque profectus ibi fundamenta statuit Ecclesiae, scripsitque priorem Epistolam, & confirmavit Evangelium Marci, qui anno 3. Claudii, non sub Nerone, ut cogitur asserere Francisc. Pagius num. 6. perrexit Alexandriam. Claudius imperavit annos 13. quibus si addantur anni 12. a passione Domini usque ad primum Claudii, habentur anni 25. Apostolicae praedicationis *usque ad initium Imperii Neroniani*, ut inquit Lactantius. Fundata tamen Romana Ecclesia Petrum rediisse Hierosolymam, ad Iudaeos, quorum Apostolus erat, convertendos, & ibi carceri ab Herode Agrippa fusse inclusum, sed vinculis solutis ab Angelo liberatum ultro fatemur.

XII. *Petrum & Cepham unum, eumdemque fuisse.*

XII. *Cepham*, quem Paulus Apostolus occasione Legalium reprehendit, fuisse diversum a Petro contenderunt Harduinus & Boileau, atque antea idem tradiderat Hector Pintus in Danielem: sed a vero aberrarunt. Nam Petrum a Domino dictum *Cepham* constat ex dictis num. x. de eodem autem Cepha inquit Apostolus ad Galatas cap. 2. *Cum venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat*. Constat hic Cephae nomine personam Petri designari. I. Quia versu 8. Apostolus expresse Petrum commemorat, dicens: *Qui operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, &c.* proximo versu eumdem Petrum vocat Cepham, & inquit, *Iacobus, Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnae esse, dexteras dederunt mihi*: additque hunc Cepham *fuisse Apostolum Circumcisionis*, ipsum nempe, quem praecedenti versu Petrum nominaverat: versu autem 11. ait, se huic Cephae, dum Antiochiae essent, restitisse. II. Quia ex Act. Apost. cap. 15. constat Petrum & Iacobum conversioni Iudaeorum dedisse operam, ideoque ipsos fuisse, quos Apostolus

stolus ait, non in *Gentes*, sed in *Circumcisionem*, idest, Iudaeos munus Apostolicum obiisse. III. Quia pervetusti omnes Graeci Codices cit. Ep. ad Gal. cap. 2. v. 11. non *Cepham* scriptum habent, sed Petrum. IV. Quia Petrum a Paulo reprehensum scribunt Tertullianus de Praescripr. cap. 23. Cyprianus ep. 71. Hieronymus in praecitatam Epistolam ad Galatas, Augustinus ep. 28. 40. 82. Gregorius Magnus Hom. 18. in Ezech. S. Thomas 1. 2. q. 103. a 4. aliique innumeri. Opponunt Sanctum Clementem Alexandrinum in V. Hypotyposeon, Eusebium lib. 1. cap. 12. & Dorotheum Tyrium in Synopsi, qui asserunt Cepham fuisse a Petro diversum. At respondit S. Hieronymus cit. in loco: *Si Pauli studiosius verba legissent, ista non dicerent*. Addo librum *Hypotyposeon* aut spurium, aut dubium censeri, Eusebium vero ac Dorotheum, sicuti & Oecumenium, id opinative, non assertive affirmasse. Rursus opponunt, in 1. ad Corinth. cap. 12. & cap. 15. *Cepham* expresse nominari, qui videtur esse diversus a Petro, atque, ut opinantur nonnulli, *Martialis Cephas* Episcopus Lemovicensium. Verum respondemus item verbis Hieronymi: *Alterius nescio cuius Cephae nescire nos nomen, nisi eius, qui & in Evangelio, & in aliis Pauli Epistolis, & in hac quoque ipsa, modo Petrus, modo Cephas scribitur*. Addendum ex Gregorio Turon. lib. 1. Hist. cap. 10. Martialem Cepham floruisse tertio Saeculo, & in Gallias profectum anno Ch. 254. Demum obiiciunt, si Petrus idem sit ac Cephas, qui gentes cogebat iudaizare, praeberi ansam haereticis asserendi Petrum errasse in Fide, & Legalia iam mortua probasse: sed futilis est obiectatio istiusmodi; siquidem eo temporis Legalia nondum erant mortifera, ut dicemus proxima Differt. de Conciliis. His vero expedita est quaestio tertia.

XIII. *De Petri cum Simone Mago conflictu, eiusque Martyrio.*

XIII. Quamquam affirmat Hieronymus Petrum venisse Romam sub Claudio *ad expugnandum Simonem Magum*, idque probabilitate non careat, cum Simon iam ab anno 1. post passionem Domini coeperit errores disseminare, ut constat ex cap. 8. Act. Apostolic. videtur tamen praestigiatorem illum sub Nerone, dum volare tentasset, diabolicis illius artibus oratione Petri dissipatis, e sublimi aere corruisse, confractisque ossibus miserrimam sceleftissimamque efflasse animam. De huius historiae veritate, quam sectarii quidam negant, ac de tempore, quo conflictus ille contigit, brevissime pertractabo. Testantur itaque eiusdem facti veritatem Auctor Constit. Apostol. lib. VI. cap. 9. Arnob. lib. II. adv. Gentes, Cyrillus Catech. 3. Epiphanius h. 21. Eusebius lib. II. H. E. cap. 3. Augustinus de H. cap. 1. & & contra Fulgentium Donatistam cap. 23. Sev. Sulpitius lib. II. Sacrae Hist. & Theodoretus lib. II. Haer. fabularum: quorum, aliorumque multorum locupletissima testimonia, quum legi possint apud Baronium ad Annum LXVIII. brevitatis gratia praetermitto. Sub Nerone autem Simonem Magum condigna morte peremptum, probabilius

 exi-

existimo, quoniam ex Plinio lib. xxx. cap. 2. habemus Neronem Magis fuisse addictissimum, eosque magnis pollicitationibus, ut ad urbem venirent, sollicitasse; atque Dio Chrysost. Orat. 2. ait, Magorum quemdam in aula fuisse enutritum, qui se volaturum promiserat: quem haud inverisimile est fuisse Simonem Samaritanum; huiusque interitum videtur Suetonius quoque in Nerone cap. 12. commemorasse, ubi inquit: *Icarus primo statim conatu iuxta cubiculum eius decidit, ipsumque cruore respersit*. Simonis Magi causa Petrum a Nerone vinctum censet Baronius ad An. Chr. 69. Ambrosius in Orat. de Trad. Basilicis videtur asserere Petrum & Paulum fuisse apud Neronem accusatos, quod feminas complures ad caste vivendum hortarentur, virosque permultos ad Christi Fidem pertraherent. Praecipuam in Apostolos, ceterosque fideles saeviendi causam fuisse arbitror, ut declinaret invidiam incendii, quo Romam absumi iusserat, ut novam condere, & de suo nomine appellare eam posset: quod cum in universo populo ingentem excitasset rumorem, Nero huic abolendo Christianos subdidit reos, & quaesitissimis poenis affecit, ut narrat lib. xv. Annalium cap. 40. Cornelius Tacitus. Silvano, & Othone Coss. Petrum & Paulum a Nerone morti damnatos scribit in Chronico Cassiodorus, cui subscribit in lib. De Episc. Vrbis Papirius. Sed quanti Consulares Fasti Cassiodori habendi sint, alibi ostendimus. Otho quidem iniit Consulatum anno Aer. Chr. 52. & 12. Claudii, neque Silvanum collegam habuit, sed Faustum Sullam. Itaque gloriosissimi Apostolorum Principes martyrio coronati sunt Nerva & Vestino Coss. anno 65. Aer. Chr. & Neronis 12. ut diximus num. VII. Quod num. prox. addidimus, Petrum ex Libro Pontificali fuisse crucifixum ac sepultum iuxta Palatium Neronianum in Vaticano, habetur quoque in vetustissimis Catalogis Bibliothecae Colbertinae, & Reginae Sveciae apud Schelestratenum Tom. I. Antiq. Eccl. pag. 402. & seq. Hactenus de Petro.

XIV. *Petro non Clemens, sed Linus immediate successit.*

XIV. Linum, non autem Clementem, fuisse immediatum S. Petri successorem verior est, & communior sententia, quamquam scribat Photius in Bibl. Cod. 113. *Clementem alterum a Petro Vrbis Romae Episcopum quidam autumant, alii vero quartum*. Demonstratur primo Patrum auctoritate: enimvero Petro Linum successisse tradunt Optatus lib. II. Augustinus Ep. 165. Hieronymus de Script. Eccl. cap. 15. Irenaeus lib. III. cap. 3. Cyprianus Epist. ad Pompeium, & Eusebius lib. III. H. E. cap 2. Secundo probatur ex Libro Pontificali, & ex vetustioribus omnibus Romanorum Pontificum Catalogis. Tertio confirmatur vetusta traditione Ecclesiae Romanae, de qua consule Notas Baronii ad Martyrol. Rom. IX. Kal. Octob. & ad An. Chr. LXXX. num. 1. Ratio, ob quam nonnulli Clementem Lino praeposuerunt, est, quod Clemens ipse in sua ad Iacobum Epistola scripsit se a Petro fuisse consacratum Episcopum: quod & affirmant Tertullianus de Praescript. cap.

cap. 32. & S. Hieronymus in cap. 52. Isaiae, & lib. 1. adversus Iovinian. cap. 7. necnon Epiphanius h. 27. cap. 6. ubi tamen ait, id liquido non constare. Sed facile momentum hoc diluitur; nam primo Epistola illa Clementis inter apocrypha scripta reiicitur ab eruditis, ideoque praedicta Clementis ipsius consecratio in Episcopum facta a Petro, ex incertis dubiisque monimentis profluxit. Deinde Hieronymus, etsi consecrationem illam commemorat, Linum tamen, non Clementem successisse Petro disserte pronuntiat. Praeterea inverisimilis non est opinio Baronii, quam Bollandus, Cotelerius, Tillemontius, Natalis Alexander, aliique sectantur, Clementem accepisse quidem a Petro Episcopatum, sed post martyrium Apostoli collatam sibi dignitatem recusasse, ut Linus, & Cletus electi, unus post alium, suffragiis Romani Cleri supremum Ecclesiae regimen administrarent. Tandem probabilius censemus non solum Clementem, verum etiam Linum & Cletum a Petro Episcopali charactere fuisse insignitos, non ut in Episcopatu Romano exercerent iurisdictionem, ut Salmasius & alii quidam Haeretici obganniunt, sed ut in Vrbe Roma Sacerdotale ministerium obeuntes, sibi in difficillimo eo tempore, & Neroniana persecutione suborta, coadiutores essent, & administri, quales sunt modo Romani Pontificis, & quorumdam aliorum Episcoporum Vicarii, sive ut successive Ecclesiae regimini praeficerentur, sicuti in adnotat. ad secundum Catalogum Pontificum Romanorum scribit vir clarissimus Godefridus Henschenius.

XV. *Lini Pontificatus, atque res gestae.*

XV. Probare autem minime possumus vulgarem Chronologiam, quae praeeunte Caesare Cardinale Baronio ad An. Christi LXIX. num. 35. & ad An. LXXX. §. 1. statuit ab illo ad hunc annum Linum sedisse annos undecim, menses duos, & dies tres, & viginti. Ostendimus enim supra, Petrum anno 65. coronatum fuisse martyrio: Petro autem Linus nulla interposita mora successit. Si igitur Linus sedit annos undecim, & aliquo alio decursu temporis; ad coelestem patriam migravit Coss. Vespasiano VII. & Tito V. idest, anno Aer. Vulg. 76. concordat Chronologiae huic nostrae cum vetustioribus Catalogis Eusebius in Chronico. In libro utique Pontificali legitur, Linum sedisse annos 15. menses 3. & dies 12. sed Vaticani, Florentini, aliique emendatissimi Codices habent *annos* 11. Perpauca ad Linum spectantia ad nos ex tabulis Ecclesiasticis pervenerunt. Dicitur in Libro Pontificali fuisse *e regione Tusciae*, Patremque habuisse Herculanum nomine, & Historici fere omnes eum appellant Volaterranum. Hinc Papirius inquit; *Felices autem Volaterrae, illae enim Petro successorem, Vrbique Episcopum primae ex Italia dedere*. Martyrium Linus subiit IX. Kal. Octobris, quo die eius memoria ab Ecclesia recolitur. Id negat Antonius Pagius ad Annum Christi LXXVIII. num. 3. sed, ubi nullum suppetit contrarium argumentum, nolumus a Romanae

Ec-

Ecclesiae, & veterum Scriptorum sententia recedere, & cuiusvis, licet doctissimi, & clarissimi viri, nudae opinioni adhaerere.

XVI. *Vindicatur quaedam Ecclesiastica definitio Lino attributa.*

XVI. In Libro Pontificali de Lino legitur: *Hic ex praecepto B. Petri constituit, ut mulier in Ecclesiam velato capite introiret.* Centuriatores Magdeburgenses Cent. I. lib. II. cap. 10 hanc Lini sanctionem irrident, & aiunt Episcopali cura nequaquam fuisse dignam. Verum calumniandi Romanam Ecclesiam procacitas fecit, ut Novatores non attenderent honestam feminarum sanctarum consuetudinem, quae nec in veteri Testamento in publicum prodibant, nisi operto capite, ut constat ex Genes. 24. & Levit. itidem 24. non legerint quae de velandis in Ecclesia Virginibus scripsit Tertullianus: non denique ad memoriam revocaverint quae in prima ad Corinth. cap. 11. inquit Apostolus: *Omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum.*

XVII. *Lino non Clemens, sed Cletus successit.*

XVII. Haud ignoramus, virum eruditissimum Antonium Pagium ad An. Christi LXVII. locare post Linum immediate Clementem, atque ad An. LXXVII. post Clementem Cletum, & Lino duos tantum Pontificatus Romani annos adscribere: atque idem asserere Nepotem eius Franciscum Pagium tom. I. de Rom. Pontificibus pag. 8. ubique calcans eruditi patrui vestigia. Permoti hi sunt auctoritate Tertulliani lib. de Praescript. H. cap. 33. Chronici, quod tribuitur Damaso, & Auctoris Constitutionum Apostolicarum, quae ipsi Clementi adscribantur. Sed arridet magis nobis sententia, quae post Linum Cletum enumerat, & recenset quarto loco Clementem, tametsi sententia altera videatur etiam Augustino, & Optato Milevitano conformior, ut constat ex dictis num. VI. Movet autem me primo loco vetustissima S. Romanae Ecclesiae traditio in Canone Missae collecto ex vetustissimis diptychis, quae ab Ecclesiae primordiis in auctoritatem fuerunt recepta, & in quibus exhibetur hic ordo, *Petrus*, *Linus*, *Cletus*, *&* *Clemens.* Secundo, in eamdem sententiam me trahunt Catalogi omnes, quos idem Pagius Criticae suae in Ecclesiasticos Baronii Annales attexuit, tanquam melioris notae, & ceteris praeferendos, in quibus idem omnino ordo servatur. Tertio haud levis momenti videntur mihi vetustissimum Chronici fragmentum in Vaticana Bibliotheca num. 5007. ubi item S. Clemens post Cletum & quarto loco connumeratur, Catalogi praestantiores, inter quos Corbeiensis saeculi VI. Palatino - Vaticani, aliique a Schelestrateno in lucem editi, & accuratissima series Pontificum depicta in parietibus Paulinae Basilicae. Tertio, invenio quoque pro hac sententia cum Latinorum, tum Graecorum numerum ampliorem; siquidem ex Latinis Clementi Cletum praemittunt S. Hieronymus, & S. Prosper in Chronicis, S. Isidorus in Hymnis Breviarii Ecclesiae Toletanae, Acta antiquissima ipsius Clementis collecta a Mom-

a Mombritio, S. Ivo Carnotensis in Serie Episcoporum Vrbis Romae: e Graecis vero S. Irenaeus lib. III. adv. Haer. cap. 3. Epiphanius Haer. 27. Auctor Chronici Alexandrini, & Nicephorus Callistus, qui omnes S. Clementem ordine quartum, ac tertium post S. Petrum locarunt, quamvis Graeci Cletum, & Anacletum confundant, ut postea videbimus. Quarto, magis magisque eidem opinioni adhaeresco, quod illam sequatur Ecclesia in Romano Martyrologio, in quo ad 23. diem Novembris legitur. *Natalis S. Clementis Papae, qui tertius post beatum Petrum Apostolum Pontificatum tenuit*. Quinto, quum servet eamdem seriem cum Anastasio Bibliothecario ingens caterva Scriptorum, qui diligenter Vitas Pontificum litteris exararunt, id quoque sententiae, quam selegimus, addit haud leve pondus auctoritatis. Sexto tandem videtur nobis aperta ratio, cur nonnulli post Linum locaverint proximiori loco Clementem, non Cletum, & Anacletum fuisse unum, eumdemque; factum hinc est, ut quidam ex Graecis pro Cleto *Anacletum* statuerint ante Clementem, & Anacletum, qui Clementi successit, omiserint; quidam vero ex Latinis post Clementem collocantes Anacletum, post Linum *Cletum* abraserint; ideoque pendet haec quaestio ex altera paullo post agitanda, num Cletus ab Anacleto sit secernendus.

XVIII. *De Cleti Pontificatu, rebusque ab eo gestis.*

XVIII Produximus quae nos impulerunt, ut post Linum de Cleto sermonem instituamus: nunc exponimus eiusdem Cleti chronotaxim, & acta. In Catalogo MS. Bibliothecae Caesareae iuxta editionem Ioannis Cuspiniani habetur, Cletum sedisse annos 6. menses 1. die 10. Sed afferendum puto sedisse annos 12. m. 1. & d. 1. quod primo demonstro ex antiquioribus Catalogis, in quibus legitur: *Cletus natione Romanus de regione Vico Patricii, Patre Aemiliano, sedit annos 12. mens.* 1. Idem habetur in Pontificali Romano iuxta emendationem Lucae Holstenii, & apud Anastasium Bibliothecarium, & Baronium ad An. Ch. VIII. num. 4. Idem ostendo ex Martyr. Rabani ad III. Kal. Maii, sive diem 29. Aprilis, ubi haec leguntur: *Romae passio S. Cleti Papae, qui tertius post Petrum Romanae Vrbis Episcopatum annos 12. habuit, & ibidem martyrio coronatus est sub Domitiano Imperante*. Praeterea idem comprobatur auctoritate S. Epiphanii scribentis Haer. 27. *Linus & Cletus duodecim annorum spatio sigillatim Episcopatum obtinuerunt*: nec dissentit Eusebius in Chronico. Igitur cum Linus martyrio coronatus sit anno Aerae Vulg. 76. aut VIII. Kal. Octobris, aut VI. Kal. Decembris (non enim Catalogi & Historici hac in parte consentiunt) hinc annis 12. supputatis, inveniemus S. Cletum obiisse anno Aer. Vulg. 89. iuxta Traditionem Rom. Eccl. VI. Kal. Maii, sive die 26. Aprilis; iuxta praecitatum vero Martyrolog. Rabani, die 29. atque anno 8. Imp. Domitiani. Duo de Cleto narrantur; unum in

Lib.

Lib. Pontificali his verbis: *Hic ex praecepto B. Petri vigintiquinque* (alibi legitur *trigintaquinque*) *presbyteros in Vrbe Roma ordinavit*; alterum in Chronico Martini Poloni, necnon in Breviario Romano: *Litteris omnium primus inscripsit eam formulam*, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM. Quinam fuerint presbyteri illi vigintiquinque non est omnino exploratum, sed communis opinio est fuisse e Clero viros probatae fidei, ac doctrinae, qui Parochiis Romanae Vrbis praeessent; neque enim *ordinationis* nomine videtur hoc loco intelligenda impositio manuum, & collatio Ordinis Sacerdotalis, sed potius sacrorum ministeriorum distributio, & ad animarum curam electio. De formula autem Apostolicis Romanorum Pontificum litteris superaddita, discrepant eruditorum virorum iudicia. Ludovicus Iacobus a S. Carolo in Bibl. Pontif. pag. 58. ait, auctores omnes affirmare revera eiusdem formulae primum institutorem fuisse Cletum. At Mabillonius de Re Diplomatica inquit, eamdem formulam primos omnium adhibuisse Saeculo VII. Ioannem V. & Sergium I. Papebrochius in Conatu Chronico Historico, sive ad Catalogum secundum Rom. Pontif. ait, ipsam formulam saltem stabili usu fuisse receptam ante Gregorium VII. qui sedit vertente Saeculo XI. Quum minime inveniantur authenticae Cleti Epistolae, ut recte animadvertit doctissimus Petrus *Coustant* Tom. I. Epist. Rom. Pontif. divinare non possumus unde Martinus Polonus, aliique illam de Cleto notitiam haurire potuerint, quam tamen refellere non audemus. Atque *de Cleto* haec tantum.

XIX. *De Pontificatu S. Clementis.*

XIX. Clementem post Cletum locandum esse, non vero immediate post Linum, ostendimus paullo supra num. XVIII. Eius Pontificatum a nobis inchoandum esse a postremis diebus mensis Aprilis an. Aer. Vulg. 89. colligitur ex num. praecedenti. Protrahendus est autem usque ad an. 98. quo, imperante Traiano, pulsus est in exilium, ubi post exactum biennium, idest, anno Traiani III. aerumnis pressus, & demersus in mare Martyr occubuit, scilicet, anno Vulg. Aerae 100. Duobus autem illis annis, quibus S. Clemens in Chersonesum relegatus vitam egit, Romanam Ecclesiam rexit Anacletus, unde fortassis exortae sunt tam diversae de Pontificatu Anacleti opiniones. Itaque Clementis Chronologiam ita statuendam existimamus: Anno 89. successit Cleto: anno 98. in exilium fuit asportatus: anno 100. ad superos emigravit. Primum liquet ex obitu Cleti: alterum ex Catalogis, in quibus Clementi tribuuntur anni novem, quibus ante relegationem sedit Romae; tertium autem videtur nobis positum extra omnem controversiam. Profecto de tempore Pontificatus S. Clementis tam in vetusto Codice Reginae Sveciae, quam in Pontificali emendato ab Holstenio, legitur: *Sedit annos 9. menses 2. dies 10.* ac mirum est hac in re concordare, saltem quantum ad annos, omnes quotquot hactenus legimus Catalogos; parum vero, aut

aut nihil ab eadem supputatione recedere veteres recentioresque Scriptores. At obiisse Clementem anno 3. Traiani, & Aer. Vulg. 100. testatur Auctor Libri Pontificalis, etiam in Florentinis Codicibus, his verbis: *Obiit Martyr anno Traiani tertio*: Catalogus VI. Saeculi: *Obiit Martyr 3. Traiani*: Eusebius lib. III. Hist. cap. 34. *Clemens anno Traiani Imperatoris 3. abiit e vita*: & S. Hieronymus in libro de Script. Eccl. *Obiit 30. Traiani anno*. Iure itaque recedimus a Chronologia illorum, qui Clementem praeponunt Cleto, & sedisse putant ab anno Domini 67. usque ad annum 77. Enimvero anno 77. regnabat Vespasianus, post quem & Domitianus & Nerva ante Traianum tenuerunt imperium. Clementem vero sub Traiano obiisse, etiam in Martyrologio Ven. Bedae ita asseritur: *XI. Kal. Decembris Romae Natale S. Clementis, qui iubente Traiano missus est in exilium*. Nulla autem ratione percipere possumus Chronologiam Francisci Pagii, qui ait Clementem sedisse ante Cletum usque ad ann. Christi 77. & num. 2. pag. 8. inquit: *Cum Evangelicae praedicationi totus intentus multos ad Christi fidem traduceret, iubente Traiano Imperatore in Chersonesum Tauricam relegatur;* nam Traianus anno duntaxat 98. quo VI. Kal. Februarias obiit Nerva, ad Imperii fastigium evectus est, haud dissentiente Antonio Pagio ad Annum praedictum num. 2.

XX. Ferebatur iam pridem communis opinio, Clementem fuisse Romanum genere, & quidem praeclarissima stirpe procreatum. Sed Petrus *Constant* inquit videri potius ex Iudaica prosapia exortum; idque colligi ex eiusdem S. Clementis Epistola ad Corinthios cap. 4. ubi ait: *Propter aemulationem Pater noster Iacob aufugit a facie Esau fratris sui*. Verum haec verba nequeunt vetustam opinionem elidere. Sane illam Auctor Libri Pontificalis sequutus inquit: *Clemens natione Romanus de regione Caelio monte, ex Patre Faustino*. Similia habentur in Catalogis Romanorum Episcoporum vetustioribus: consentitque Breviarium Romanum ad diem 23. Novembris. De illo item S. Eucherius Lugdunensis in Epistola ad Valerium: *Clemens vetusta prosapia Senatorum, atque etiam stirpe Caesarum, omni scientia refertus, omniumque liberalium artium peritissimus, ad hanc iustorum viam transiit. Itaque in ea excellenter floruit, ut Principi quoque Apostolorum successor extiterit*. His fidem minime derogamus, quum verba ipsius Clementis in contrarium producta intelligi possint de Fidei gratia, propter quam, ut inquit ad Galatas 6. Paulus Apostolus, *Filii promissionis computantur in semine*. De genere autem Clementis haec pauca. Quantum ad ipsius pertinet Acta, illud diligenter notandum est, quod in Libro Pontificali habetur: *Hic fecit septem regiones dividi Notariis fidelibus Ecclesiae, qui gesta Martyrum sollicite, & curiose unusquisque per regionem suam diligenter*

XX. *De Clementis genere, de Actis, ac de Martyrio.*

ligenter perquirerent. Hinc enim percipimus quantam diligentiam ab ipsis i cunabulis Romana Ecclesia adhibuerit in colligendis Martyrum Fastis. Promeruit & ipse Clemens eisdem Fastis adscribi. Etenim in Chersonesum Tauricam relegatus (Tartariam minorem vulgo appellant,) cum doctrina & miraculis omnes incolas convertisset ad Christum, iubente Traiano in mare demersus fuit. Clemens appellatur *martyr* etiam Can. 6. Concilii 1. Vasensis celebrati anno Domini 442. & Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis ait, eiusdem Clementis nomini aedificatam fuisse Ecclesiam, quae nonnisi vindicatis Martyribus olim extruebatur. Hieronymi verba haec sunt: *Obiit tertio Traiani anno, & nominis eius memoriam usque hodie Romae extructa Ecclesia custodit*. Basnagius ad Annum 100. num. 6. nititur Clementis martyrium evertere, primum quia a Hieronymo, & ab Eusebio martyr non appellatur: deinde quia Chronicum Alexandrinum alligat Traiani persecutionem anno Domini 104. Chronicum autem Hieronymi anno 107. ideoque anno 3. Traiani non potuit S. Clemens martyrium subire; rursus quia in nonnullis Catalogis, necnon in Kalendario Rosweidi Clemens martyris nomine non afficitur. Sed haec dissolvere nullius est negocii: primum enim & argumentum negans est, & insuper Hieronymus dum eius memoriam, Ecclesiamque commemorat, haud obscure martyrem fuisse commonstrat. Alterum eadem facilitate expeditur, nam Traiani persecutio diuturna fuit, neque ad annum unum coarctata, ut constat ex Apologetico Tertulliani cap. 2. Eusebio lib. III. H. E. cap. 32. necnon ex Epist. Plinii 11. ad ipsum Traianum, quam illustri commentario exornavit Gerardus Ioannes Vossius. Tertium eadem, ac primum, responsione diluitur: atque hoc unum addimus, Martyrologia, & complures Catalogos Clementi nomen martyris adtribuere, quod Basnagius ipse non denegat.

XXI. *Anacletum eumdem fuisse ac Cletum, plurimi existimarunt.*

XXI. Postquam de Clemente pertractavimus, offendimus primo in quaestionem difficillimam, ex qua potissimum exortae sunt tam variae Historicorum sententiae de successione primorum Pontificum, num scilicet Cletus fuerit idem, ac Anacletus: si enim idem fuit, frustra de Anacleto, eiusque Pontificatu oratio instituitur. Itaque Anacletum cum Cleto confundit S. Irenaeus lib. III. contra haeresim Valentini cap. 3. ubi ait, Lino successisse *Anacletum*, *Anacleto Clementem*, *Clementi Evaristum*, *Evaristo Alexandrum*. Nullam in hac enumeratione S. Martyr Cleti mentionem fecit, nisi dicatur hunc non fuisse ab Anacleto diversum. S. Cyprianus item Epist. 74. ad Pompeium, ubi ait *Hyginum fuisse nonum Romanae Urbis Episcopum*, aut Cletum, aut Anacletum expungit, aut ex utroque unum conficit. Sequitur Epiphanius, qui H. 27. quae est Carpocratis, ita Pontifices recenset, *Petrus*, *Linus*, *Cletus*, *Clemens*, *Evaristus*, *Alexander*

der, omiſſo Anacleto. Eidem ſententiae adſtipulantur Euſebius, & Hieronymus in Chronico ipſam omnino ſeriem ſervantes. Sunt alii Eccleſiae Patres, & quidem nobiliſſimi, primique ſubſellii, qui profecto poſt Clementem enumerant Anacletum, ſed poſt Linum omittunt *Cletum*, ideoque & hi ex duobus unum conficiunt. Ita Auguſtinus Ep. 165. ad Generoſum, ubi ait: *Petro ſucceſſit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Evariſtus &c.* Ita Optatus Milevitanus, ita Proſper, ita alii permulti, qui in hoc tantum diſcrepant, quod alii *Cletum*, alii *Anacletum* nominant, ſed in eo conveniunt, quod nominato uno, alterum praetermittunt. Praeterea Cletum eumdem eſſe, ac Anacletum, erui videtur ex Canone Miſſalis Francorum, eiusque vetuſtiſſimo Codice Bibliothecae Alexandrinae uncialibus litteris conſcripto ante annos 950. ubi legitur; *Communicantes, & memoriam venerantes Lini, Anacleti, Clementis.* Quum vero in Canone, quo modo utimur, non Anacleti, ſed Cleti nomen occurrat, evidens eſt, Cletum ab Anacleto non eſſe diverſum. Tandem in Martyrologio Bedae VI. Kal. Maii legitur, *Natale S. Cleti Papae & martyris*, & in hoc Martyrologio nulla fit mentio Anacleti; in Martyrologio autem Rosweidi eadem die legitur, *Romae Anacleti Papae & martyris*, & in Martyrologio nulla fit mentio Cleti, non alia profecto ex cauſa, niſi quia Cletus, & Anacletus, unus idemque fuere; quod videntur evincere producta hucusque momenta.

XXII. *Eligitur opinio Anacletum a Cleto ſecernens.*

XXII. Etſi autem quae ſuperiori paragrapho dicta ſunt, graviſſima videantur; nihilo tamen minus Anacletum a Cleto ſecernendum exiſtimamus ob rationes, quas nunc ſubiicimus. Primum occurrit regula ſuperius num. IV. ſtatuta, & a nemine reprobanda, in iis, quae ad Romanam ſpectant Eccleſiam, huius traditioni maiorem fidem eſſe adhibendam, quam oppoſitum ſentientibus. Eccleſia vero Romana Cletum ab Anacleto ſemper ſecrevit: quod commonſtrat Catalogus Romanorum Pontificum ſub Liberio, Catalogus alter ſub Iuſtino Imperatore conſcriptus, Palatino-Vaticanus aetate Caroli Magni concinnatus, & Auctor Libri Pontificalis: de quibus legendus Emmanuel a Scheleſtrate Diſſ. II. Antiq. Eccl. cap. 2. Bollandus ad diem 26. Aprilis, & Sandinus Diſp. Hiſt. 4. Deinde probatur ex Martyrologiis Cletum Anacleto aperte ſeiungentibus: inter quae antiquiſſimum Occidentalis Eccleſiae editum a Franciſco Maria Florentinio ad diem 23. Decembris; Martyrologium Adonis ad diem 26. Aprilis, & 12. Iulii; Vſuardi ad Iulii diem 13. ac Romanum eadem die, non tantum in lucem editum, verum etiam MS. magni pretii, & venerandae antiquitatis, quod aſſervatur in Biblioth. Vatic. num. 5415. Tertio idem eruitur ex Breviario Romano ad diem 26. Aprilis, & Iulii 13. quod hoc in loco, ut fortaſſis in aliis compluribus, non egere

correctione evincitur ex antiquissimis Vaticanae Basilicae Antiphonariis editis a pio eruditoque Viro Iosepho S. R. E. Cardinali Thomasio. Praeterea sententiam confirmat nostram vetustus Auctor Carminis adversus Marcionem, qui floruit circa tempora Tertulliani, ac probabilius sub Aniceto, & secundo Christiani nominis saeculo, cum Pontifices Romanos enumerans in ipso Aniceto finem faciat. Illius autem auctoris verba produximus supra num. VI. Insuper quae & in Catalogis, & in aliis adductis monimentis de Cleto, & Anacleto leguntur, ostendunt non esse derivata ex nominis similitudine, sed ex adiunctis, quae convenire nequeunt eidem personae: nam Cletus dicitur *natione Romanus de regione Vico Patricii*, ut diximus num. XIX. Anacletus autem ubique *Graecus de Athenis*; & illius Pater *Aemilianus*, istius *Antiochus* nuncupatur; ac diversitas patriae, diversitas parentum diversitatem quoque indicat personarum. Tandem ex ipsis in contrarium productis momentis Cleti ab Anacleto hauritur discrimen: ita enim ratiocinari fas sit. Irenaeus, Eusebius, Hieronymus tradiderunt Lino successisse Cletum, legerant itaque aut in Catalogis, aut apud Historicos, post Linum extitisse Romanum Pontificem, Cletum nomine. Optatus, Augustinus, ac Prosper, post Clementem recensuere Anacletum; ideoque & hi Patres legerant aut in Catalogis, aut apud Historicos, post Clementem sedisse Pontificem, nomine Anacletum; ideoque ex iisdem Patribus colligimus Cleti ab Anacleto discrimen: quumque nequeant omnes ad concordiam revocari, assentiendum est illis, & post Linum locandus est Cletus: assentiendum est istis, & post Clementem collocandus est Anacletus.

XXIII. *Obiecta diluuntur.*

XXIII. Nunc ad argumenta num. XX. posita respondemus. Atque ad testimonia Patrum, primo dicimus nos partim illis, partim autem istis, ut nuper dicebamus, praebere assensum; quem vero pontificem una pars praeteriit, suppleri ab altera, & utramque simul munimentis Romanae Ecclesiae corroborari. Addimus quod supra innuimus num. XVIII. similitudinem nominum in causa fuisse, cur quidam Cletum cum Anacleto confunderent, id, quod non semel invenimus contigisse. Etenim Eusebius, & Nicephorus in Chronicis Marcellum & Marcellinum unum fuisse putarunt, & alii Graeci passim in unum confundunt Novatianum Romanum presbyterum, & Novatum Carthaginensem. Ad Canonem Missalis Francorum eadem adhibetur responsio, videlicet, praeferendum illi esse Canonem Romanae Ecclesiae, in quo post Linum non Anacletus commemoratur, sed Cletus. Martyrologia autem edita a Rosweido, & Adone, non esse admodum antiqua, & immerito praeferre titulum *Martilogii Veteris Romani*, consentiunt omnes Critici recentiores. Praetermisi quod animadverterunt Massuetus in Irenae-

Irenaeum, & Cotelerius in Constit. Apostol. lib. VII. cap. 46. Epiphanium, dum Haeresi XLI. num 1. ait Hyginum fuisse *nonum ab Apostolis* enumerasse Pontifices Romanos, *omisso Petro*, ideoque favere iis, qui Cletum distinguunt ab Anacleto: quod & aiunt de Cypriano eadem afferente Epist. 74. ad Pompeium. Ita ratiocinatur Sandinus Disput. IV. ad Vitas Pontif. pag. 41. Nam etsi Hyginus dicatur nonus, *omisso Petro*; tamen excluditur Anacletus, ut constat ex loco a nobis producto Epiphanii, Haeresi XXVII. quae est Carpocratianorum, ubi duos ponit Evaristos, & ait: *Romanorum Pontificum ista successio est; Petrus & Paulus, Linus, Cletus, Clemens, Evaristus, Alexander, Xistus, Telesphorus, Evaristus, Hyginus*. Vides Hyginum nonum esse post Petrum, & nihilominus exclusum Anacletum? Ad rem itaque non facit praecedens animadversio, sed fatendum est etiam Epiphanium nobis adversari; atque non alia adhibenda est responsio, quam a nobis nuper tradita. Sed de gravi hac quaestione dictum satis.


XXIV. *Anacleti Chronologia, acta quaedam, eique suppositae Decretales.*

XXIV. De Pontficatu Anacleti differentibus tria occurrunt revocanda ad examen; eius Chronotaxis, rerum gestarum synopsis, eique adscriptae Decretales. In Chronologia vero Anacleti discrepantes opiniones offendimus. Baronius, & qui eum sequuntur, censent Anacletum sedisse annos novem, menses tres, ac dies 10. ab anno 103. usque ad annum 112. Vterque Pagius affirmat Anacletum Pontificatum tenuisse an. 12. menses 10. dies 3. ab anno 83. usque ad annum 95. Emmanuel a Schelestrate arbitratur sedisse duntaxat annis illis duobus, quibus Clemens in exilium pulsus, ne Romana Ecclesia maneret viduata Pastore, sese Pontificatu abdicavit, idest, ab anno Aer. Christi 98. usque ad annum 100. quo, ut diximus num. XX. & XXI. martyrio coronatus est S. Clemens. Munitur sententia Baronii auctoritate Libri Pontificalis, cui addi potest Codex vetustissimus Bibliothecae Palatino-Vaticanae: Pagio adstipulantur veteres Catalogi praemissi Criticae in Ecclesiasticos Baronii Annales, ex quibus etiam secundus, ac tertius tribuunt Anacleto annos 13. menses 10. dies 7. Emmanuel a Schelestrate, etsi omnia Vaticana lustraverit monumenta, nullum profert opinionis suae fulcimentum. Interim nos Pontificatus, seu potius Vicariatus eius initium statuimus in anno Christi 98. proptereaquod est demonstratum supra fuisse successorem, non praedecessorem Clementis; de eius obitu dicturi proximo saeculo, in quo contigit. De Anacleto traditur aedificasse memoriam, idest, Ecclesiam S. Petri, atque iuxta venerandas illius exuvias sepulcrum Pontificum Romanorum. Decretales, quae sub Anacleti nomine circumferuntur, quemadmodum & successorum eius usque ad Syricium, qui anno 385. successit Damaso, censentur ab omnibus fere Criticis suppositiitiae: atque earumdem Decretalium suppositionis notae sunt: Prima, stilus a flore, & elegantia primi & secundi saeculi alienus.



Secun-

Secunda, productio locorum S. Scripturae iuxta Vulgatam, quae priscis saeculis non obtinebat. Tertia, inserta illis verba Legum Imperialium ex Codice Theodosiano longe posteriori. Quarta, altum de iisdem Decretalibus etiam apud veteres Apostolicorum Decretorum collectores silentium. Quinta, quod illas nulla priorum saeculorum Synodus, nullus Pontifex laudaverit. Sexta, quod desiderentur in vetustissimo Codice Ecclesiae; postrema quod Nicolaus I. in Epist. ad Episcopos Angliae interrogatus de Litteris Apostolicis, quibus Episcopi uti debent in ferendis iudiciis, coepit illas enumerare a Silvestro & Syricio, nulla XXXIII. praecedentium Pontificum mentione facta. Haec de Romanae Urbis Episcopis, qui sederunt primo Christiano saeculo, idest, *Petro*, *Lino*, *Cleto*, *Clemente*, *&* *Anacleto*.



DIS-

DISSERTATIO II.

DE CONCILIIS PRIMI CHRISTIANI SAECVLI.

I. **De Conciliis primi Saeculi.**

I. SEDENTIBVS in Apostolica Cathedra Pontificibus superius enumeratis celebrata fuerunt tria Concilia, quae in Actibus Apostolicis commemorantur; primum, quo in locum Iudae proditoris elegerunt datis sortibus Mathiam, Act. Ap. cap. 1. 26. Alterum, in quo elegerunt septem Diaconos, Act. 6. 2. Tertium, in quo de Crircumcisione, ceterisque legalibus disceptatum fuit, Act. 15. 6. Praeter haec tria Concilia, quae in dubium nequeunt revocari, in quaestione positum est, an Apostoli in unum convenientes ediderint Symbolum Apostolicum, & Canones, qui Apostolici nuncupantur. Ad Concilium primum quod spectat, satis constat celebratum fuisse statim post Spiritus Sancti illapsum, idest, anno Aer. Vulg. 29. aut iuxta aliorum supputationem 33. Cur indictum fuerit, innuimus supra, nempe, ut in locum Iudae Iscariotis alter vir probus, ceterisque acceptus assumeretur Apostolico munere decorandus. At movere aliquem potest, cur nam duobus in medium constitutis, Ioseph, & Mathia, ad tantam dignitatem electio sorti committeretur; legitur enim cit. cap. 1. Act. Ap. *Et dederunt sortem eis, & cecidit sors super Mathiam*. Dicendum esse arbitramur id fuisse magna prudentia peractum: neque enim sortes datae sunt bonis aeque, ac malis, adeo ut sortitione posset improbus aliquis & indignus ad Apostolicam dignitatem extolli; sed datae sunt duobus universae multitudinis testimonio probatis, & paris in hominum existimatione virtutis ac meriti. Tali in casu sortes laudandae sunt, ac de iis legitur Prov. 18. *Contradictiones comprimit sors, & inter potentes quoque iudicat*. Civili quoque iure probantur, tum in communi hereditariorum bonorum distributione, cum ad discernendum quis actor sit, quis reus, si duo litem eodem tempore intentent. Sorte Samuel 1. Regum 10. elegit Tribum, ex qua eligendus erat Rex Israel: sorte David 1. Paralip. 24. distribuit ephemerias, & vices Levitarum; ac etiam Zaccharias Pater Ioannis Baptistae Luc. 1.

Sorte

Sorte exiit, ut adoleret incensum. Apostoli itaque duobus iustis, & aeque populo acceptis sortes dando secuti sunt veteris legis consuetudinem, prudenterque declinarunt invidiae suspicionem. Si dicas electiones sorte peractas damnari in Cap. *Ecclesia*, *de Sortilegiis*; responsio in promptu est, agi ibidem de electione, qua boni & mali indiscriminatim exponuntur incerto sortis eventui.

II. *Concilium alterum, & septem Diaconorum electio.*

II. In altero Concilio, de quo Act. 6. septem Diaconi, Stephanus, Philippus, Prochorus, Nicanor, Timon, Parmenas, & Nicolaus Antiochenus, selecti fuere, atque ab Apostolis ad ministerium ordinati *manuum impositione*. Oritur quaestio nos inter, & Heterodoxos, num ordinatio huiusmodi fuerit Sacramentalis; quod illi negant. Primo, quia citato cap. 6. legitur fuisse mensarum, viduarumque administros. Secundo, quia S. Hieronymus Epist. ad Evang. carpens quorumdam Diaconorum, qui se Presbyteris aequiparabant, audaciam, *Quis patiatur*, inquit, *ut mensarum & viduarum minister super eos tumidus se efferat, ad quorum preces Corpus Christi, Sanguisque conficitur?* Tertio quia Chrysostomus & Oecumenius scribunt, Diaconos non accepisse ordinationem secundum gradum, qui nunc est in Ecclesia, sed constitutos fuisse, uti appellantur, *Diaconos*, scilicet, Ministros. Nihilotamen minus asserendum est septem Diaconos ad sacrum ministerium fuisse Ordinis Sacramento promotos. Nam ex ipsa Evangelica Historia constat fuisse inauguratos manuum impositione, postquam insignis illorum probitas & Scripturarum Sanctarum peritia fuit plebis testimonio comprobata, postea vero Christum annuntiasse, & regenerationis lavacrum neophytis contulisse. In quibus advertimus tum requisita ad ministrum profanum minime necessaria, tum ordinationem peractam impositis Apostolorum manibus, tum denique officium ab ipsis Diaconis consequenter exhibitum, Sacrum, & Ecclesiasticum. Accedunt PP. inter quos Cyprianus Ep. 68. inquirens cur Apostoli in electione Diaconorum plebem convocaverint, id factum ait, *ne quis ad altaris ministerium indignus obreperet.* Eusebius lib. 1I. H. E. cap. 1. & Chrysostomus Hom. 13. in Act. Apostolorum affirmant, septem illos Diaconos ordinatos fuisse *Chirotonia*, *prece*, *& Dei operatione hominum operi coniuncta*: atque Arator in Hist. Apost. inquit:

Iura ministerii sacris altaribus apti
In septem statuere viros, quos undique lectos
Levitas vocitare placet.

Ad obiecta vero Haereticorum haec sit responsio. Verissimum est, septem Diaconos occasione murmuris Graecorum fuisse electos, ut quotidianis ministeriis, communisque mensae directioni praeessent; sed ut simul oblationes fidelium a sacris ministris distribuerentur, & iis maior exhiberetur reverentia, sacro simul charectere fuisse insigni-

insignitos, praesertim quod ex laudatis oblationibus etiam Eucharistia conficiebatur, quam & ipsi Diaconi mensarum praesides dispensabant. Atque his corruit obiectio prima. At Hieronymus appellavit Diaconos, *mensarum, viduarumque ministros*, ad comprimendam quorumdam Diaconorum, qui se Presbyteris comparabant, temeritatem & arrogantiam, quod recte factum ab egregio Doctore, quum longe praestantius sit munus Eucharistiam conficere, quam praeesse mensis, illamque discumbentibus tantummodo ministrare: sed in fine eiusdem Epistolae fatetur Hieronymus hoc esse Diaconos in Ecclesia Christi, quod fuerunt Levitae in Tabernaculo foederis; quos fuisse a filiis Israel segregatos, & sacris ministeriis addictos nullus ignorat. Chrysostomus denique, & Oecumenius asserunt, Apostolorum tempore, Ecclesia nondum formata, & singulis Ecclesiasticis Ordinibus nondum instructa, non fuisse *quoad nomen* aut Diaconos, aut Episcopos a Praesbyteris segregatos; interea tamen fuisse illorum *Ordinationes*; nimirum tunc apparuit Pastorum, sacrorumque ministrorum discrimen, quando Ecclesia formata suos unicuique constituit gradus, suumque ministerium. Haec autem de quaestione proposita, & de secundo Apostolorum Concilio.

III. *Tertium Hierosolymitanum Concilium.*

III. De tertio Concilio, quod in causa Circumcisionis, aliorumque Mosaicae Legis rituum, circa annum Aer. Vulg. 50. celebratum fuit, agendum est modo; & eiusdem Concilii causa, Apostolorum oeconomia, ac definitio, sunt exponenda. Ad primum quod attinet, fuere qui etiam promulgato Evangelio putarunt legem Mosis esse servandam: quod in Paulina ad Galatas Epistola, & in Act. Apost. cap. 15. dicitur *Legis onus imponere*; & appellatur haeresis *Pharisaeorum*. Iidem Apostoli ante sufficientem Evangelii promulgationem, tametsi lex vetus mortua erat, nec obstringebat amplius, aliquando eam servarunt; nam Paulus Apostolus se totondit in Cenchris (portus erat Corinthiorum) circumcidit Timothaeum, & exercuit nudipedalia; sed quoniam id ex dispensatione quadam, non ex praecepto agebat, Petrum ad haec gentes ad Christum conversas cogentem reprehendit, ut diximus num XIII. Qua in re dissimulatione quadam usos Apostolos nonnulli post Hieronymum docuerunt, quibus postmodum adhaesere officiosi mendacii, & dissimulationis patroni; aliis contendentibus cum Augustino, Apostolos serio se gessisse animo, eo quod legalia nondum essent mortifera. Vbi vero exorta est haeresis, ea necessaria ad salutem autumans, coacta Synodo definitum est, onus illud non esse credentibus imponendum, atque ulterius latum praeceptum ut abstinerent se ab immolatis simulacrorum, a sanguine, & suffocato, & a fornicatione. Haec est causa Hierosolymitani Conventus, haec Apostolorum oeconomia, haec definitio; de quibus singillatim est disserendum. Quantum igitur ad legalia spectat, statim a passione Domini mortua fuere; sed non statim mortifera. Primum ostenditur ex

Apostolo ad Heb. 7. ubi ait translato Sacerdotio legem transferri, Christum omnem expiationem consummasse, & aeterna redemptione inventa introisse semel in Sancta, atque factum esse novi Testamenti mediatorem morte intercedente. Vbi ergo in Cruce seipsum obtulit, vetus Testamentum fuit abrogatum, omnesque figurae completae, quod & ostendit velum templi in duas partes discissum. Ceterum non statim *mortifera* evasere legalia, & aliquandiu ea servare ad vitandum scandalum, & Iudaeos lucrifaciendos, fas fuit. Probatur exemplo Pauli Apostoli, de quo paullo supra, necnon Petri, qui Act. 10. se ab immundis cibis abstinuit, & Iacobi, qui Iudaeorum purificationes servavit. Demonstrandum quippe erat legem veterem non fuisse malam, ac exitiosam; & veluti cadaver, cum honore deducenda erat ad tumulum. Legite Augustinum Epist. 82. alias 19. In tali observatione Apostolos non fuisse usos simulatione inde colligimus, quoniam Paulus ad Galatas testatur Petrum, qui cogebat Gentes iudaizare, fuisse revera reprehensibilem, & quoniam in causa religionis simulare, sententia quidem nostra, illicitum est ac mortiferum. Cum itaque legalia aliquandiu a passione Domini fuerint solummodo permissa, sed non proficua, neque ad salutem necessaria, bene sapienterque Apostoli in Hierosolymitano Conventu statuerunt onus legis, idest, Circumcisionem, aliaque mandata legalia non esse ulterius imponenda fidelibus. Dixi de eiusdem Apostolici Conventus causa, circumstantiis, definitione.

IV.
Alter Hierosolymitani Concilii definitio explicatur.

IV. At enim quid causae fuit, ut praeciperent etiam abstinentiam *ab immolatis*, *a sanguine*, *a suffocato*, *& a fornicatione?* Annon abstinere *a sanguine* est mandatum Legis Mosaicae cap. 7. Levitici? Sunt viri docti, qui putant *sanguinis* nomine intelligi homicidium, & nomine *suffocationis* violentam oppressionem miserorum. Alii existimant hoc praeceptum revera latum de cibis legalibus, ne Iudaei vitarent Gentilium consuetudinem. Neutram sententiam probo; non primam, quia non video cur duo tantum scelera, homicidium, & fornicatio, non alia complura praeter immolationem victimarum fuerint novis credentibus inhibenda: non alteram, quia praeter delectum ciborum alia plurima a Iudaeis servabantur. Quare arbitror mandatum, de quo sermo est, bene sapienterque fuisse latum, ut gentes ad Christum conversae ea caverent, quae illas ad idolorum cultum iterum adduxissent. Inter quae veniunt priori loco *immolata simulacrorum*, idest, carnes victimarum, quas ob idololatriam prohiberi perspicua res est. Sequitur *sanguis*, idest animalium mactatorum cruor, quo Ethnici cibos reliquos perfundebant, ut scribunt Origenes, Tertullianus, Minutius Felix. Prohibetur deinde *suffocatum*, quo nomine venit animal Daemoni suffocatione immolatum, ut observarunt Guilelmus Parisiensis de Legib. cap. 8. Alexander Alensis 3. p. q. 55. Demum indicitur, ut caveant a *fornicatione*, nam Gentes prope

Deo-

Deorum suorum templa lucos habebant scortationis causa; ad quos Neophyti accedentes, non tantum vacassent impudicitiae, verum etiam facile rediissent ad superstitionem, atque idololatriam; ob quam proinde eliminandam praeceptum illud Hierosolymitani Concilii, de quo egimus, fuit saluberrime promulgatum.

De Symbolo Apostolorum.

V. Praeter Concilia, Conventusque Apostolicos, de quibus pertractatum est supra, oritur quaestio, num Apostoli in unum convenerint, ut certam Fidei regulam & confessionem statuerent, sive ut ederent *Symbolum Apostolicum*. Negant id enim Laurentius Valla, Erasmus, Brentius, Calvinus, Vossius, Basnagius, Dupin, aliique, his perducti momentis. Primo qui *Symbolum Apostolis* attribuunt, non conveniunt de tempore, de modo, de loco, & de fine, quo illud condiderint. Deinde nullum quatuor primis Ecclesiae Saeculis, & ante Rufinum Aquileiensem possumus invenire, a quo proditum sit, Apostolos fuisse eiusdem *Symboli* conditores. Praeterea si Apostoli fuissent illius auctores, in Actibus Apostolicis hoc litteris consignasset S. Lucas Evangelista. Insuper receptum fuisset Symbolum in Canone Scripturarum Sanctarum. Ad haec Patres priorum saeculorum, si hoc extitisset Symbolum, eius usi fuissent auctoritate ad haereses profligandas. Tandem non alia ratione *Apostolicum* dici videtur, nisi quia doctrinam continet Apostolicam. Verum ab Apostolis editum longe est probabilius, atque citra temeritatis notam nequit negari. Primum quia iuxta regulam a Tertulliano, & Augustino traditam, Quod semper Ecclesia tenuit, nec in aliquo Concilio institutum adinvenitur, ab Apostolis est repetendum: Apostolicum vero *Symbolum* in Ecclesia semper obtinuit, nec aliquo Concilio editum invenitur: Ab Apostolis itaque originem trahit suam. Praeterea Irenaeus lib. 1. adv. H. cap. 2. ait, *Ecclesiam illud accepisse ab Apostolis*. Tertullianus adversus Praxeam scribit, *ab initio Evangelii decucurrisse*. Hieronymus Epist. 38. ad Pammachium inquit, *fuisse ab Apostolis traditum*. Similia alii PP. apud Natalem Alexandr. Diss. II. Saeculi 1. Tertio sententiam oppositam magnae temeritatis redarguerunt Sacra Facultas Parisiensis adv. Erasmum, & Sacra Facultas Coloniensis adv. Monhemium. Tandem accedit ratio, nam Apostoli debebant ex Domini praecepto praeter infantes baptizare adultos iam Fide formatos, & credentes; ideoque Fidei regulam & confessionem ab illis, priusquam tingerentur, exigere. Quid ergo probabilius, quam hanc Fidei regulam, *Symbolum* appellatam, instituisse, quae Catechumenis traderetur, atque ante mysticum lavacrum ab iisdem recitaretur, & quae ubique terrarum una esset, invariabilis, iisdemque constans articulis? Itaque ad obiecta superius proposita ad hunc modum respondemus. Ad primum dicimus, non convenire Patres circa tempus, locum, & finem conditi *Symboli*; convenire in hoc, quod conditum sit ab

Apostolis, ideoque huius rei circumstantias, nempe tempus, locum, & finem controverti posse; sed quod caput est, & veluti rei substantia, ob consensionem unanimem temere audacterque negari. Ut vero etiam de circumstantiis illis dicamus aliqua; haud inverisimile existimamus editum ab Apostolis *Symbolum* Hierosolymis simul & in unum conferentibus, priusquam dividerentur, ut quocumque profecti essent, unam eamdemque Catechumenis traderent Fidei normam, ac tesseram: nam quod aiunt aliqui, unumquemque Apostolum edidisse unum tantum articulum, quoniam huius sententiae nulla ratio profertur, nobis omnino non probatur: quod vero nos affirmamus, & consentaneum est, & scriptum quoque a Leone Magno Epist. 96. ad Pulcheriam Augustam, & ab Innoc. III. lib. II. de Myst. Miss. cap. 49. Proxima obiectio retunditur Irenaei, Tertulliani, & Hieronymi testimonio superius producto. Duo, quae proxime consequuntur, refutantur dicendo traditum fuisse *Symbolum*, ut commendaretur memoriae, ideoque nec Scripturarum Canoni, neque Apostolicis Actibus fuisse insertum. Neque enim poterat aut oblivione deleri, aut ab aliquibus ignorari, quod profiteri singuli tenebantur; ideoque traditione sola, & absque scriptis Canonicis poterat perpetuo & firmiter custodiri. Quod subiicitur, facile diluitur, dicendo idcirco Tertullianum de Praescript. cap. 13. & Irenaeum lib. II. cap. 1. Symbolum Apostolicum laudasse, ut ostenderent eidem Symbolo haereses, quas oppugnant, directe adversari. Ad postremum reponimus, non inniti assertionem nostram soli nominis etymologiae, quamquam *Apostolicum* proprie sonat id, quod ab Apostolis fuit traditum atque institutum, ut *Apostolica Fides*, *Apostolicae Ecclesiae Cathedra*, *Sedesque Apostolica*, aliaque id genus plura.

VI. *Quo loco habendi sint Canones Apostolici.*

VI. Laudantur praeterea a Iureconsultis non semel *Canones Apostolici*, quos ab iisdem Apostolis in aliqua peculiari Synodo, aut in una ex supradictis fuisse editos, fuit plurimorum opinio. De eorum numero, origine, atque auctoritate agendum est paucis. Numerus videtur nobis incertus: siquidem in Collectione Gentiani Herveti habentur Canones Apostolici num. 84. Apud Gratianum Cap. *Sexaginta*, Dist. 16. dicuntur num. 60. In Epistola Zephyrini ibidem laudata, 70. In sequenti cap. *Placuit*, dicuntur *Apostolorum* 85. *capitula*: in vetustioribus Codicibus Canones Occidentalis Ecclesiae dicuntur *numero* 50. duntaxat. Vide tom. 1. Conciliorum Collectionis Labbeanae. Haec de numero. Horum autem Canonum nonnullos obtinuisse a primis Ecclesiae saeculis demonstratur primo ex Concilio Nicaeno celebrato anno Christi 325. a quo priori Canone praecipitur, ne Eunuchi excludantur a statu Clericorum, si vim a barbaris perpessi fuerint inviti, addita hac ratione, *Tales quippe admittit Canon*. Innuitur autem his verbis

Canon

Canon 21. ex Apostolicis. Secundo, ab eadem Generali Synodo Canone II. praecipitur, ne baptizati statim promoveantur ad Episcopatum, vel Presbyteratum, producto Canone Apostolico, qui in Collect. Herveti est 79. Synodus item Antiochena celebrata anno 341. confirmavit Canones 25. quos omnes convenire cum totidem ex Apostolicis constat ex collatione eorumdem Canonum apud Cotelerium Vol II. PP. Apostolicorum pag. 17. Etiam Ecclesiae Patres horum Canonum meminerunt, praesertim S. Athanasius in Epistola ad Orthodoxos, & in Apologia de Fuga sua, atque S. Basilius in Epist. ad Amphilochium. Itaque iam ab anno Christi 370. aliqui saltem horum Canonum notissimi erant, & a nonnullis Patrum producebantur. Atque de ipsorum Canonum vetustate & origine haec perpauca. Quantum spectat ad Apostolicorum Canonum auctoritatem, arbitror Codicem, in quo comprehenduntur Canones 84. Gentiano Herveto collectore & interprete, ob insertos nonnullos Canones apocryphos nullius esse ponderis; Canones vero 50. collecti, ut titulus praefert, a Dionysio, ex Apostolicis fontibus derivasse, & esse recipiendos. Prior pars probatur ex Decreto Gelasii cap. *S. Romana*, dist. 15. ubi legitur, *Liber Canonum Apostolorum apocryphus*, & ex illa definitione Leonis IX. adversus Nicetam, in qua habetur: *Petri Apostoli itinerarium, & Apostolorum Canones numerant Patres inter apocryphos, exceptis 50. Capitulis, quae decreverunt Orthodoxae Fidei adiungenda*. Pars altera constat ex definitione nuper producta, quae habetur apud Gratianum Distinct. 15. cap. 3. atque ex Act. 4. Synodi Lateranensis celebratae sub Stephano IV. an 769. contra Iconomachos, ubi haec habentur. *Non amplius suscipiantur Apostolicorum Canonum prolata per S. Clementem, nisi quinquaginta capita, quae suscipit S. Dei Catholica Romana Ecclesia*. Atque haec de Conciliis primo saeculo celebratis auctoritate ac praesentia Apostolorum, de Symbolo ab ipsis condito, & de Canonibus illorum nomine inscriptis.



DIS-

DISSERTATIO III.

DE PRIMI CHRISTIANI SAECVLI HAERESIBVS.

I. *Primi Saeculi enumerantur haereses.*

I. HAERETICI, si vim nominis attendas, proprie dicuntur qui contra communem sententiam eligunt peculiarem aliquam, sibique propriam opinionem; & Haeresis pariter nil aliud sonat vi grammaticalis significationis, quam electionem, & alicui sectae adhaesionem. Vsitata vero acceptione *haeresim* dicimus errorem, cui aliquis pertinaci animo adhaereat adversus Dogma aliquod Fidei Catholicae, haereticumque appellamus erroris eiusdem assertorem. Etsi autem S. Clemens Alexandrinus lib. VII. Stromatum ait, haereses primum in Ecclesiam erupisse imperante Hadriano, idest, secundo Christiani nominis saeculo, quoniam revera tunc complures & perniciosissimae Haereticorum sectae fuerunt exortae; non defuere tamen ab Ecclesiae incunabulis qui portenta haereseon disseminarunt. Fuerunt hi Simon, Cerinthus, Menander, Ebion, Saturninus, Basilides, & Nicolaus. Hegesippus apud Eusebium ait, primum omnium haereses induxisse in Ecclesiam Thebutim quemdam aegre ferentem, quod consequi non potuisset Episcopatum. Sed cum prorsus ingnoretur quisnam ille fuerit, quidve dogmatizaverit, neque ipsius haeresis in Sectam aliquam, cuius in Ecclesiastica Historia mentio fit, coaluerit; nil habemus ultra, quod de hoc Thebuti dicamus.

II. *De prima haeresi, quae est Simoniana.*

II. Itaque primae haereseos auctor fuit Simon, de quo nonnulla num. XIII. Simon ortum duxit e Gitthis Samariae oppido, ut in Panario Haer. 21. ait Epiphanius, atque baptizatus fuit a Philippo Diacono, Act. 8. Romam venisse, ibique Neroni praestigiis addictissimo fuisse acceptum, dictum est alibi; ubi etiam de eius volatu, exituque miserrimo. Iustinus Martyr, aliique ipsum secuti aiunt Romae eidem Simoni statuam fuisse erectam cum inscriptione *Simoni Deo Sancto*. At post observatam in Insula Tiberina vetustam inscriptionem, *Semoni Sango Deo Fidio*, Critici omnes in eam conspirarunt sententiam, Iustinum fuisse eadem inscriptione deceptum

ceptum. Ita Dionysius Petavius in Epiphanium, Henricus Valesius in lib. II. Eusebii, Herardus in Arnobium, Blondellus de Sybillis cap. 2. ac deinceps alii omnes, cum Heterodoxi, tum Catholici. Ego tamen in eam sententiam aegre adducor, ut credam S. Iustinum, & ipsum in Samaria natum, cui non deerat rerum ad Simonem spectantium plena notitia, & qui Romae diu habuit domicilium, in errorem, ob erectam Deo Semoni statuam, fuisse prolapsum. Haud enim repugnare arbitror, quin a Romanis plurimorum Deorum cultoribus simulacrum unum erectum fuerit Deo, quem Sabini a sanciendo foedere *Sanctum*, atque a fide *Fidium* dixere; & simulacrum aliud erectum Simoni, quem Samaritae fere omnes, & gentes aliae ut Deum coluerunt. Vtut sit, Simoniana haeresis tertio saeculo penitus erat extincta, scribente Origene lib. VI. contra Celsum: *Nunc nusquam gentium extant Simoniani*. Praecipuus Simonis error fuit, posse Dona Spiritus Sancti exhibita pecunia obtineri, ut habetur Act. 8. Hic tamen error ad eius asseclas non pertransiit, ideoque posteriorum saeculorum Simoniaci censendi sunt ipsis antiquis Simonianis deteriores & scelestiores. Dogmatizavit praeterea Simon, se Deum esse, qui nunc Patris, nunc Filii, nunc Spiritus Sancti nomine assumpto, Iudaeis legem dederit, imperante Tiberio tanquam homo apparuerit, & postea super Christi discipulos fuerit illapsus. Ita docent Tertull. de An. cap. 34. Irenaeus lib. I. cap. 20. & Augustinus de Haeresibus. S. Epiphanius addit Helenae, quam deperibat, imaginem sub Minervae nomine gregariis suis adorandam proposuisse. Vlterius Angelis latriae cultum exhibuit, ut refert Tertullianus de Praescript. cap. 33. Eosdem Angelos huius Mundi opifices & conditores existimavit, atque propugnans sententiam de transmigratione animorum negavit etiam futuram corporum resurrectionem: quos postremos errores a Simone fuisse traditos Epiphanius, Irenaeus, Augustinus, Tertullianus, aliique omnes consentiunt. Quamobrem hos brevissime profligabimus; nam praecedentes ab omnibus Moralis, & Dogmaticae Theologiae tractatoribus refelluntur, atque oppugnantur.

III. *Angelos non fuisse Mundi opifices demonstratur adversus Simonianos.*

III. Itaque Mundum non esse ab Angelis conditum divinis litteris, traditione PP. & ratione suadetur: divinis quidem litteris, quoniam id asseritur Geneseos initio, & cap. 14. Psalmo 52. Iobi cap. 9. in Exordio Evangelii Ioannis, & Act. 17. ubi narratur Apostoli Pauli concio in Atheniensi Areopago: traditione, quia haec est non solum Patrum universorum, sed etiam Philosophorum, ac Gentium (si Atheos excipias tantummodo) firmissima persuasio; ratione demum, quoniam & ex nihilo rem producere infinitae virtutis est, & ulterius Angeli vel Deo iubente, vel eo invito molem hanc produxissent: quorum primum si dicatur, iam Deus opificii huius primus

est

est auctor: si asseratur alterum, Deus omnipotens non est, quo nolente coelestes Spiritus tam grandia opera moliuntur. Si dicas: Annon Geneseos principio dicitur, mundum condidisse *Elohim*, quo vocabulo pluralis numeri nequit Deus unus intelligi? Respondent Theologi & hebraica sintaxi nomen pluralis numeri cum verbo numeri singularis connecti, & in eodem capite semel iterumque Deum conditorem universorum designari nomine proprio, & tetragrammato, quo nuspiam Angeli denotantur. Si rursus petas, cur vero in Genesi nulla productionis Angelorum fit mentio, nisi forte quia ipsi non producti sunt, sed potius productarum rerum opifices & architecti? Reponent iidem Theologi, consilium Mosis fuisse rerum, quae sub adspectum cadunt, constituere narrationem; Angelos tamen postea commemorasse tanquam Dei nuncios & administros, ne quis illos dominos, supremosque rerum creatarum artifices suspicaretur. Atque his exploditur Simonianorum error primus.

IV. *Error alter Simonis refellitur.*

IV. Alterum Simonianae hereseos Dogma de animorum transmigratione opponitur Sacris Litteris, assereute Ecclesiaste cap. 12. resoluto in terram suam corpore spiritum redire ad Dominum, qui fecit illum, & Apostolo ingemiscente, vehementerque optante ut quamcitius de corpore mortis huius liberaretur, futurus cum Domino. Refellitur quoque ab Ecclesiae PP. rationibus pluribus: ab Iraenaeo, quoniam nemo reminiscitur eorum, quae in alio corpore perpetravit, ideoque commentitia imaginatione transitus de uno in aliud corpus asseritur: a Tertulliano, quia si animi deteriora corpora subirent in poenam patratorum criminum, deberent quoque praeteritorum factorum, quae in alio gesserunt corpore, conscientia torqueri: ab Augustino, quoniam si etiam animalia bruta spiritum eiusdem cum nostro conditionis haberent, & ipsa imaginem divinam gererent, atque magna crudelitate vapularent, & humanis deputarentur servitiis. De his legendi Irenaeus lib. II. cap. 33. Tertullianus de Anima, & Aug. cap. 12. contra Adimantum discipulum Manichaei. Sed cur est, inquiunt, quod regius Vates Ps. 146. ait pullos corvorum invocare Dominum, & Christus de Baptista Math. 11. dixit, *Ipse est Elias*, si rationalis anima in corvorum corpus, & Eliae spiritus in corpus Praecursoris non pertransiit? Respondemus, Psalmistam commendare Dei providentiam, quae etiam corvorum pullos, quae a parentibus, uti mos est volucrumceterorum, non pascuntur, crocitantes enutrit; Baptistam vero, qui non semel interrogatus (an esset Elias, id ingenue negavit, dici Eliam officii & muneris similitudine, nimirum quod sicut Elias Christo venturo ad iudicium praeibit, ita Ioannes Baptista venienti ad redimendum Mundum praecucurrit, & viam praeparavit. His vero secunda quoque haeresis Simoniana, quantum ad sacram eruditionem attinet, refutata est: quae enim ad Philosophiam Pythagorae, Em-

Empedoclis, & Platonis similia dogmatizantium spectant, nostrum non est in praesentia discutere.

V. Corporum nostrorum in Mundi fine futuram esse resurrectionem, ut unusquisque in carne sua referat quidquid gessit, sive bonum, sive malum, adversus Simonianam haeresim profitemur, & momentis hisce demonstramus. Perspicue id traditur in Sacris Litteris. Iobus enim cap. 19. ait: *Scio quia Redemptor meus vivit, & in novissimo die „ &c.* Psal. 40. *Nunquid qui dormit non adiiciet, ut resurgat?* Ezech. 37. *Aperiam tumulos vestros, & educam vos de tumulis vestris, popule meus.* Dan. 12. *Qui dormiunt in terrae pulvere, evigilabunt.* Idem ex novo Testamento probatur; nam legitur Matth. 22. *De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est a Domino, Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium:* & Apostolus 1. ad Corinthios cap. 15. inquit: *Si autem Christus praedicatur, quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt quod resurrectio non est? Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit, inanis est ergo praedicatio nostra, inanis fides nostra.* Patres autem non solum hoc Fidei dogma tradiderunt, sed etiam locupletissime exornarunt, praesertim Tertullianus de Resurrectione Carnis, Cyrillus Hierosolym. Catech. 18. Theodoretus lib. v. H. Fabul. cap. 19. Ambrosius in lib. de Fide Resurrect. Hieronymus Ep. 61. Augustinus lib. xx. & xxii. de Civ. Dei, & Gregorius Magnus lib. xiv. Moral. cap. 27. & seqq. Ex rationibus autem, quae a Patribus productae sunt, ea nobis videtur planior, quod non omnia peccata ab hominibus sola ira perpetrantur, sed permulta, atque omnia ea, quibus voluptati rerum sensibilium indulgent, corpore, tanquam instrumento committuntur, bonorum item caro animae consociata particeps est; ideoque congruit quammaxime, ut homo totus, idest, spiritus corpori iterum coniunctus Dei subiiciatur iudicio, & eorum, quae gessit in carne, in carne referat aut coronam, aut poenam. His tria praesertim videntur opposita. Primum quod Apostolus 1. ad Corinth. 15. ait, *Caro & sanguis regnum Dei nomen possidebunt:* Secundum, quod multa morientium corpora dispersa sunt, & in ferina quoque membra fuerunt commutata, innumeri item homines claudi, caeci, ac mutilati nascuntur; quos in tali resurrecturos esse corpore, res est inverisimilis & absurda. Tertium, quod si daretur resurrectio, idem non foret corpus sed omnino aliud e pulvere rursus compactum, imo & diversis omnino qualitatibus adfectum; ideoque corruit ratio, quam diximus ceteris robustiorem. Verum ad haec respondemus; Apostolum ubi ait, *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt,* loqui de iis, qui carnis desideria sectantes non habent Dei Spiritum, neque resurgent ad gloriam, sed resurgent in re-

V. *De futura corporum resurrectione.*

ſurrectione iudicii, ut explicat Irenaeus: vel dicimus, *carnem & ſanguinem ab Apoſtolo commemorari* non ſecundum corporis humani ſubſtantiam, ſed ſecundum corruptionem; quae expoſitio cohaeret iis, quae immediate ſubiiciuntur, *Neque corruptio incorruptionem poſſidebit*. Quod opponitur ſecundo loco, diluitur a Tertulliano in praecitato libro de Reſurrect. Carnis cap. 17. his verbis: *Si Caro a reſurrectione reparabitur, multo magis de vexatione revocabitur. Minoribus maiora praeſcribuntur. Si univerſalis mors reſurrectione reſcinditur, quid portionalis? Si demutamur in gloriam, quanto magis in incolumitatem?* Auguſtinus vero de Civit. Dei Lib. xxii. cap. 20. reſpondet, nullum haberi ſinum, nullumque ſecretum naturae, ubi humana corpora, aut iſtorum particulae lateant, quod effugiat Creatoris omnium cognitionem, & poteſtatem. Idem Auguſtinus ait, omnes ſuſcitandos eſſe integris membris, quoniam licet illa non habeant in mole, habent tamen latenter in ſemine. Ad poſtremum reponimus, reſurgentium corpora, licet conditione diverſa, futura eadem quoad ſubſtantiam; ad cuius individuam naturam ſat eſt, ſi partes, quas praecipuas & integrantes vocant, divina virtus inſtauret: atque haereſis Simonianae refutationem abſolvimus verbis Prudentii in fine Apotheoſeos:

Qui modo vivit, erit: nec me vel dente, vel ungue
Fraudatum revomet patefacti foſſa ſepulcbri.

VI. *Haereſis Cerinthi deſcribitur.*

VI. Poſt Simonem de Cerintho dicendum eſt. Hunc Aſiaticum genere appellat S. Irenaeus, & errores ſuos diſſeminaſſe viventibus adhuc Apoſtolis ſcribunt Epiphanius H. 28. & Philaſtrius de Haereſi Cerinthiana. Errores Cerinthi fuerunt I. Negare, Deum eſſe conditorem Mundi, ex Irenaeo lib. I. cap. 25. & ex Theodoreto lib. II. haeret. fabul. cap. 5. II. Aſſerere legem Moſis etiamnum ad ſalutem neceſſariam eſſe, ex Epiphanio & Auguſtino de haereſ. III. Chriſtum Dominum ex Ioſepho & Maria procreatum fuiſſe, nec Deum eſſe, ſed purum hominem; imo duas in ipſo reperiri perſonas, Ieſum e Maria genitum, & Chriſtum, qui in Ieſum deſcenderit quando baptizatus fuit a Ioanne; ita Irenaeus, Epiphanius & Theodoretus. IV. Dogmatizavit Cerinthus poſt reſurrectionem futurum in terris Regnum mille annorum, quibus Sancti cum Chriſto regnantes in Civitate Ieruſalem omnibus terrenis voluptatibus ſatiandi ſint: ita Euſebius lib. vi. Hiſt. Eccl. cap. 22. & S. Dionyſius Alexandrinus lib. II. Promiſſionum. Hinc Cerinthiani appellati fuerunt Chiliaſtae quoque, & Milliarii, ſive Millenarii, necnon Merinthiani, a Merintho quodam Cerinthianae haereſeos propagatore. Advertendum eſt regnum Millenariorum a Papia, & a PP. nonnullis aſſertum longe diſcrepare ab errore Cerinthi; non enim illi opinabantur in fictitio illo mille

mille annorum regno carnalibus voluptatibus, simulque Iudaicis ritibus esse incumbendum. Tandem Cerinthiani reiiciebant Evangelium Matthaei, praesertim ubi Evangelista pertractat de Christi Genealogia: & reiiciebant quoque Epistolas Pauli, quoniam scripsit, Domini passionem iis non prodesse, qui circumciduntur. Ex his vero Cerinthianis erroribus primus explosus est supra num. III. de secundo dictum satis Diss. II. n. 3. Remanent itaque refellendi tertius & quartus, de Christo, & de turpi & carnali Sanctorum regno. Ob blasphemias, quas nefarius homo de ipso Christo protulit, fertur adeo haeresiarcham illum fuisse Apostolis odio & horrori, ut cum S. Ioannes Evangelista quadam die accessisset ad balneum, animadvertens ibi Cerinthum morari, statim discesserit, veritus ne à ruente desuper mole opprimeretur. Aiunt etiam eumdem Ioannem Evangelium scripsisse adversus Cerinthum; quod verum esse inde constat, quod Ioannes asserit Verbi Dei ante susceptam carnem praeexistentiam, ab ipso omnia producta testatur, & fuisse docet priusquam accederet ad baptismum Ioannis: quibus palmaris Cerinthi error tertio loco descriptus aperte confoditur.

VII. *Cerinthiana haeresis refutatur.*

VII. Adversus Cerinthum firmissima fide tenendum est, Iesum Christum esse unam eamdemque personam, Deum esse, ac praeextitisse Incarnationi, neque a Iosepho procreatum, sed ex Virgine absque virili consortio natum in tempore. Quae cum adversus Arianos, Nestorianos, Fratresque Polonos sint rursus comprobanda, attingam nunc levi brachio. Christum non fuisse distinctum a Iesu, constat ex initio Evangelii Matthaei, ubi legitur, *Liber generationis Iesu Christi*: & v. 18. *Christi autem generatio sic erat*, quae verba expendens S. Irenaeus Lib. III. adv. haer. cap. 18. ait: *Poterat dicere Matthaeus, Iesu generatio sic erat, sed praevidens Spiritus Sanctus depravatores, & praemuniens contra fraudulentiam eorum per Matthaeum ait, Christi autem generatio sic erat*. Apostolus item ad Romanos cap. 5. ait: *Multo magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundavit*: quae verba pariter adversus Cerinthianos urget S. Martyr, atque ita ratiocinatur: *Si alter passus est, alter impassibilis mansit; & alter quidem natus est, alter non in eum, qui natus est, descendit; non unus, sed duo monstrantur*. Eumdem Iesum Christum Deum esse evincunt innumera illa Scripturae loca, in quibus appellatur Deus, Dominus, Vnigenitus Patris, Filius Dei vivi, Rex aeternus, *Vnum cum Patre*: quae opportuniori loco adversus Arianos sunt producenda. At non fuisse illum Iosephi filium ratione generationis, colligitur ex verbis Evangelistae cap. 1. *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*, & ex verbis Angeli Iosephum, dum cogitaret a se coniugem dimittere, ita alloquentis: *Noli temere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est*.

 De-

Demum ex Virgine Christum natum esse probatur ex celebri oraculo Esaiae cap. 7. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium*, quae verba de Christo Patres omnes interpretantur. Tria praesertim Cerinthiani olim, postea Carpocrates, Ebion, aliique Haeretici obiectarunt. Primum quod legitur in Epistola ad Galatas cap. 4. *Misit Deus filium suum factum ex muliere;* nam *mulier* significat feminam viro subactam. Alterum quod in Isaiae textu habeatur *Halma*, quae vox adolescentulam absconditam, non virginem, illibatamque puellam significat. Tertium quod occurrit Matth. 13. *Nonne hic est fabri filius? Nonne Mater eius dicitur Maria, & Fratres eius Iacobus & Ioses, & Simon & Iudas?* Vnde liquet Christo patrem Iosephum, fratresque saltim quatuor fuisse. Ad haec autem servato ordine respondemus: ac primum falsum est *mulieris* vocabulum virginibus non convenire, scribente Apostolo 1. ad Corinth. cap. 11. *Omnis autem mulier velet caput suum*, & Tertull. de Vel. Virginibus cap. 6. *Huius vocabuli proprietas ad sexum, non ad gradum sexus pertinet*. *Halma* vero, ut inquit Hieronymus Comment in 7. Isaiae, ubicumque reperitur, semper in Sacris Literis virginem designat. *Ostendant* (inquit S. Doctor) *Iudaei in Scripturis alicubi positum* Halma *ubi adolescentulam tantum, non virginem sonet, & concedimus eis illud quod in Isaia apud nos dicitur „* Ecce Virgo concipiet „ *non absconditam virginem, sed adolescentulam significare iam nuptam*. Admissa quoque versione Symmachi, & Aquilae, qui pro *virgine* reddiderunt *abditam*, & *absconditam*, tametsi unus Cerinthianus & Ebionita fuit, alter Proselytus; nulli feminarum magis quam virginibus domi latentibus, & virorum adspectui subductis convenit, ut vocitetur *abscondita*. Demum *fratres Domini* in Evangelio dicuntur eius consobrini ratione propinquitatis, ut contra Helvidium demonstrat Hieronymus ex consuetudine Scripturarum. Et revera inter fratres Domini commemoratur *Iacobus*, quem constat fuisse filium Alphaei & Mariae Cleophae. Ioseph autem fuit Christi Pater in hominum existimatione, ut diximus in Dissertat. De rebus ab eodem Christo gestis §. 25.

VIII. *Alterum Cerinthianum Dogma refellitur.*

VIII. Reiiciendum praeterea, atque inter aniles fabulas amandandum est Regnum mille annorum a Cerintho excogitatum; siquidem post corporum resurrectionem Sanctos simul cum Christo rapiendos in Coelum in Epist. ad Thessal. cap. 4. testatur Apostolus: Regnum Dei situm non esse *in esca & potu*, ipsemet Apostolus scribit in Epist. ad Rom. cap. 14. In resurrectione futuros omnes *sicut Angelos Dei*, sublatis connubiis, traditur in Evangelio Matthaei cap. 22. Neque his tantum monimentis refellitur Cerinthi insania, sed & Patrum doctrina, nonnullis commentum illud appellantibus *fabellam ac delirium*, cum Hieronymo in Epistola ad Hedibiam, & Auctore librorum de Coelesti Hierarchia cap. 7. quibusdam *stultam insaniam*, cum Ephrem Syro Opusc. 3. & Origene lib. II. Periarchon

cap.

cap. 12. permultis *carnalem & Iudaicam Scripturarum, divinarumque Promissionum interpretationem*, cum Caio Romanae Ecclesiae presbytero, & Dionysio Alexandrino apud Eusebium loco superius citato, necnon cum Augustino lib. xx. de Civitate Dei cap. 7. Postremo a ratione prorsus alienum est, instaurandam esse terrenam Ierusalem, excitandum iterum templum, fundendum sanguinem victimarum, posteaquam abominatio sempiterna a Daniele praenuntiata advenit, figurae omnes transierunt, & cruenta sacrificia abrogata sunt; promitti vero iustis deliciarum affluentiam, abundantiam ciborum, & carnalium cupiditatum oblectamenta, ut Augustini utar verbis, *nonnisi a carnalibus credi potest*. Quae facere videntur pro Cerinthiana haeresi, quamfacillime diluuntur. Primo loco venit vaticinium Ezechielis, qui cap. 37. praenuntiavit post resurrectionem Israelitarum in montibus Israel sub uno rege omnibus imperante diuturnam tranquillitatem: at Propheta litterali sensu locutus est de Iudaeorum populo a Babylonica captivitate in Palaestinam reducendo, simulque sensu spiritali de sempiterna felicitate coelorum, cuius typus erat terrestris Ierusalem, & terrae Chanaan ubertas. Sequuntur nonnulla Novi Testamenti loca, quae in Christi regno convivia, aliasque huiusmodi pollicentur delicias; nam Matth. 5. habetur, *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quia ipsi saturabuntur*. Lucae 22. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo*: ac demum ipse Christus estrema in coena recumbens, & Calicem vini, & quidem ex uvis expressi, manu tenens inquit: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, donec illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei*. Verum allata locorum istorum interpretatione, obiecta a Chiliastis evanescunt. Satietatis itaque nomine priori in loco designatur plenum spiritalis animi gaudium, ut in Ps. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua*; & sicuti ibidem esuries sitisque *metaphorice* dicta sunt, ita & saturitas. Secundo in loco, nisi mavis illum accipere de Eucharistia, coeleste regnum sub mensae apparatu describitur, phrasi a Sacris Litteris non aliena, ut Prov. 9. 5. Is. 65. 13. Ioannis 8. 31. idque ad gaudii plenitudinem, ad commune beatorum consortium, ad collatam auctoritatis amplitudinem commonstrandam. In tertio loco designari novimus Ecclesiam, quae Isaiae 5. & Hierem. 11. Vineae comparatur, tum ipsum Dominum, qui *Botrus* in Canticis, & *Vitis* nuncupatur in Evangelio; & ad rigorem quoque litterae tempus, quo idem Salvator post resurrectionem cum Discipulis suis manducavit & bibit, ut inquit Petrus Act. cap. 10. Hactenus de haeresi Cerinthiana.

IX. *De haeresibus Menandri, & Ebionis.*

IX. Paucis de Menandro, & Ebione pertractabimus, quoniam horum dogmata ab erroribus supra exagitatis parum discrepant

pant. De Menandro haec S. Irenaeus lib. 1. cap. 24. *Simonis successor fuit, Samarites genere, qui & ipse ad summum Magiae pervenit. Qui primam quidem virtutem virtutibus incognitam ait, se autem eum esse, qui missus sit ab invisibilibus, Salvatorem pro salute hominum: Mundum autem factum ab Angelis: Dari per eam, quae a se doceatur Magiam, scientiam ad ipsos Angelos, qui Mundum condiderunt, vincendos: resurrectionem per illud, quod in eum est, discipulos suos accipere, & ultra non posse mori, & perseverare non senescentes & immortales*. De hoc postremo errore Menandri etiam Iustinus in altera Apologia, Tertullianus de Anima cap. 50. & Epiphanius H. 23. Addit iste, Menandrum fuisse Simone praeceptore suo astutiorem, scholamque aperuisse Antiochiae ad Daphen. *Ebion* dicitur a Baronio ad An. 59. infensissimus hostis Apostoli Pauli; ac Lorinus in cap. 15. Act. Apostol. censet, Ebionem fuisse unum ex iis, qui sectae Pharisaeorum, existimantium necessariam observationem legalium, antesignani erant, ac duces. At recentiores Critici *Ebionis* nomen non personae, sed generis esse putant, quoniam idem Hebraica lingua *Ebionim* sonat, ac Latine *pauperes & mendici*. Et revera Pharisaei illi, cum Christo nomen dedissent, & adhuc legi Mosaicae adhaererent, tam Iudaeis, quam Gentilibus exosi erant, & ab utrisque segregati laborabant rerum omnium inopia. Interim sive *Ebionem* sectae ducem hominemque dicas, sive *Ebionitas* appellatos existimes Pharisaeos illos, Nazaraeosque a pauperie, despectoque vivendi genere; perspicuum est Ebioneos convenisse cum Cerinthianis in propugnanda veterum rituum necessitate; ideoque, *cum ceteros reciperent Apostolos, Paulum quasi transgressorem legis repudiabant*, ut inquit Hieronymus in caput 12. Matthaei. Lege eumdem S. Doctorem in Epist. 74. ad Augustinum, in qua ait, Cerinthianos & Ebionitas propter hoc a Patribus fuisse anathematizatos, *quod legis ceremonias cum Evangelio miscuerunt, & sic nova confessi sunt, ut vetera non amitterent*. Ebionitae item dicuntur dogmatizasse cum Cerintho, Christum genitum fuisse ex carnali concubitu: sed refutatis num. VI. Cerinthianis, plura de Ebionitis dicere non est opus.

X. *De Saturnino, ac Basilide.*

X. De *Saturnino*, quem Irenaeus cap. 22. & Epiphanius H. 22. *Saturnilum* dixere, ac de *Basilide* Alexandrino, qui Menandri Antiochiae auditores fuerunt, proximo loco est agendum. Etsi Baronius ad An. Christi 120. Saturnini haeresim erupisse sentiat imperante Hadriano, qui Traiano absque liberis defuncto successit anno Christi 117. Baronii tamen opinio nulla certa ratione nititur, atque sub Vespasiano in Syria venena sua Saturninum evomuisse Tillemontius, Alexander Natalis, Clericus, aliique exactiores litteris tradiderunt. Ea omnia dogmatizavit Saturninus, quae Menander, videlicet,

unum

unum esse Principium incognitum, a quo coelestes virtutes processerunt, mundum ab Angelis conditum, & ab iisdem creatum hominem, Deum Iudaeorum fuisse Angelorum unum; addiditque execrandum dogma, quod postea plurimi propugnarunt, duo esse hominum genera, malos substantia sua creatos a Daemone, & bonos, quorum causa Salvator advenerit, illos a malorum spirituum oppugnatione liberaturus: de quibus Saturnini erroribus Irenaeus, Epiphanius, Philastrius, aliique pertractant. At *Basilides* iactans se praeceptorem habuisse Glauciam quemdam interpretem S. Petri, ut inquit lib. VII. Strom. S. Clemens Alexandrinus, profectus in Aegyptum supradictis Menandri & Saturnini deliramentis nugas addidit a se confictas, ac praesertim propaginem Angelorum usque ad 365. a quibus totidem Coeli producti fuerint, ac totidem numero humani corporis membra, quorum unicuique sua praesit intelligentia. Horum principem Basilides appellabat Ἀβράξαν, cuius vocabuli Graecae litterae praedictum num. 365. conficiunt. Legite Epiphanium H. 24. Praelusit quoque Basilides errori Origenistarum de peccato ab animabus patrato in superiori vita, priusquam detruderentur in corpora, ut lib. IV. Strom. refert Alexandrinus Antistes; negavit Christum revera passum; reiiecit tanquam rem exitiosam Martyrium, propugnavit animorum transmigrationem, atque veteri Testamento reiecto, Prophetas a se confictos, quos barbara voce *Barcabam*, & *Barcoph* nominavit, audacter invexit, ediditque Pseudo-Evangelium, temere suomet nomine inscriptum, prout post Origenem scribit lib. I. in Lucam S. Ambrosius. Realem denique Christi in Eucharistia praesentiam denegasse Basilidem videntur asserere Ignatius Martyr in Epistola ad Smirnenses, ac Theodoritus in 3. Dialogorum. Quoniam vero huiusmodi portenta haereseon in Historica Diss. proximi saeculi, quo maiori audacia eruperunt, sunt refellenda; sufficere modo arbitramur, si Ecclesiasticae eruditionis cultores pervolutare studeant S. Irenaeum refellentem lib. I. cap. 65. figmentum de coelorum prodigioso atque fictitio numero, libro autem III. cap. 18. demonstrantem a Verbo Dei veram, non apparentem, & umbratilem assumptam fuisse carnem; atque de Saturnino ac Basilide haec dicta sint.

XI. *De haeresi Nicolaitarum, huiusque auctore.*

XI. *Nicolaitarum* haeresim erupisse temporibus Apostolorum constat ex cap. 2. Apocal. ubi Angelo Ephesi Ioannes haec scribere iussus est: *Scio, quia odisti facta Nicolaitarum, quae & ego odi*. Tametsi Nicolaitae superiorum haeresum Simonis ac Menandri, necnon posteriorum Carpocratis, & Valentini figmenta adoptarunt, propria tamen illorum assertio erat licitum esse mulierum etiam coniugatarum promiscuum usum; & ad hanc turpitudinem occultandam, simplicioresque decipiendos, novitate sermonis, ignotisque vocabulis abutebantur. Inter prolata ab illis nomina haec erant prae-

praecipua: *Prunicus*, *Barbelo*, *Ialdabaot*, *Kaulaucau*, *& Sabcoth*. „ *His verbis abuti solet immundissima haeresis apud simplices quoque ac deceptos, ut terrorem faciat novitate sermonum, quod scilicet qui haec verba cognoverit, & in coitu eorum meminerit, absque ulla dubitatione transeat ad regna coelorum* „ inquit in caput 18. Isaiae S. Heronymus. Nicolaitae etiam idolothitis, sive carnibus immolatitiis vescebantur, teste Irenaeo. Pertractant de iisdem Nicolaitis Epiphanius Haer. 25. Irenaeus lib. 1. cap. 27. Philastrius & Augustinus cap. 5. & Auctor Appendicis ad Opus Tertulliani de Praescripr. cap. 46. necnon recentiores omnes, qui de haeresibus scripsere. Hos inter de huius impurae sectae auctore non convenit: atque hunc fuisse *Nicolaum* Diaconum, unum ex septem de quibus egimus Diss. II. n. 2. asserunt Irenaeus cit. lib. 1. cap. 27. Epiphanius H. 25. Hieronymus Epist. ad Heliodorum, & Dorotheus in Synopsi. Id de Dorotheo negat Alexander Natalis in Hist. Saec. 1. art. 7. §. 77. sed ut inquit Vir eruditus, *Natalis Alexandri peregrinabantur oculi*. Adite Vol. 13. Biblioth. PP. pag. 428. Iactasse autem Nicolaitas originem suam a Nicolao Antiocheno septem Diaconorum uno, affirmant S. Clemens Alexandrinus lib. III. Strom. Ignatius Martyr in Epistola ad Trallianos, Eusebius lib. III. H. E. cap. 23. Theodoretus lib. III. haer. fab. cap. 1. aliique permulti. Arbitramur nos, media incedentes via, Nicolaum facto quodam imprudenti haeresi huic occasionem praebuisse, quamvis se nunquam obscenis Nicolaitarum moribus inquinaverit. Factum his verbis narrat citato lib. III. pag. 318. Alexandrinus Antistes: *Cum formosam Nicolaus haberet uxorem, & post Servatoris assumptionem ei fuisset ab Apostolis exprobrata Zelotypia, in medium adducta muliere permisit cui vellet eam nubere*. Addit vero Clemens, Nicolaum nulla deinceps muliere usum, ac liberos etiam suos virgines permansisse. Ex imprudenti itaque Nicolai facto perversi viri obsceniffimae consuetudinis occasionem arripuere, se eiusdem Nicolai imitatores & discipulos iactantes.

XII. *Abstrusa Nicolaitarum explanantur vocabula*.

XII. In refellenda impurissima Nicolaitarum haeresi tempus non teram, quum fugiendam esse fornicationem, nuptasque mulieres non habere corporis sui potestatem, doceant Lex vetus Exodi 20. 14. Evangelium Matth. 5. 27. Paulus 1. ad Corinth. 6. 9. & aperte demonstrent inditae rationis praecepta, & iura ipsa connubii. De occultis itaque Nicolaitarum vocabulis pauca subiiciam. Quid sit *Prunicus* docet Ediphanius num. 14. ubi ait significari ea voce tentatam corruptelam, & excogitatas voluptatum illecebras. At *scortator* Graece Πορνικὸς dicitur, non Πρυνικὸς, unde Petavius in Animadv. ad Epiphanium suspicatur in huius textum literarum irrepsisse permutationem. Non est autem inverisimile, non a Graecis, sed a Iudaeis dictum *Prunicum*, nam Irenaeus lib. 1.

lib. i. cap. 34. vocem hanc interpretatur *luminis humectationem*, nobis, ut id fateamur ingenue, radicem atque etymologiam ignorantibus. At *Barbelum* idem esse, ac Domini, sive Dominae filium non dubitamus, a *Bar*, & *Bebela* Hebraicis vocabulis. *Ialdabaoth* dicitur, Epiphanio interprete, *filius sapientiae, aut luminis natu maior*: Petavius *vim propagatricem* interpretatur; quidam haud imperiti Linguae Sanctae, *Dominum roboris ac fortitudinis*. *Kaulacbau* ex cap. 28. Isaiae sumptum est, eademque voce Epiphanius *spem super spem*, alii forte melius *Redemptorem* intelligunt. *Sabaoth* idem esse ac *exercitus*, atque ex Hebraica derivatum lingua, perspicuum est. Hinc eruas Nicolaitas rebus turpissimis nomina execrabili superstitione excogitata permiscuisse, ac praelusisse quoque supernorum spirituum fictitiis probolis, & emissionibus. De quibus dicturi in proxima Dissertatione, de primi Saeculi Haeresibus satis disseruisse, prolixam aeque ac mutilam aspernantibus tractationem, videbimur.



DISSERTATIO IV.

DE SCRIPTORIBVS PRIMI SAECVLI.

I. *Scriptorum Ecclesiasticorum Classes distinguuntur.*

I. TRes sunt Ecclesiasticorum Scriptorum classes, de quibus post descriptas ac refutatas Primi Saeculi haereses agendum est modo, eorum nempe, qui in Ecclesiae Canone comprehenduntur; aliorum, qui genuini censentur, ac magno habentur in pretio, nec tamen auctoritatis aestimantur irrefragabilis ac divinae; atque illorum, qui a subacti ingenii, & emunctarum narium viris inter apocryphos spuriosque reiiciuntur. Ac librorum, qui continentur in Canone, censum agere non est animus, propterea quod de illis Theologi omnes, & Sacrorum Dogmatum tractatores instituant Dissertationem, planaque sit, & omnibus obvia eorumdem librorum notitia. Hoc duntaxat animadvertam, quod licet olim de illorum librorum numero sit dubitatum, & etiamnum hac de re acris nos inter haereticosque vigeat contentio; certissimus est tamen eorumdem census a Romana Ecclesia approbatus, & quem non tantum posterioribus temporibus Tridentini PP. in Spiritu Sancto congregati definierunt, verum etiam vetusta traditio, cuius testes Synodorum Laodicenae, Carthaginensis, & Romanae sub Innocentio, & rursus sub Gelasio, Canones, Synopsim Athanasio attributam, Catecheses Cyrilli Hierosolymitani, Hieronymi Prologum Galeatum, libros de Doctrina Christi exaratos ab Aurelio Augustino, ac fere universos PP. Auctoresque Orthodoxos, proferre possumus, inconcussis firmissimisque munimentis corroborat.

II. *Primi Saeculi Scriptores enumerantur, & Clementis genuina opera recensentur.*

II. Igitur inter Scriptores Primi Saeculi enumerantur Clemens, Barnabas, & Hermas: quibus nonnullis addunt Philonem Iudaeum, & Flavium Iosephum, quod de Christo, eiusque discipulis nonnulla scripserint. Dubia sunt Opera Dionysii Areopagitae, Marcelli cuiusdam, quem filium dicunt Marci praefecti Vrbis, Prochori, Lini, Abdiae, Acta Presbyterorum Achaiae, Acta Pilati, & Theclae. Spuria autem ac supposita Epistolae Christi, Mariae Virginis, & Apostoli Pauli ad Senecam, Evangelium Nicodemi, litterae Martialis

Le-

Lemovicensis, & Iacobi Apostoli Liturgia. Clementis, cuius res gestas prosecuti sumus agentes de Romanis primi Saeculi Episcopis, duae extant ad Corinthios Epistolae: quarum prima communi eruditorum consensu recipitur. Illam etenim commendant S. Irenaeus lib. III. adv. Haer. cap. 3. Eusebius lib. v. Hist. Eccl. cap. 12. ubi eamdem Epistolam appellat omnium iudicio approbatam, illustrem, & admiratione dignissimam; Cyrillus Hierosolym. Catech. 18. S. Epiphanius Haer. 29. aliique complures. Scriptam Epistolam illam nomine Romanae Ecclesiae docet in libro de Script. Eccl. S. Hieronymus. Photius tamen in Bibl. Cod. 113. tria in illa Epistola redarguit: primum, quod ieiune de Christi divinitate loquatur; alterum, quod ex Phoenicis fabella argumentum proferat ad comprobandam resurrectionem: tertium, quod extra Oceanum mundos plures constituat. Ad haec vero quidam cum Ioanne Clerico P. III. Crit. 5. reponunt, laudatam Clementis Epistolam esse interpolatam: sed respondendum est, Photii coniecturas facile dirimi; primam quidem, quia Clemens de Christi divinitate non pertractat & hunc naevum PP. aliis, praesertim Antenicenis, nonnulli adtribuerunt: aliam vero quoniam Phoenicis reviviscentis comparatione veteres fere omnes futuram corporum anastasim suasere, idque non absurde, ut Fidei dogma Ethnicis similia credentibus non repugnare demonstrarent: postremam item, quia teste Origene lib. II. Periarchon cap. 3. nomine orbium extra maria terrasque existentium S. Clemens coelestium inferorumque receptacula designavit. Atque haec de priori S. Clementis Epistola. Alteram enim, etsi pro ea pugnant Gottifredus Vendelinus, Patricius Iunius, Wilelmus Caveus, Casimirus Oudinus, necnon Ioannes Baptista Cotelerius, eumdemque in utraque stilum apparere contendant; reprobari tamen a veteribus affirmant Hieronymus, & Photius, ut recte in Nova Bibliotheca animadvertit Dupinius; ac praeterea eiusdem Epistolae textus a PP. scriptis suis insertos nequaquam fuisse, cap. 10. Hist. Eccl. Saec. I. fatetur Alexander Natalis, ideoque aestimari non debet paris cum priori Epistola auctoritatis.

III. Eidem Clementi tribuuntur Canones Apostolici, de quibus recole dicta Dis. II. num. 6. Libri itidem octo Constitutionum Apostolicarum a Francisco Turriano latine redditi; decem rursus, aut potius viginti libri Recognitionum; Itinerarium S. Petri, disputatio quaedam Petri & Apionis, & quinque Epistolae, duae ad Iacobum fratrem Domini, tres ad alios. De iis proferam eruditorum Virorum iudicia. De Constitutionibus Apostolicis Sixtus Senensis in Bibliotheca Sancta, Possevinus in Apparatu, & Natalis Alexander in Hist. Primi Saeculi silent omnino. Bellarminus de Script. Eccl. Opus illud explodit, propptereaquod solemnitatem Sabbati indicat, irritumque censeat Haereticorum baptisma, atque quartas nuptias damnet, & manifestam appellet impudicitiam; cuius surfuris plura

III. De Scriptis Clementi suppositis.

eodem in Opere comprehenduntur. Christophorus Sandius in Historia Enucleata, Dallaeus de Pseudoepigraphis Apostolicis, & Oudinus in Dissert. de Scriptis S. Clementis deprehendi in iis libris afferunt Arianae impietatis vestigia, quod Cod. 113. Photius praenotaverat. Contra Dupinius ait, opus esse perutile, vetustum, pluraque ad Ecclesiae disciplinam utilissima in eo contineri, laudari quoque ab Epiphanio Haer. 45. 70. & 80. necnon ab Auctore Comment. in Matthaeum inter Chrysostomi Opera. Omnes demum consentiunt esse fetum incerti Auctoris, & pluribus in locis depravatum, ac proinde auctoritatis non omnino certae, atque exploratae. At Recognitionum libri, aliique superius commemorati, consensu unanimi a Criticis exploduntur; quamquam aliqua horum fragmenta apud Origenem cap. 23. Philocaliae, & Eusebium lib. VI. Praep. Evang. cap. 10. legantur. Nam nihil aliud sunt, quam inepta fabularum, nugarumque complexio. Itinerarium ab Athanasio in Synopsi, a Leone Magno in Epistola contra Nicetam, atque a Gelasio in cap. *S. Romana*, dist. 15. reiicitur inter Apocrypha. Contineri ibidem haeresim Ebionitarum praemonuit lib. 1. Panarii Epiphanius. Disputationes Petri & Apionis, etsi a Clemente Alexandrino, & ab Origene in Evangelium Ioannis laudentur, non continere Orthodoxam doctrinam docet Eusebius lib. III. H. E. cap. 32. Suggillat eadem scripta Hieronymus in Catalogo Script. Eccl. Consule Gerardum Ioannem Vossium de Script. Graecis lib. II. cap. 9.

IV. *De Epistola S. Barnabae.*

IV. Barnabas, qui & Ioseph Levites, unus, ut fertur, ex 70. Christi discipulis, & adeo illustris Evangelii praeco, ut promeruerit in Apostolorum referri numerum, scripsit Epistolam, quam Graece & Latine primus omnium edidit Hugo Menardus, tum Isaac Vossius, postea Ioan. Bapt. Cotelerius, ac Stephanus *Le Moine*. Genuinam censent Viri Clarissimi, quibus subscribo, quum illius, tanquam genuini Operis meminerint S. Clemens Alexandrinus lib. II. & V. Strom. Origenes in 1. contra Celsum, & in 3. Periarchon, Tertullianus de Pudicit. & Eusebius lib. III. H. E. cap. 25. & lib. VI. cap. 14. Nec audiendi Natalis Alexander, & Oudinus, Barnabae Epistolam reiicientes tanquam apocrypham, quoniam apocrypha a Hieronymo, & ab ipso Eusebio appellatur. Enimvero libri duplici ratione dicuntur apocryphi; primum quia non continentur in canone Scripturarum, deinde quia incerti sunt auctoris, & illi, cuius nomen praeferunt, immerito afficti. At Hieronymus priori tantum sensu Epistolam Barnabae apocrypham esse ait: nam scribit in Catal. Scripr. Eccl. cap. 6. *Barnabas ... unam ad aedificationem Ecclesiae pertinentem Epistolam composuit, quae inter apocryphas scripturas legitur*. Similia Eusebius. Si autem Barnabas Epistolam ipsam conscripsit; apocrypha priori duntaxat significatione appellatur. Quod si petas cur in Canone non comprehendatur, cum tanti viri sit opus; respondeo ad locandum in Canone scriptum aliquod,

quod,

quod, requiri iudicium Ecclesiae, exploratam auctoritatem, doctrinamque fidelibus necessariam: quarum rerum defectu plures habentur libri auctorum notissimorum, qui in Canone desiderantur; quum e contra plures libri, quorum ignorantur auctores, ob rationes nuper productas in Canone comprehendantur. Quae ulterius adversus Barnabae Epistolam obiiciunt, legi possunt apud Dupinium in Nova Bibl. Tom. 1. pag. 9.

V. *De Pastoris aetate, scriptisque.*

V. Hermam, sensu Pastorem, permulti inter Scriptores II. Saec. connumerant, ea ducti ratione, quod, ut inquiunt, Auctor Carminis contra Marcionem, & Liber Pontificalis, qui tribuitur Damaso, ipse Herma, qui ab Origene & Rufino Hermes quoque appellatur, frater dicitur S. Pii I. Romani Pontificis. At floruisse Hermam Saec. 1. & sub Clemente perspicua res est, cum *Visione* 2. iussus dicatur ipsi Clementi exemplar unum, & alterum *Graphtae* conscribere. Quare Pastorem, seu Hermam Pii fratrem ignorat antiquitas, ut animadvertit doctissimus Cotelerius, haud dissentientibus Dupinio, & Dodvvello, atque Hammondo apud Caveum. Neminem vero permovere debet testimonium Scriptoris Carminum adversus Marcionitas, seu Libri Pontificalis: quorum primus fatentibus omnibus supposititius est, & perperam Tertulliani insertus Operibus; alter prodiit ex bonis, ac malis Catalogis consarcinatus. Recole dicta Diss. II. n. 2. Pastoris Opus tripartitum est, & *Visiones*, *Statuta*, atque *Similitudines* complectitur. Refertum est optimis morum praeceptis, sed allegoricis locutionibus obscurus ac salebrosus. Sub nomine Scripturae, scilicet ut Canonicum laudatur ab Irenaeo, a Tertulliano, ab Origene, & aetate quoque Hieronymi in quibusdam Graecorum Ecclesiis obtinuisse, testatur idem S. Doctor de Script. Eccl. cap. 10. Verum a Canone illud exspungunt Tertullianus de Pudicit. cap. 10. Gelasius in Cap. *Sancta Romana*, & Prosper Aquitanicus de *libero arbitrio*. Hinc habes perantiquum ac utilissimum esse, at non tale, cui nefas sit refragari. Prolixe de Pastore egerunt Dupinius in Nova Bibliotheca, Pearsonius in Vindiciis Ignatianis, & Nicolaus Nourry in Apparatu ad Bibliothecam Veterum Patrum.

VI. *De Scriptoribus primi Saeculi, quorum ambigua est auctoritas.*

VI. Dixi de libris, qui communiori consensu probantur; nunc de iis, qui in controversia positi sunt, & aeque recipi possunt, ac reiici, instituenda est oratio. Occurrunt autem priori loco Opera S. Dionysii Areopagitae. Hunc virum clarissimum, atque ad summum Graecae disciplinae fastigium evectum scribit Suidas, e Thracia oriundum vocat Dialogo 2. Caesarius, ab Apostolo ad fidem conversum tradunt Acta Apostolica, Atheniensium constitutum Episcopum inquit lib. III. H. E. cap. 4. Eusebius, & coronatum martyrio testantur vetusta Martyrologia. Dionysii sub nomine circumferuntur libri de Coelesti Hierarchia, de Hierarchia Ecclesiastica, de

Divi-

Divinis Nominibus, de Theologia Mystica, ac decem Epistolae, quae omnia edidit una cum Pachimeri & Maximi Commentariis Antuerpiae elegantissimis, typis illustris Iesuita Corderius. Cetera plura huic attributa Dionysio perierunt. De ipso autem Dionysio duplicem Viri doctissimi instituunt quaestionem; unam, an Gallias advenerit, ibique Christi fidem disseminaverit; alteram, an revera librorum, quos nuper commemoravimus, auctor sit. Ad primam quod attinet, duplicem fuisse Dionysium, & Areopagitam nunquam in Gallias profectum censent viri literatissimi Sirmondus & Launoius, quorum probabiliora nobis videntur momenta, asserente gravissimo auctore Severo Sulpitio lib. II. Hist. Sacrae sub Antonino tantum, & Aurelio eius filio, qui anno Christi 161. suscepit Imperium, visa intra Gallias Martyria, serius trans alpes religione suscepta. Et quamvis Alexander Natalis conetur fidem Sulpitii elevare auctoritate Gregorii Turonensis, Simeonis Metaphrastis, Scriptoris Vitae S. Genovefae, & cuiusdam Diplomatis Pipini Galliarum Regis; nemo tamen non videt haec omnia esse sequioris aetatis, neque cum assertionibus Severi Sulpitii ullatenus comparanda. De libris etiam praelaudatis num Dionysio sint adscribendi merito dubitatur. Nam citant Ignatii Epistolam ad Romanos, quae scripta fuit post Dionysii martyrium. Refellunt Millenarios, aetate Areopagitae nondum exortos. Laudant S. Clementem Alexandrinum, qui floruit tertio Christiani nominis Saeculo. Oppugnant Arianam, & Nestorianam haeresim, posteriori aetate subortas, neque ullo veterum scriptorum testimonio commendantur. Hinc alii quarto, alii autem sexto Saeculo vixisse putant horum librorum auctorem. Plura in Historia litteraria Wilelmus Caveus, Pearsonius in Vindiciis, & Philippus Labbeus, qui in abiudicandis Dionysio hisce operibus a Bellarmino, quem tamen sequitur omnibus aliis in locis, recedit. Pugnarunt ex adversa parte pro asserendis Dionysio iisdem scriptis, praeter laudatum Bellarminum, Sixtus Senensis in Bibliotheca Sacra lib. II. Antonius Possevinus in Apparatu Sacro, Ioannes Novius in Apologia adversus Laurentium Vallam, spissoque Volumine Laurentius a S. Laurentio Ordinis Minorum, & S. R. E. Cardinalis. Iure itaque meritoque Dionysii scripta inter dubia, de quibus in utramque partem disseritur, hactenus collocavimus.

VII. *De Scriptis Marcelli filii Marci Praefecti Urbis Romae.*

VII. Fertur praeterea circa annum Domini 50. ex Simonis Magi Schola ad Petri doctrinam factum fuisse Christi discipulum Marcellum filium Praefecti Urbis, literisque mandasse Historiam de Conflictu Petri ac Simonis, de Obitu S. Petronillae, De Passione Feliculae & Nicomedis, librumque de Magicis Artibus ad SS. Nereum, & Achilleum. Ex his extat duntaxat Fragmentum de Conflictu Petri in lucem emissum ab Auctore Biblioth. Pontificiae, integerque libel-

libellus editus a Francisco Florentinio Lucensi, sed iudicio Criticorum aliquorum potius adscribendus Marcello I. Pontifici, qui ineunte IV. Saeculo rexit Ecclesiam. Meminere scriptoris huius Sigibertus initio Operis de Scriptoribus illustribus, necnon Trithemius, ac Gerardus Ioannes Vossius de Historicis praetermissis cap. 1. At is censet, Sigibertum ac Trithemium commentitiis scriptis fuisse deceptos: quamobrem & Marcelli huius scripta inter ea, quae dubiae sunt fidei, accenseutur.

VIII. *De Libris, qui Prochoro, Lino, & Abdiae tribuuntur.*

VIII. Huius sunt generis quae tribuuntur Prochoro, Lino, & Abdiae. Prochorus ex septem diaconibus unus scripsisse fertur S. Ioannis Apostoli & Evangelistae Vitam: de cuius autographia haesitant Baronius ad An. 99. num. 4. Bellarminus de Script. Eccl. & Lorinus in cap. 6. Act. Apostol. immo aperte exploditur in Magistri Sacri Palatii Indice Expurgatorio, a Vossio de Script. Graecis cap. 9. ab Oudino, Dupinio, aliisque. Hos permovit, quod disserte nominet ὁμούσιον τριάδα, serius inducta vocabula, inter apocrypha referatur in Synopsi Athanasiana, & fabellis nugisque scateat, cuiusmodi sunt, Ioannem coram Apostolis procidisse ne proficisceretur in Asiam, erectum templum ubi ex aheno ferventis olei illaesus evasit, atque in insula Pathmos scripsisse Evangelium. Quamquam reponi posset, quaedam expressiora vocabula ab amanuensibus adiecta, historiam de ferventis olei cruciatu traditam quoque a Tertulliano, & Hieronymo, aliqua notatione adauctam, atque pro Apocalypsi *Evangelium* mendose irrepsisse. Vtut sit, non laudatur Prochori liber tantummodo a Serrario de Apostolis cap. 55. sed etiam inter Orthodoxographa editus legitur in Bibliotheca SS. Patrum. De Lini Pontificis duobus libris, quibus Petri & Pauli passio enarratur, idem prorsus iudicium ferendum est. Eos Sigibertus, Chiffletius, Iacobus Faber, & Laurentius Barrius probarunt; sed habuerunt ut spurios Bellarminus, Labbaeus, Possevinus, Baronius, Caveus, & alii. Nos verisimilius arbitramur Linum litteris revera mandasse Apostolorum martyrium, sed libros a Lino exaratos non esse illos, qui modo illius nomen praeseferunt. Quorum primum assero, quoniam S. Linum scripsisse acta passionis Petri ac Pauli Graeca lingua testatur vetustissimus Auctor Vitae SS. Nerei & Achillei; alterum, quoniam Lini extantes libri latine primum scripti sunt ab auctore sequioris aetatis, prout Barthius in Adversariis, & Vossius lib. II. De Hist. Graecis animadvertunt. Lino adiungendus Abdias Iudaeus genere, & Babyloniorum Episcopus, qui libros x. edidit de Certamine Apostolorum; quos libros magni faciunt, & Hebraice scriptos aiunt, atque ab Eutropio in Graecam linguam, a Iulio Africano in Latinam translatos. Sed cur de Abdiae libris haesitemus, plures sunt causae: prima quoniam Abdias iste dicitur unus ex Christi discipulis, atque Dominum

minum

minum in carne vidisse, & interim laudat Hegesyppum Historicum, eiusque recitat verba ex libro Commentariorum quinto, etsi Hegesyppus floruerit annis 130. post Christi adscensionem. Altera, quia narrat hominem, cui Thomas Apostolus maledixit, fuisse a leonibus dilaniatum: quod Augustinus contra Adimantum cap. 17. ait figmentum esse Manichaeorum. Tertia, quoniam nec ab Eusebio, nec a Hieronymo, nec a Veterum aliquo Abdias iste commemoratur. Postrema, qui plura in eo notarunt erronea Ioannes Hessels, Nicolaus Nancelius, Gerardus Vossius, Ellies Dupin; eumque reiecere Baronius ad Ann. 44. & 51. Possevinus in App. & Salmeron in 2. ad Thimoth. 2. disp. 2. atque, ut ait Sixtus Senensis lib. II. Bibl. Sac. Paulus IV. Pontifex Maximus. Huius tamen Abdiae libri ex vetustissimis codicibus, qui superant 700. annorum aetatem, an. 1551. a Volfango Lazio in lucem emissi, a Ioanne Fabro recusi, notisque illustrati a Ioanne Alberto Fabricio, suos habent propugnatores.

IX.
De Actis presbyterorum Achaiae

IX. Sequuntur Acta Martyrii S. Andreae Apostoli, scripta, ut fertur, a Presbyteris Achaiae anno Domini 59. Eadem Acta tanquam genuina a pluribus recipiuntur, non a Lippomano tantum, ac Iurio, sed a Bellarmino etiam, a Possevino, atque a Natali Alexandro Diss. 10. Saec. I. Momenta, quibus sincera demonstrantur, sunt Ecclesiae, quae in Breviario Romano ea legit, auctoritas, ac testimonia Patrum, Remigii, Petri Damiani, Bernardi, & Ivonis eo loci a Natale Alexandro producta. Sed non sunt haec prorsus invicta, quoniam in Breviario falsa multa contineri norunt omnes; ac testes a Natali Alexandro citati, cum non sint octavo Saeculo vetustiores, non aestimantur idonei. Reiiciunt autem eadem Acta Dupinius de Script. Eccl. Tillemontius not. 2. ad Vitam S. Andreae, Ittigius Diss. ad Biblioth. PP. num. 25. Caveus in Saeculo Ap. & Vossius lib. II. de Hist. Graecis cap. 9. qui has proferunt notas suppositionis. Primo Acta illa ab Epiphanio Haer. 47. & a Philastrio Haer. 4-. ut a Manichaeis ficta reprobantur. Inter spuria item reiiciuntur ab Innocentio I. in Epist. ad Exuperium, & a Gelasio in Cap. *S. Romana*. Tertio occurrunt in iis de Trinitatis mysterio, de Spiritus Sancti a Patre & a Filio processione, & de Eucharistia, loca, quam in Apostolicis extent libris, lucidiora, & arcano disciplinae olim servato repugnantia. Sed nec ista admodum firma sunt. Nam ex quo Manichaei apocrypha & commenticia intruserint acta, non consequitur sincera & genuina nullibi extare. Innocentius vero loquitur de Actis conscriptis a quodam Leucio, cuius & meminit Augustinus lib. De Fide contra Manichaeos cap. 38. non de Actis editis ab Achaiae Presbyteris. Idem asserendum de Gelasio, quamvis haec Acta alio sensu dici possint apocrypha, ut diximus de Epistola Barnabae

num.

num. 49. Ipsa demum Acta non sunt ad Paganos conscripta ut servanda in iis foret arcani disciplina, sed Encyclica quaedam ad Ecclesias Epistola, ut Caveus fatetur. Poterant ergo Fidei mysteria iisdem in Actis explicari, quamvis haberi MSS. in quibus haec non occurrunt, affirmat ipse Dupinius, qui Acta ista repudiat. Quae cum ita sint, improbabilis non videtur illorum opinio, qui inter legitima, & inter corrupta a Manichaeis Acta distinguunt, atque his refutatis illa recipiunt, tametsi Vossius & Caveus distinctionem hanc irrideant, atque iste Andreae Acta appellitet piam fraudem, ineptumque Monachorum ingenium.

X. *De Actis Pauli, & Theclae.*

X. Acta Theclae & Pauli eodem habenda sunt loco, atque in illorum librorum classe locanda, de quibus opposita inveniuntur eruditorum Virorum iudicia. Complures enim illa respuunt, inter quos Melchior Canus lib. xi. de Locis Theologicis cap. 6. innixi verbis Tertulliani, qui de Baptis. cap. 17. ait, quemdam Asiae Presbyterum, qui ea vulgaverat, fuisse imposturae, fraudisque convictum; quae & narrat, probatque in Catalogo Vir. Eccl. Hieronymus. Gelasius item eadem Acta pseudepigraphis spuriisque accenset in Cap. non semel laudato, *Sancta Romana*. Verum frequens est ipsorum apud Veteres mentio; laudatque illa Gregorius Nazianzenus Orat. 1. adv. Iulianum Apostatam, in altera de Laudibus Athanasii, in Panegyrico Cypriani, in Exhortatione ad Virgines, in Carmine Iambico de Vita sua, Gregorius Nyssenus Orat. 14. in Cantica, Epiphanius Haer. 88. Chrysostomus Hom. 22. ad Populum Antiochenum: atque ex Latinis Cyprianus Orat. pro Martyribus, Ambrosius Ep. 7. & 81. necnon Libro II. de Virginibus, Augustinus lib. III. contra Faustum cap. 4. aliique plurimi etiam a Gerardo Ioanne Vossio laudati. Tanta itaque auctoritate suffulti, quamvis haec Acta interpolata, nec undequaque vera suspicemur, genuina tamen ac sincera aliquando fuisse putamus, aut saltim talia, quibus neque omnis detrahenda sit fides, neque certa penitus adhibenda.

XI. *De Epistola Christi ad Abgarum.*

XI. Nunc de Operibus, quae communiori opinione spuria & apocrypha existimantur, instituenda est oratio. Ea inter commemoravi Epistolam Christi ad regem Edessenorum Abgarum, tametsi lib. XXIX. Theol. Discip. cap. 6. de illa problematice disputavi. Eam namque, quod pace dixerim Tillemontii, Serrii, Honorati, Cavei, atque Ernesti Grabe, maior ac sanior pars Criticorum expungit: ac spuriam censent ex Catholicis Canus lib. XI. de Locis Theol. cap. 6. Dupin initio Novae Biblioth. Natalis Alexander Dis. 3. Saec. I. Cardinalis Gotti de Lib. Novi Test. cap. 4. ex heterodoxis Casaubonus Exercit. 33. Clericus ad An. Christi 29. Basnagius ad An. 34. ut mittam Rivetum, Cocum, Spanhemium, aliosque permultos. Ducuntur autem iis, quae subiiciuntur, momentis.

Primo Gelasius eamdem Epistolam *apocrypham* pronuntiavit. Deinde Ecclesiae PP. cum Augustino in 1. De Cons. Evang. cap. 7. ac Theologi cum D. Thoma 3. p. q. 42. art. 4. docent Salvatorem nihil scripsisse, si excipas quae in terra expressit, ne lapidaretur adultera. Extant praeterea in ipsa Epistola Trinitatis, & Divinitatis Christi indicia tam perspicua, ut nequaquam ea, si forent genuina, praetermissa fuissent a Patribus Sabellianam & Arianam haeresim refutantibus. Ad haec in ipsa Epistola a Domino haec ad Abgarum dicuntur „ *Scriptum est de me*, *Beati qui non viderunt*, *& crediderunt* „ quod nondum scriptum erat, cum habeatur cap. 20. Ioannis, idest in Evangelio post annos 67. conscripto. Tandem ratio temporis non constat; siquidem dicitur Epistola Domini scripta anno 430. qui cum anno Dominicae Passionis non cohaeret, atque ita legi in autographo Ecclesiae Edessenae testatur Eusebius lib. 1. cap. 13. Obiiciuntur testimonia Eusebii loco nuperrime laudato, ubi ait Epistolam illam ex Archivis Edessenis a se depromtam, & e Syriaca lingua in Graecam fuisse translatam; S. Ephrem Syri, qui eiusdem Epistolae meminit in Opusculo, quod inscripsit, *Testamentum Ephrem*; Darii Comitis Ep. 230. ad Augustinum, Evagrii, Procopii, Ioannis Damasceni, aliorumque. Accedit nota Chronologia, nam si praedictus annus 430. ad Epocham Edessenorum referatur; erit annus Aerae Vulg. 33. quo Salvator affixus est cruci, ut demonstrat in Animadv. ad Eusebium Henricus Valesius. Ad haec autem breviter respondeo, neminem eorum, qui laudati sunt nuper, a me doli, vel imposturae redargui, ultroque fateor Saeculo IV. ineunte Epistolam illam in Edessenis Archivis latitasse: sed cum quaedam sub nomine Christi Epistolae confictae fuerint, quarum nonnullae etiam aetate Augustini circumferebantur, ut S. Doctor inquit lib. 1. de Cons. Evang. cap. 9. haud vereor, quin eiusdem sit generis Epistola ad Abgarum, de qua apud Evangelistas & Patres trium priorum saeculorum nullum extat vestigium. Nota quoque temporis, ut diximus paullo supra, non constat, etsi detur annum 430. Epochae Edessenorum concurrere cum anno 33. Aerae Vulg. quoniam Dominus sententia nostra crucis mortem oppetiit Coss. duobus Geminis, annoque 29. non 33. huius Aerae. Cum Epistola autem Domini ad Abgarum reiicimus litteras ipsius Abgari, quarum eadem ac praecedentis est ratio.

XII. *De quibusdam Virgini, & Paulo afflictis Epistolis.*

XII. Inter spuria itidem amandantur cum Epistolae Beatae Mariae Virginis ad Ignatium, ad Messanenses, & ad Florentinos, tum Epistolae Pauli Apostoli ad Senecam. Virgini quidem affictas ab omnibus repudiari tam unanimi consensione, ut necessum non sit eas apocryphas demonstrare, scribit in Bibliotheca Dupinius. Et nullum quidem Veterum testimonium, quo illarum fulciri queat au-

cto-

ctoritas, hactenus productum est: quin & alii Siciliae incolae, Messanensibus civibus, quorum tamen pietatem commendamus, ac Panormitani praesertim, tantum honorem, ut Virginis exceperint literas, costantissime denegant. Florentini autem, aut minus creduli sint, aut inanis gloriae minus cupidi, ad se litteras dedisse Virginem non credunt, nec iactitant. Quam dicitur Virgo scripsisse ad Ignatium, & ii reiecere qui pro Ignatianis Epistolis improbo studio pugnarunt. Sex autem Pauli ad Senecam Epistolae cum octo Senecae ad Paulum, licet quinto Ecclesiae saeculo magno in pretio habitae, & insertae a Sixto Senensi libro II. Bibl. Sanctae, adulterinae sunt tamen, atque inter quisquilias reiectae. Et quidem Paulo affictae officiosis tantum verbis nugisque constant, neque Apostolicam redolent gravitatem: quae vero adscribuntur Senecae, sunt barbaro stilo, verbisque parum latinis, inauditis omnino argentea aetate, qua Seneca floruit, consarcinatae. Legitur quoque iis in Epistolis incendio Vrbis sub Nerone aedes tantum 132. absumptas fuisse; quod longe aberrat a vero, scribente Tacito Annal. XV. in septem Vrbis regionibus pauca tectorum vestigia relicta fuisse lacera, & semiusta; domorumque ac templorum, quae amissa sunt, vix posse iniri numerum. Altera extat in pseudoepistolis illis nota suppositionis; quod nempe ea, quae Neronianum incendium commemorat, scripta dicitur Aproniano & Capitone Coss. idest an. Aerae Chr. 59. cum illud contigerit anno Christi 64. Coss. Basso & Licinio. Neque Epistola altera, quae dicitur data Coss. Phrygio & Basso, mense Martio, potuit illius incendii mentionem facere, quod Tacitus eo loci ortum narrat XIV. Kal. Sextiles. Stilus itaque, rerum narratio, nota temporis has Epistolas adulterinas evidenter commostrant.

XIII. *De Nicodemi, aliorumque Pseudoevangeliis.*

XIII. A Nicodemo, quem Discipulum Christi fuisse, eiusdemque Domini Corpus condidisse aromatibus & monumento intulisse Evangelica narrat Historia, editum Evangelium inscriptum titulo, *De Passione, & resurrectione Christi*, falsa est quorumdam opinio. Ferunt repertum fuisse Hierosolymis in Praetorio Pilati, quarto Christiano Saeculo, ac Theodosio Magno imperante; extatque latine redditum in editione Lipsiana Orthodoxographorum, & in Codice Apocryphorum nostris temporibus typis procuso a Ioanne Fabricio. Graeca exemplaria in regiis Parisiensi, & Bavariae Bibliothecis, Saxonicum in Bibliotheca Cantabrigiensi asservari scribunt Sandius, Caveus, Fabricius. Hoc autem Evangelium suppositium esse demonstrat tum auctoritas Ecclesiae illud reiicientis, tum ineptiarum, quae in eo continentur, farrago. Huius sunt generis, Nicodemum dum Christi causa ageretur, a Pilato accersitum fuisse per tabellarium, hunc, militesque cum eo missos procidisse invitos in genua, & bis Nicodemum adorasse: enarratur quoque ibidem fictitia responsio reddita

a Domino illi Praesidis interrogationi, *Quid est veritas?* inducuntur mortui, qui moriente Christo surrexerunt, invicem colloquentes: describitur inepta Diaboli ratiocinatio de Redemptoris ad inferos descensu: asseritur Pilatum, cum omnes Iudaeorum libros, qui in Bibliotheca Hierosolymitana servabantur, ad se iussisset deferri, sedulo illos pervolutasse, atque ex his agnovisse Christum esse revera praenuntiatum a prophetis Messiam. Mitto alia complura cum genuinis Evangeliis, Veterumque traditione pugnantia. Moneo hoc loco permulta Evangelia priscis saeculis ab Haereticis fuisse conficta, ut facilius imperitis dogmata sua venditarent. Prodierunt enim Evangelia quaedam sub nomine Apostolorum Andreae, Thomae, Thaddaei, quem Simonem Chananaeum appellamus, Bartholomaei, ac Barnabae: aliud rursus sub nomine omnium Apostolorum, quod idem est ac Evangelium Nazaraeorum, non semel a Hieronymo commemoratum: insuper Evangelium Basilidis, de quo Origenes initio Commentariorum in Lucam, necnon Iudae proditoris, cuius Evangelii meminerunt S. Epiphanius in Panario, & lib. II. Haereticarum Fabularum Theodoretus. Haec omnia Pseudoevangelia ab omnibus repudiantur, primum quia ea Patres Ecclesiae constantissime respuerunt: tum quia non continentur in Sacrorum Librorum Canone edito a vetustioribus recentioribusque Conciliis: insuper quia apud haereticos duntaxat obtinuerunt, & in illorum quoque officina sunt procusa, ut alibi demonstravi: tandem quia ipsa Evangelia reprobat irreformabilis Romanae Ecclesiae sententia, auctoritas, ac definitio. Memoria repetendum est quod in Adversarium Legis & Prophetarum scribit sapientissimus Augustinus. *Sane*, inquit, *de Apocryphis iste posuit testimonia, quae sub nominibus Apostolorum .... conscripta sunt: quae si illorum essent, recepta essent ab Ecclesia, quae ab illorum temporibus per Episcoporum successiones certissimas, usque ad nostra, & deinceps tempora perseverat*. Haec Sancti Patris regula, quam & Irenaeus adversus Valentinianos, & Tertullianus contra Marcionem adhibuerunt, in diiudicandis praesertim Libris Canonicis servanda omnino est, diligenterque custodienda.

XIV. *De Epistolis Martialis Lemovicensium Episcopi.*

XIV. Inter apocrypha scripta postremo loco recensuimus Epistolas Martialis Lemovicensis, & Iacobi Apostoli Liturgiam. Martialem hunc aliqui faciunt Petri discipulum, & cum Cepha confundunt, quem ob legalia Paulus reprehendit, ne Apostolorum Principem obnoxium increpationibus fateantur. Sed hanc fabellam Diss. I. n. 12. refutavimus. Epistolas duas Martialis scripsisse dicitur, ad Burdigalenses unam, alteram ad Tolosanos, decimosexto Saeculo in Sacrario Lemovicensis Basilicae repertas, & a Sixto Senensi, Possevino, aliisque laudatas. Verum spurias esse arbitramur, primo quia auctor se Cepham esse temere iactat; deinde quia contra Evangelicam Historiam narrat

narrat in horto Gethsemani se cum Domino fuisse, dum hunc sceleſtiſſimus Iudas tradidit oſculo; rurſus quia ait templa Chriſtianorum permulta, ſe inter vivos degente, indulto regum erecta; inſuper quia a ſe baptizatum refert Stephanum regem Galliarum, etſi primo Eccleſiae ſaeculo, immo, & tribus proximis nullus Rex in Galliis extiterit; tandem quia Martialis Lemovicum Galliae Aquitanicae urbem, ut ſcribit Gregorius Turonenſis lib. 1. Hiſt. Francorum cap. 30. advenit *Decio & Grato Coſs.* ideſt, anno Chriſti 250. non autem temporibus Apoſtolicis, ut Differt. xv. Primi Saeculi demonſtrare nititur Alexander Natalis.

XV. Iacobo Mariae Sororis Matris Domini filio, quem, ut a Iacobo occiſo ab Herode ſecernatur, Minorem vocant, adſcribendam Liturgiam tum ſeparatim editam, tum in quinto Volumine Bibl. PP. atque in eiusdem Bibliothecae Auctario, exiſtimant Viri Clariſſimi Cardinalis Bona lib. 1. de Rebus Liturgicis cap. 8. & Leo Allatius in Symmictis, quamquam ut modo extat, ſit proculdubio ſuppoſita, aut ſaltim ita locupletata, ut dignoſci non poſſit, quid Iacobo tribuendum ſit, quid aliena manu fuerit ſuperadditum. Suppoſitam quippe cenſent non Rivetus tantum, Caveus, aliique heterodoxi; verum etiam lib. v. Iuris Graeco-Romani Theodorus Balſamon Patriarcha Antiochenus: interpolatam vero, immutatam, & alicubi breviori forma contractam fatentur Ven. Bellarminus de Script. Eccl. An. 34. & Baronius Tomo Annalium primo ad Annum 36. num. 17. Porro haec ſunt ſuppoſitionis argumenta; inſertum ac ſaepe repetitum vocabulum θεοτόκον, quod Epheſini PP. Origenis duntaxat, & Euſebii teſtimoniis comprobarunt, non vero Liturgiae Iacobi productis verbis: appoſitum τρισάγιον, quod circa annum 480. ſedente Felice III. coepit in Miſſa cantari: adiectum de Filio, atque de Spiritu Sancto ὁμοούσιον, quod in Nicena Synodo contra Arianos, & in Conſtantinopolitana contra Macedonianos, praevia diſcuſſione, in qua nunquam producta fuit Liturgia iſta, receptum & conſecratum fuit: facta in Canone Confeſſorum mentio, licet aevo Apoſtolico ſoli Martyres in illo continerentur: oratio pro communem vitam agentibus in Monaſteriis; quod vitae genus vix ante annum 300. autore Antonio fuit inſtitutum. Demum neque Canonum Apoſtolicorum 85. neque Synodi Laodicenae 59. quibus enumerantur libri Apoſtolici, qui in uſu Eccleſiarum eſſe debent, huius Liturgiae meminerunt. Quum haec tamen Liturgia non ſit tribuenda Iacobo, non eſt reiicienda ob ea momenta, quibus expungitur a Riveto, ceteriſque Novantibus, nimirum quia thurificationis, aliorumque ſacrorum rituum perantiquum uſum commonſtrat; ſed his comprobatis, tenendum eſt fuiſſe antiquis temporibus editam, ut vetus conſuetudo in ſacris divinisque rebus agendis ſervaretur, quibusdam precibus, Sanctorumque nominibus progreſſu temporum adiectis, quemadmodum

XV. *De Iacobi Apoſtoli Liturgia.*

in

in Libris Liturgicis, quos *Missalia* vocant, frequentissime evenit. Eadem prorsus ratione de Liturgiis aliis iudicium ferendum est, maxime de Aethiopica, Domino Iesu Christo attributa, & quam ex Oriente redux secum attulisse dicitur Michael Vanslebius: nam istam, etsi ob preces orationesque recitandas in Eucharistiae perceptione eo loci descriptas minime sit repudianda, adscribendam tamen Domino non censemus, tum quia viri eruditissimi opinionem Vanslebii id asserentis, nedum falsam, sed insanam appellant; tum etiam quia a Christo nullam scripto editam Liturgiam, quae nuper diximus de afficta Iacobo, & quae num. XI. praemisimus de Epistola ad Abgarum, satis superque demonstrant.

XVI. *De celeberrimo Flavii Iosephi Testimonio lib.* XVIII. *Antiq. cap.* 4.

XVI. Quoniam supra num. II. diximus nonnullos Ecclesiasticis Saeculi I. Scriptoribus addere Flavium Iosephum, & Philonem Alexandrinum, propterea quod nonnulla scripserint ad Christianam Religionem spectantia; de his quoque, necnon de Actis Pilati pertractare constitui, antequam IV. huic Dissertationi finem imponam. Itaque Flavius Iosephus ex illustri regiaque Asmonaeorum familia, patre Matathia, primo Caii Caesaris Caligulae anno, & nondum 37. Aer. Christianae transacto, in lucem editus egregios Libros Attica lingua conscripsit, stilum imitatus Thucydidis, adeo, ut Athenis dedisse operam litteris videatur, ac meruerit *Graecus Livius* a Hieronymo nominari. Haec vero Iosephi sunt Opera: Iudaicarum Antiquitatum libri XX. in quorum XVIII. cap. 4. habetur de Christo praeclarissimum testimonium. Hisque libris comprehenditur Iudaici Populi Historia a Mundi productione ad sua usque tempora; atque eosdem libros absolvit anno 13. Domitiani, Vulg. Aer. 93. Iisdem libris Vitam sui ipsius adtexuit; ac praeterea septem de Bello Iudaico, cui interfuit, patria primum, deinde Graeca dictione, ac tam eleganter & sincere, ut ea de causa fuerit in Vrbe Roma sibi erecta statua cohonestatus. Addidit contra Appionem Grammaticum libros duos, de Macchabaeorum laudibus elegantissimam Orationem, atque Opusculum, quod inscripsit περὶ τοῦ αὐτοκράτορος λογισμοῦ, idest, *de Imperio rationis*. Cavendum ne Iosephum hunc confundamus cum Iosepho Gorionide, qui pariter Historiam Iudaici Belli mandavit litteris, sed posteriori aetate, ut Vossius lib. II. de Hist. Gr. cap. 8. aperte demonstrat, ratus quoque Scriptorem istum esse impostorem, & nugivendulum, id, quod Ven. Baronius ad An. 72. num. 27. Possevinus, aliique praenotaverant. A Iosepho, de quo agimus, praenuntiatum Vespasiano Imperium testatur cap. 5. *In Vespasiano*, Suetonius: qua ratione id Iosephus praesenserit, dicam postea, cum modo praelaudatum de Christo Testimonium sit expendendum. En illud: *Fuit autem hoc tempore Iesus vir sapiens, si tamen virum illum oportet dicere, erat enim mirabilium operum effector, Magister bonorum, qui vera libenter amplectuntur; & plurimos quidem ex Iudaeis, plurimos etiam ex Gentibus ad se pertraxit. Hic erat Christus.* Cumque

a pri

a primoribus gentis suae accusatum Pilatus ad crucem damnasset, ab eo diligendo non abstinuerunt, qui primum coeperant: nam post tertium diem redivivus ipse apparuit, cum divini vates haec, aliaque quamplurima admiranda de eo praedixissent. Neque ad hanc diem defecit cognominatum ab eo Genus Christianorum. Insigne illud Religionis nostrae monumentum tanquam germanum & sincerum commendarunt Eusebius de Demonst. Evang. lib. III. cap. 5. & lib. I. Hist. Eccl. cap. 10. Rufinus in Versione Eusebiana, S. Isidorus Pelusiota lib. IV. Epist. 225. Sozomenus lib. I. Hist. Eccl. cap. I. Nicephorus lib. I. cap. 34. Vincentius Bellov. lib. VII. omnesque prorsus Historici, qui ante Saec. XVI. floruerunt: at postea illud conati sunt elevare Lucas Osiander, Salmasius, Blondellus, Tanaquillus Faber; quibus subscripsere Ioannes Clericus tum in Arte Critica p. 3. Sect. I. cap. 15. tum in Hist. duorum priorum Saeculorum ad annum XXV. num. 4. & Dupinius Vol. I. Novae Bibliothecae; postremis vero temporibus innumeri Scriptores, quos collegit, vindicavitque Carolus Daubutius, ipsius Testimonii αὐτογραφίαν propugnarunt, & coniecturas oppositas reiecerunt: quod nos sequenti num. compendio praestabimus.

XVII. *Praelaudatum Iosephi Testimonium genuinum ostenditur.*

XVII. Momenta igitur, quibus hoc Testimonium defenditur, sunt huiusmodi. Tanquam autographus, & genuinus habendus est locus ille Iosephi, si ipsum ex vetustis, nec interpolatis MSS. PP. atque Historici praeclarissimi laudarunt, ac produxerunt. Hunc vero locum, ut nuper diximus, omnes usque ad annum MD. protulerunt, & laudarunt: Genuinus est igitur. Deinde extabat hoc Testimonium in Codice Hierosolymitano, unde illud exscripsit Eusebius; in illo, quem latine reddidit Cassiodorus; atque etiamnum extat in MSS. omnium vetustissimis Bibliothecae Palatinae, in asservato in Bibliotheca Caesarea, & ex urbe Constantinopolis delato ab Augerio Busbequio, necnon in duobus Codicibus Bibliothecae Mediceae, aliisque permultis. Praeterea inverisimile est, Eusebium, qui omnium primus hoc monumentum inseruit Ecclesiasticae Historiae, illud proprio marte finxisse. Cui enim bono id ausus esset, inquit Valesius, num ex testimonio Iosephi pendebat Christi divinitas? Annon si hoc testimonium supponere audacter tentasset, facile illum codicibus probatissimae antiquitatis Iudaei fraudis & imposturae convincere potuissent? Rursus redolet Testimonium, de quo agitur, Iosephi stilum, nec ullum habet vocabulum, nullamque verborum syntaxim, cuius non proferantur consimilia ex libris Antiq. Iud. exempla. Postremo incredibile prorsus est, Iosephum scriptorem praeclarissimum dum Gentis suae, suique temporis Historiam mandavit litteris, de Iesu, cuius vita, miracula, supplicium, famaque longe lateque diffusa omnibus innotuerant, ita, ut Plinius quoque, Tacitus, aliique Gentiles eius-

dem

dem Christi meminerint, penitus tacuisse; praesertim cum de Ioanne Baptista, & Iacobo Apostolo Hierosolymorum Episcopo iisdem in libris pertractaverit. Iam autem momenta, quae opponi possunt, sunt diluenda: quorum primum est, illius testimonii auctoritate non fuisse usum S. Iustinum Martyrem Iudaeos refellentem in Dialogo cum Tryphone. Alterum, silentio illud praeteriisse Clementem quoque Alexandrinum, ac Tertullianum, necnon Photium, quamquam is omnia Iosephi opera singillatim recensuerit. Proximum, quoniam Origenes Comm. in Matth. miratur Iosephum de Iacobo honorifice locutum esse, Christi autem nullam habuisse rationem. Praeterea obiiciunt desiderari illud in quibusdam Codicibus Hebraicis, quos inter laudatur vetustissimus Bibliothecae Mediceae. Opponunt & stili discrepantiam, & praecedentium ac sequentium verborum, in quibus nulla de Christo sit mentio, cum praelaudato Testimonio inchoaerentiam. Tandem aiunt: Constat illius Testimonii Scriptorem in Christum credere, & Iesum fateri Messiam; quod affirmari nequit de Iosepho, qui Vespasianum, non Iesum, Messiam esse putavit. Ad haec vero ita servato praecedentium ordine respondemus. S. Iustinus Martyr Tryphonem provocaverat ad sola oracula Prophetarum, ideoque uti non debebat ullius Historici testimonio: atque ita eliditur prior oppositio. Clementis Alexandrini plura opera perierunt, eiusque, sicuti & Tertulliani scopus erat Christi divinitatem adstruere, non autem singula huius miracula vindicare: Photii vero Bibliothecam tertia saltem parte esse interpolatam, in eaque solummodo librorum Iosephi describi argumenta perspicuum est; idque oppositionem diluit alteram. Origenis verba haec sunt: *Atque illud mirandum est, quod Iosephus noluerit fateri esse Christum, & tamen Iacobo testatus sit insignem fuisse iustitiam*: quod utique mirum est, quoniam Iosephus celeberrimum Christi nomen audierat, & de eo tam praeclara conscripserat: quibus oppositio tertia diluitur. Hebraicis Codicibus, Mediceo, aliisque, in quibus hoc Testimonium desideratur, opponimus Graecos optimae notae, necnon Hebraicos alios pervetustos, & productos a Roberto Canuto, & Baleo; atque ita quarta obiectio expeditur. Cap. 3. libri XVIII. Antiq. Iud. agit Iosephus de rebus a Pilato in Iudaea gestis; ideoque nil mirum, si cap. 4. instituat de Christo sermonem: qua adnotatione, denegata quoque stili difformitate, quinta oppositio exsufflatur. Etsi Iosephus veritate cogente, aut potius ut ingenuus Scriptor haberetur apud Flavios, quorum gratia & familiaritate favebatur, de Christo magnifice sit locutus; non sequitur tamen in eum credidisse, quemadmodum neque credidit Caiphas, nec Pilatus, nec Daemon illum singularis Numinis impulsu depraedicando; praesertim cum apud Iosephum quaedam ambigua sint, ut illud, *Si tamen virum*

illum

illum oportet dicere, quaedam etiam sint de communi hominum opinione accipienda, cuiusmodi est illud, *Hic erat Christus*, scilicet, λεγόμενος, ut Apostolus 1. ad Corinth. cap. 8. inquit, *sunt Dii multi, & Domini multi*: atque his postrema obiectio refellitur, ac tota absolvitur controversia.

XVII. Mirabitur forte aliquis, quomodo Iosephus Vespasiano praedixerit imperium, eumque ut Messiam reveritus fuerit, quod adulatione fecisse ad captandam principis benevolentiam opinantur nonnulli. Id vero hac ratione arbitror contigisse. Non solum apud Iudaeos, verum etiam apud nationes reliquas fama percrebuerat, ut ex Iudaea profecti rerum potirentur; quemamodum Suetonius in Vespasiano, ac Tacitus lib. v. Historiar. affirmant. Ea autem opinio manaverat ex veterum prophetarum oraculis, quibus Christi sempiternum regnum praenuntiabatur: cumque de regno spirituali accipienda essent, Sacerdotes de temporali principatu eadem oracula intellexere; atque idcirco Messiam humili loco natum, imperiumque aspernantem recipere noluerunt. Iosephus igitur ipsorum oraculorum haud ignarus, quum res Iudaeorum in deterius vergerent, ac gentis suae ob Romanorum seditiones proximum videret exitium; existimavit orbis dominatorem ex Iudaea profecturum non fore Iudaeorum aliquem, sed Vespasianum, cui in Syria bellum gerenti omnia ex voto fluebant, nam Iotapata devicta, & Iosepho ipso Galilaeorum duce in custodiam redacto, Galilaeam primum, deinde Iudaeam universam felicissimo belli exitu superaverat. Hinc oracula de Christo praenuntiata non Iosephus tantum, ac Tacitus in libro v. superius laudato, sed insuper Apianus lib. XXII. Hist. Romanae, ad Vespasianum retulerunt, ut bene sapienterque animadvertunt Eusebius lib. II. H. E. cap. 8. & Zonaras Tom. II. Annalium, ceteris autem expressius & accuratius Gerardus Ioannes Vossius lib. II. de Historicis Graecis cap. 8.

XVII. *Quo pacto Iosephus imperium Vespasiano fuerit vaticinatus.*

XVIII. Philonem Iudaeorum dissertissimum inter Scriptores Ecclesiasticos connumerat S. Hieronymus, quoniam fideles Alexandrinae Ecclesiae laudibus exornavit, eorumque continentiam, & misericordiam in pauperes ita descripsit, ut videatur celebrare fideles, quales Hierosolymis fuisse Lucas refert. Haec habentur in Libro *de Vita eorum, qui Ascetae dicuntur*, & in quo de Christianis Philonem agere putant quoque Eusebius lib. II. H. E. cap. 16. & Rufinus, & Nicephorus cap. 17. At de Essenis, rigida quadam Iudaeorum secta, locutum Philonem viri complures contendunt. Vide Baronium ad Annum Christi 64. Inter Philonis opera recensentur praeterea Libri de Vita Mosis & Ioseph, Historia ab Adamo usque ad Saulis Regis tempora, & de Legatione sua ad Caium Caesarem cognomento Caligulam, in qua narrat quanta Iudaei mala perpessi fuerint a praeside Aegypti Avidio Flacco. Praelaudata tamen Historia, quam

XVIII. *De Philone Alexandrino, eiusque scriptis.*

Trithemius appellat *Librum de Generationis successu*, cum plura habeat Sacris Litteris adversantia, a Melchiore Cano lib. xi. de Locis Theol. cap. 6. aliisque pluribus emunctarum narrium criticis inter spuria reiicitur.

XIX. *De Actis Pilati.*

XIX. Reliquum est, ut de Actis Pilati pro coronide huius Dissertationis dicamus. Fertur Iudaeae Praeses his Actis ad Tiberium scripsisse quae de Christo gesta erant, eique illatum crucis supplicium, & ipsius resurrectionem innumeris testibus comprobatam. Varia sunt de iisdem Actis eruditorum virorum iudicia. Ea dispungunt, ac spuria censent complures, quorum argumenta collegerunt Fabricius in Apocryphis Novi Testamenti, Clericus ad Annum 29. num. 94. ac Basnagius ad Annum 33. num 192. Vindicant autem Petavius in Animadversionibus ad Epiphanium, Serrius Exercit. 64. & luculenter & erudite Ioannes Pearsonius. Nonnulli, ut Wilelmus Caveus, mediam incedunt viam, & quaedam Pilati acta sincera, quaedam supposita fuisse contendunt. Nostra autem sententia haec est: Acta Pilati reiici absque temeritate non possunt, corrupta tamen, & adulterata fuere. Pars huius assertionis prior constat ex quo ad haec Acta idololatras provocaverint S. M. Iustinus in altera Ap. ad Antoninum, Lucianus qui sub Decio martyr occubuit, atque Tertullianus in Apologetico: eadem vero Acta Veteres omnes commendarunt, Eusebius lib. II. H. E. cap. 2. S. Ioannes Chrysostomus Hom. 26. in Epist. 2. ad Corinth. Orosius lib. vii. cap. 4. necnon Patres, & Historici alii quamplurimi. Accedit ratio: nam omnes provinciarum Proconsules, Rectoresque tenebantur rerum a se gestarum ad Imperatorem & Senatum Romanum Acta transmittere, ut scribit citato in loco Eusebius, & nemo, qui hospes non sit in Historia, nescire potest. Altera autem pars demonstratur, quoniam eadem Acta ab Haereticis corrupta fuisse testatur Haer. 1. S. Epiphanius, & regnante Diocletiano in odium Christianorum Acta consimilia fuisse conficta, quae postea a Maximino Augusto in lucem fuerunt producta, narrat lib. ix. cap. 5. Eusebius. Verum tam genuina illa, quam haec depravata Pilati Acta dudum periisse dicuntur. Atque de Scriptoribus primi Saeculi pertractatum satis superque.



DIS-

DISSERTATIO V.

DE ROMANIS IMPERATORIBUS DE MARTYRIBUS ALIISQUE VIRIS ILLUSTRIORI SANCTITATE PRAEDITIS QUI PRIMO ECCLESIAE SAECULO FLORUERUNT.

I. PERVENTUM est ad quintam ac postremam Primi Ecclesiae Saeculi Dissertationem, in qua de Martyribus, ceterisque illustrioribus Sanctis instituendus est sermo. At cùm Martyres occubuerint ingruentibus persecutionibus; simul de Romanis Imperatoribus, ac praesertim de iis, qui persecutiones excitaverint, breviter est disserendum. In primo Christiano saeculo Caesar Octavianus Augustus, Tiberius, Caius Caligula, Claudius, Nero, Galba Otho & Vitellius, Vespasianus, Titus Domitianus & Nerva, ac Traianus tenuerunt Imperium. Caesar Octavianus is est, quo Consulatum gerente cum Lucio Cornelio Sulla anno principatus sui 40. & 41. Iuliano, V. C. 749. natum in Bethlehem Mundi Reparatorem ac Dominum, diximus in Dissert. praeambula num. II. Huius Imperatoris anno 45. seu Iuliano 46. Coss. C. Caesare & Lucio Aem. Paullo, & V. C. 754. inchoandam esse Aeram Vulgarem ostendimus in Disquisitionibus Chronologicis: ibique etiam narravimus obiisse Octavianum anno Aerae Vulg. 14. Coss. duobus Sextis, ac die 19. mensis Augusti, cum imperasset annis fere 58. vixisset autem annis 76. Sub Octaviani Augusti imperio enumerat Ecclesia in Fastis Martyrum Innocentes, pro Christo ab Herode Ascalonita mactatos: de quibus plura diximus in praecitata Dissertatione num. XVI. & sequentibus.

I. Romani Imperatores primi Saeculi enumerantur, quorum agmen ducit Caes. Octavianus Augustus.

II. Octaviano Augusto in Romana Monarchia successit Tiberius praedicto anno Vulg. Aerae 14. sed ipse Imperium Proconsulare, quo nempe aequum cum Augusto in omnibus provinciis, exercitibus

II. De his, quae sub Tiberio Caesare contigerunt.

tibusque ius habuit, ante exactum biennium, idest anno 12. inceptus fuerat. De hoc Proconsulari Imperio Tiberii pertractant Velleius Paterculus lib. II. Rom. Hist. cap. 121. Tacitus Annalium 1. Dio Cassius ad An. Vrb. 764. & Suetonius in Tiberio cap. 21. Huius Imperii Epocham secutus est S. Lucas Evangelista, dum ait Christum a Ioanne baptizatum anno Imperii Tiberii Caesaris xv. ideoque anno V. C. 779. Vulg. Aerae 26. Vt enim alibi diximus, nisi Epocham Imperii Proconsularis, sed Augustei secutus fuisset Evangelista, Dominus non quidem anno aetatis suae 30. sed 33. aut 34. ad baptismum venisset, quod licet ab Vsserio, aliisque recentioribus asseratur, aperte tamen Evangelicae Historiae, & universorum Patrum traditioni repugnat. Hinc vero temporum ratione servata diximus, Christum anno eiusdem Epochae Imperii Proconsularis 18. Imperii autem Augustei 15. V. C. 782. Vulg. Aerae 29. cruci fuisse suffixum; quod item consonum est Evangelicae narrationi, ac Patribus, Christi aetatem ante Opus Redemptionis peractum decursu 33. annorum definientibus. Decessit autem Tiberius xvii. Kal. Aprilis Coss. Acerronio, & Nigrino, idest, die 16. Martii anni Vulg. Aerae 37. ut colligitur ex Suetonio cap. 73. In Imperio itaque Tiberii primum in Martyrum Fastis locum tenet ille, a quo omne Martyrium sumpsit exordium, idest Vnigenitus Dei pro redemptione humani generis crucifixus. Etsi autem huius mortem praecessit decollatio Ioannis Baptistae, de quo plura in Praelectionibus nostris, ille tamen pro Religione, quam profitemur, passus non est; licet interfectus fuerit pro iustitia, insidiis incestuosae, sceleslissimaeque mulieris. Pauca nihilominus de tanto viro dicamus, quando, cur, & ubi fuerit illi caput abscissum. Baronius id contigisse putat anno Christianae Aerae 33. Coss. Tiberio v. & Ælio Seiano. At nos pertractantes de Epocha Herodis Antipae illatam Praecursori mortem ostendimus anno Aerae Vulg. 28. Coss. Iunio Silano, & Silio Nerva, anno nempe verae aetatis Christi 32. & Imperii Augustalis Tiberii 18. Ex iis insuper, quae diximus differendo de Romanorum Consulum Fastis, evidens est anno 33. Aerae Christianae non iniisse Consulatum Tiberium Augustum, & Seianum, sed Sulpicium Galbam, & Sullam Felicem. Atque de tempore interfecti Praecursoris haec tantum. Causa ex Luca Evangelista cap. 6. perspicua est, Herodiadis nempe odium, imprudensque Herodis Antipae inter epulas, choreasque convivales jusiurandum; tametsi Iosephus lib. xviii. Antiq. cap. 7. scribat Ioannem in carcerem detrusum ob populi seditionem, quam propter multitudinem confluentem ad poenitentiae lavacrum princeps iniquissimus verebatur. Sane allatam ab Evangelista causam insanientis quoque Herodiadis indignatio patefacit; siquidem extractam truncato capiti linguam, ut Tullio fecisse

cisse dicitur Fulvia, acu discriminali confixit, quemadmodum Apologia in Rufinum scribit S. Hieronymus. Haec autem de caussa. Macherunte Ioannem in carcerem coniectum & necatum fuisse tradit citato cap. 7. Historicus, demonstratque ad Annum 33. Auctor Annalium. Macheruntem non procul a Iordane situm, atque duodecim horarum itinere distantem a Hierosolymis delineant nobis Geographi. Profecto Corpus Ioannis a discipulis sublatum in urbe Sebaste fuisse sepultum Historici tradunt omnes. Quid autem de capite evenerit, enarravimus in Praelectionibus. Addendum ex Nicephoro lib. 1. H. E. cap. 20. saltatricem Herodiadis filiam, dum fluvium glacie constrictum traiiceret, glacie rupta fuisse demersam, caput vero frigore & glacie ipsa concretum a reliquo corpore manifesta Numinis ira resectum. Ad Tiberii tempora referri debet etiam obitus S. Ioseph castissimi Deiparae Sponsi: quem ex Evangelio constat in vivis extitisse anno Christi 12. sed quo anno mortuus sit ignoratur. Paulo post praedictum annum 12. obiisse censent plures, primum quia auctore Epiphanio Haer. 78. octogesimum annum transegerat, quando cum Virgine iniit connubium; deinde quia nec nuptiis Canae Galilaeae legitur interfuisse, nec adstitit Salvatori dum pendebat in cruce, ideoque iam decesserat; tertio quoniam Lucae cap. 8. mater, & fratres Domini commemorantur, nulla facta S. Ioseph mentione. Sed his tempus, & annus S. Ioseph emortualis definiri non potest: etenim sententia Epiphanii a multis reiicitur; duo autem momenta, quae sequuntur, cum & negantia sint, & innixa rebus gestis post annum Christi 30. aut nil probant, aut probant duntaxat Ioseph vita functum ante annum huius Aerae 26. qui concurrit cum anno Christi 30. & Imperii Augustalis Tiberii Caesaris 12. & 13.

III. *De Caio Caligula.*

III. Post Tiberii obitum ad Imperium evectus est Caius cognomento Caligula filius Germanici & Agrippinae, natus Antii anno V. C. 764. Coss. Caesare & Capitone, idest, anno Aerae Vulg. 12. & duobus annis ante mortem Octaviani, pridie Kalendas Septembris, ut inquit Suetonius in Caio cap. 8. Occisus est autem Caligula die 24. Ianuarii, dum quartum cum Sentio Saturnino iniisset Consulatum, idest, anno Vulg. Aerae 41. aetatis suae 29. cum imperasset triennio, 10. mensibus, & diebus 8. ut scribunt praecitatus Suetonius cap. 50. necnon S. Clemens Alexandrinus in 1. Strom. Tertullianus in libro adversus Iudaeos, aliique omnes consensu prorsus unanimi. Imperante Caligula egregiam Catholicae Fidei navavit operam S. Barnabas, nomenque Christo dedit Cornelius Centurio a Petro Apostolorum principe baptizatus. De Barnaba legimus Act. Apost. xi. missum ab Ecclesia Hierosolymitana Antiochiam, ubi, cum solus instituendae multitudini non sufficeret, Saulo laborum suorum socio e Tarso Ciliciae

urbe

urbe accersito, coeperunt anno huius Aerae 40. qui in Christum crediderant, denominari Christiani. Ferunt Cornelium a Gamaliele cum eodem Saulo, ac Stephano fuisse litteris imbutum; atque, cum Italiam venisset, Liguris & Mediolanensibus praedicasse Evangelium, quod Baronius ad Annum Christi 51. indubitatum esse pronunciat ob firmam traditionem, ob complurium Scriptorum testimonia, atque ob vetusta Ecclesiae Mediolanensis monumenta. Praecitata Dissertatione num. IV. nonnulla diximus de Epistola huic Barnabae adscripta. Eidem Tertullianus de Pudicitia cap. 20. attribuit Epistolam ad Hebraeos, quam tamen ab Apostolo Paulo conscriptam fuisse communior est & verissima assertio. Haec de Barnaba. De gestis Cornelii, postquam baptismum suscepit, plura narrantur quae deprompta sunt ex Simeone Metaphraste ad diem 13. Septembris; sed cum antiquiori destituta sint auctore, fluxae sunt fidei. Romanum Martyrologium die 2. Februarii eumdem Cornelium appellat Episcopum Caesariensem: at vereor, ne sit opinio derivata ex libro VII. Constit. Apostolic. cap. 46. ubi hoc idem asseritur. Quo autem loco Constitutionum Apostolicarum Opus habendum sit, dixi superius num. III. Verum quidquid censeatur de Cornelii Episcopatu, firmissime tenendum est, virum fuisse sanctitatis eximiae, ad quem fide imbuendum divinitus missus fuit Princeps Apostolorum.

IV. *De Imperio Claudii.*

IV. Caligula vita functo sub initia anni 41. Aerae Christianae Claudius illius patruus, ac frater Germanici, filiusque Drusi & Antoniae arripuit imperium. Regnavit autem Claudius ex Dione libro LX. & Suetonio cap. 45. annis 13. mensibus 8. ac diebus 20. obiitque III. Idus, sive die 13. Octob. veneno sublatus, Coss. Asinio Marcello & Aciolo Aviola, scilicet, anno Vulg. Aerae 54. Ad Claudii tempora referunt Historici Romanae Ecclesiae primordia, & Petri adventum in urbem: de qua re plura diximus Diss. I. num. X. Sub eodem Claudio S. Matthaeus Evangelium conscripsit, ut demonstrat ad An. 41. Baronius: quamquam nonnulli putent id contigisse in altero S. Petri ad urbem reditu imperante Nerone, propterea quod Irenaeus lib. III. cap. 1. apud Eusebium lib. V. cap. 10. affirmet Evangelium editum a Matthaeo *cum Petrus & Paulus Romae evangelizarent, & fundarent Ecclesiam*. Sed haec opinio a Papia exorta, ut idem Eusebius animadvertit, communiter reiicitur; siquidem Matthaeus omnium primus scripsisse fertur; neque credibile est tam sero primum Evangelii volumen prodiisse, quando iam plura Pseudoevangelia enumerata Differt. IV. n. XIII. conficta fuisse dicuntur. Quinto Claudii anno Sergius Paulus, vir prudens & Proconsulari praeditus dignitate, in Cypro insula ab Apostolo imbutus fuit Christiana Fide, ac doctrina. Anno Christi 49. Claudius Iudaeos Roma expulit, ideoque Petrus reversus est in Iudae-

Iudaeam; eodemque anno fertur Paulus circumcidisse Thimotheum, & Athenas profectus, ac disputans in Areopago Dionysium ad Fidem convertit. De circumcisione Timothei egimus Differt. II. num. III. de Dionysio autem nonnulla diximus Diss. praecedenti num. VI.

V. Evecto ad Imperium Claudio Agrippam Herodem adauctum fuisse principatu Iudaeae & Samariae, atque in patriam reversum Hierosolymis ad vexandam Ecclesiam animum adiecisse, Petrum carceri mancipasse, Iacobum fratrem Ioannis occidisse gladio, & manus iniecisse in alios Christifideles, narravimus in Epochis Herodiadum num. XXIII. Haec regis Herodis in Ecclesiam persecutio, consignanda Anno Christi 41. causam praebuit Apostolis discedendi ex Iudaea, sibique commissam Mundi partem peragrandi. Hinc Petrus, ut paullo supra innuebamus, Romam advenit 12. anno post Christi passionem, & primo anno Claudii: quod Chronologiae nostrae cohaeret, ut Diss. I. num. 10. & 11. demonstravimus. Iam idem Petrus legibus Evangelicae praedicationis impleverat Pontum, Galatiam, Cappadociam, atque Bythiniam, ut inquit Serm. 1. in Nat. Apost. Leo Magnus. Romam proficiscentem appulisse in Siciliam, deinde Neapolim, tum Liburnum, ac Pisas, Baronius quoque ad Annum 44. opinatur. Ioannes filius Zebedei, & frater Iacobi, quem nuper laudavimus, profectus est in Asiam, ut Eusebius lib. III. cap. 1. Tertullianus lib. IV. contra Marc. Ioannes Chrisostomus Hom. 1. in Ioanne, aliique plurimi afferunt: nec desunt, qui cum Ioanne migrasse Deiparam, & Ephesi habitasse contendunt, id eruentes ex Epiphanio Haer. 78. atque ex Epistola Synodica Concilii Ephesini ad Clerum Constantinopolitanum; Andream missum ad Scythas tradit citato in loco Eusebius; ad Sogdianos quoque, & Aethiopes penetrasse scribit in Synopsi Dorotheus. Philippum Asiam superiorem excoluisse, Thomam Parthos, Iudaeosque imbuisse fide, Bartholomaeum maiorem Armeniam, & Matthaeum Aethiopiam peragrasse, litteris mandarunt Sophronius, Socrates, Nicephorus, & complures alii, citato in loco laudati a Baronio. Simon Chananaeus Mesopotamiam, Persidem, Africam, & Britanniam ad Christum dicitur convertisse: Iudas, qui & Taddaeus, Arabiam & Idumaeam; Matthias demum, post Iudaeam, magnam Aethiopiae partem. Sed haec attigisse sufficiat, ne fabulis & commentis, quibus Historia profectionis Apostolorum videtur esse referta, assensum temere praebeamus.

V. De Apostolorum divisione.

VI. Vt modo ad seriem Romanorum Imperatorum revertamur, Claudio e vivis sublato die 13. Octob. an. 54. successit Nero e Gente Domitia, natus XVIII. Kal. Ianuarias post novem menses, quam Tiberius e vivis excesserat, ut inquit Suetonius cap. 6. scilicet die 15. Decembris an. Aer. Vulg. 37. Id cohaeret cum iis, quae de excessu Tiberii diximus supra num. II. & nostram quoque sententiam de

VI. De imperio Neronis, & de prima in Christianos persecutione.

de anno Christi emortuali confirmat, scribente Lactantio de morte Persecutorum: *A morte Christi usque ad principium Neroniani sunt anni* 25. Et revera haec summa inter annum 29. a passione Domini consecratum, & 54. initiis Imperii Neroniani notatum, intercessit. Interemit autem seipsum Nero Italico & Galerio Coss. die 10. Iunii an. Christi 68. trigesimo & altero aetatis anno, ut scribit lib. VII. Eutropius, cum imperasset annos 13. menses 7. dies 18. ex Dione lib. LXIII. vel ex Suetonio paullo minus ann. 14. Huius Imperatoris anno undecimo, & Aerae Christ. 64. exorta est prima in Christianos persecutio, cuius originem, saevitiam, atque extensionem paucis exponam. Origo autem, ac principium est huiusmodi. Cum Nero urbem incendisset, & tempore flagrantis urbis cecinisset domestica scena Troianum excidium, ad declinandam invidiam in Christianos animadvertit, cum incendium urbis, tum exitiosam superstitionem (ita Christianam religionem nominabant idolorum cultores) nostratibus obiectans: *Ergo abolendo rumori*, ait Tacitus Annal. 15. *Nero subdidit reos, & quaesitissimis poenis affecit, quos per flagitia invisos, vulgus Christianos appellabat. Auctor nominis eius Christus, qui Tiberio imperante per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat. Repressaque in praesens exitiabilis superstitio rursus erumpebat, non modo per Iudaeam originem eius mali, sed per urbem etiam: quo cuncta undique atrocia, pudendaque confluunt, celebranturque*. Haec verba Taciti notanda sunt adv. Henricum Dodwellum, qui Diss. XI. Cyprianica de Paucit. Martyrum, contendit persecutionem Neronianam intra solius urbis moenia saeviisse, quoniam nulla erat vel specietenus verisimilis ratio, cur Imperator in eos, qui Roma aberant, urbis intentaret incendium. Sed flaccescit ratio haec Dodwelli; siquidem non incendium solummodo, sed & veri Numinis cultus, quem Ethnici superstitionem vocant, causa Neroni fuit in Christianos saeviendi: unde Suetonius in Nerone cap. 16. inquit: *Affecti suppliciis Christiani, genus hominum superstitionis novae & maleficae*. De Neronianae persecutionis saevitiia ita eodem Libro Cornelius Tacitus: *Pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent; aut crucibus affixi, aut flammandi; atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur*. De hoc supplicii genere temporibus Neronianis usurpato Iuvenalis Satyra I.

Pone Tigellinum, taeda lucebis in illa,
Qua stantes ardent, qui fixo gutture fumant.

Denique non Romae tantum, sed in omnibus provinciis Romano Imperio subiectis persecutio ista desaeviit. Testatur id Lactantius in libro de Mortibus Persecut. cap. 2. scribens: *Qua ad Neronem delata, cum animadverteret non modo Romae, sed ubique quoti-* *die*

die magnam multitudinem deficere a cultu idolorum, & ad religionem novam damnata vetustate transire, prosilivit ad excidendum coeleste templum, delendamque iustitiam. Quod & asserunt Severus Sulpitius lib. II. Sacrae Historiae, & Paulus Orosius lib. VII. cap. 5. Huc spectat celebris Inscriptio Gruteriana IX. pag. 238. unde grassatam persecutionem Neronis in Hispania, etsi permulti de illius Inscriptionis antiquitate, & veritate haesitarunt, evidenter eruitur. Inscriptio enim est erecti Neroni Marmoris, OB PROVIN. LATRONIB. ET HIS. QVI NOVAM. GEN. HVM. SVPERSTITION. IN. VLCAB. PVRGATAM. Atque homines illos *novam* inculcantes *superstitionem* esse iuxta idololatrarum sensum Christianos constat ex praecitatis Suetonii verbis. Haec vero de Neronianae persecutionis origine, immanitate, & extra urbem dilatatione. Si autem quis nos redarguat, quoniam hanc persecutionem primam diximus, cum tamen num. IV. dictum sit, sub Claudio Iudaeos & Christianos fuisse Roma expulsos, quod Suetonius narrat in Vita Claudii num. 25. respondemus persecutionem Neronis dici primam, quia primus omnium ex Imperatoribus Romanis Nero in Christianos non exilio, quod Claudius fecerat, sed caede, ferro, omniumque genere poenarum desaeviit; ideoque Tertullianus in Apologetico ait: „ Consulite commentarios vestros; in illis reperietis Neronem primum in hanc Sectam tum maxime Romae orientem Caesariano gladio ferocisse „.

VII. *De iis, qui in persecutione Neronis coronati fuerunt martyrio.*

VII. Neroniana saeviente adversus Christianos persecutione plurimos subiisse pro Christo martyrium facile ex dictis infertur. Eorum memoria colitur in Romano Martyrologio VIII. Kal. Iulias, ibique *Primitiae* dicuntur *Martyrum*, non quod omnium primi, sed quod primi Romae pro Christi fide fuerint necati. Hos inter eminent Apostolorum principes Petrus & Paulus, quorum martyrii tempus, genus, & locum demonstro breviter. Ac de tempore dictum Diss. I. num. 7. consignandum esse martyrium Apostolorum anno Aerae Christianae 65. post Christi passionem 37. Neronis 12. Consulatum gerentibus Nerva & Vestino: quod vetustissimis Catalogis & Lactantii, Hieronymi, aliorumque testimoniis confirmavimus. Diem hoc consecratum martyrio fuisse tertium Kalendas Iulias consentiunt omnes. Altero tamen anno passum necatumque Paulum tradidere nonnulli cum Arato lib. II. in Act. Apost. & Prudentius Hymno 12. περὶ στεφ: sed Caii, Zephirini, Dionysii Corinthiorum Episcopi, Eusebii, Epiphanii, Hieronymi, Cassiodori, Martyrologii Occidentalis Ecclesiae pervetusti, aliorumque omnium, atque Graecorum Menologiorum refelluntur auctoritate. De cuius martyrii genere unum constat, Petrum affixum cruci, Paulum capite truncatum fuisse. Verum antequam hoc afficerentur supplicio, more Romano virgis caesi dicuntur, extantque etiamnum, & habentur in pretio in Ecclesia S. Mariae Transpontem columnae, quibus Apo-

Apostoli alligati, virgisque caesi feruntur. Obstare quoad Paulum huic traditioni videtur lex Valeria, & lex Portia, quibus Civis Romanus ultimo supplicio damnandus a flagris declaratur immunis. At lege XII. Tabularum quisque immanis delicti reus capite plectendus primum flagellis caedendus erat: Paulus vero impietatis, ac superstitionis, ideoque gravissimi criminis iudicio postulabatur. Ad locum quod attinet, constat Paulum capite truncatum ad Aquas Salvias tertio ab Vrbe lapide, ubi postea decem millia militum capite truncatos Fidei Christianae causa referunt die 9. Iulii SS. Martyrum Fasti. Petrum in Ianiculo crucifixum vetera monumenta testantur, non procul a naumachia, sive a stagno Agrippae. Montorium vulgo dicunt, in Transtiberina regione. In Libro tamen Pontificali dicitur Petrus crucifixus in Vaticano, iuxta Palatium Neronianum, & territorium triumphale, non procul ab illi erecta Basilica. Verum Ianiculus Vaticano monti erat conterminus, imo tota ea planicies, quae inter montem, ac Tiberim iacet, Vaticani nomen obtinuit; ibique, non procul a Ianiculo, Circus extructus a Caio, postea Neronis nuncupatus, Obeliscus nunc in platea Vaticanae Aedis, olim situs ubi nunc extat Sacrarium, ex una parte Circi templum Matris Deûm, in altera Apollinis, sive Solis, prope Circum terra argillacea, ex qua etiamnum figuli laterea, & fictilia vasa fabricantur. Itaque mons Ianiculus cretoso colli proximus martyrio Petri, extrema pars clivi ad Apollinis aedem illius sepulcro dicatur. Habuit & filiam Petrus coronatam martyrio, Auream Petronillam nomine: num ex coniuge genitam, num regeneratam baptismate, incertum. In eius cultum templum Apollinis nuper commemoratum, nunc pars Vaticanae Basilicae, a S. Paulo I. dedicatum fuit, eoque sacrum Petronillae corpus octavo Saeculo translatum ex Coemeterio SS. Nerei & Achillei, ubi inventum Sarcophagum his insculptum litteris, AVREAE PETRONILLAE FILIAE DVLCISSIMAE: quas litteras Anastasius Biblioth. in Vita S. Pauli I. R. P. propria S. Petri manu designatas existimat. Coniugem quoque Petri Martyrem occubuisse testatur lib. VII. Strom. S. Clemens Alexandrinus. Praetermittendi non sunt Processus & Martinianus, quos in Carcecere Mamertino Petrus erumpente e petra fonte baptizavit, necnon Basilissa, & Anastasia, Herodion, Olympas, aliique Apostolorum discipuli. Processi & Martiniani corpora in praedio Lucinae mulieris religiosissimae Via Aurelia extra Portam S. Pancratii tumulata fuere; ipsaque Lucina in altero praedio, quod Via Ostiensi possidebat, Apostoli Pauli Corpus honesto loculo condidit.

VIII. *De Virginis Mariae obitu, & assumptione.*

VIII. Ad Neronis tempora, eiusque Imperii annum quartum, Christianae Areae 57. quidam cum Philippo Brietio referunt mortem & Assumptionem Deiparae: de qua ratio postulat, antequam ad alios Romanos Caesares progrediamur, ut brevi investigemus an mor-

mortua sit, quando, ubi, & num in coelos assumpta. Revera itaque mortuam Virginem arbitramur, tametsi hoc in dubium vertere videatur Haer. 78. Epiphanius, qui adversus purissimae Virginis calumniatores Deiparam omnis foeditatis expertem, & a mortis iniuria immunem fuisse docet. Illam tamen pro conditione carnis migrasse affirmat Ecclesia. Quomodo, dicis, fieri id potuit, si Virgo ab originali peccato, cuius mors consectaria poena est, praedicatur immunis? Recte hoc fieri potuit: nam ideo mors est poena inflicta peccato; quia Deus primum hominem immortalitatis gratia donaverat, qua gratia deperdita, mors non est culpa, sed naturae conditio, corpori ex elementis compacto, extenso, & solubili consentanea. At ubinam Virgo ex hac vita decessit? Hierosolymis, inquiunt Ioannes Damascenus Orat. 2. de Dormit. Virginis, Andreas Episcopus Cretensis Tom. 10. Bibl. PP. Iuvenalis Episcopus Hierosolymitanus in Epistola ad Marcianum & Pulcheriam, Euthymius in Hist. Cedrenus in Comp. Hist. Nicephorus lib. xv. cap. 14. Baronius ad Annum 48. aliique permulti: Ephesi autem PP. Concilii Ephesini celebrati anno 430. Tillemontius, Serrius, aliique iuniores: sed Ephesinorum PP. assertio ambigua est, & de aede, aut domo solet exponi; ita enim sonat, *In urbe Ephesi, in qua Ioannes Theologus, & Deipara Virgo S. Maria*, *ἐν τῇ ὁ Θεόλογος Ἰωάννης, καὶ ἡ Θεοτόκος παρθένος ἡ ἁγία Μαρία*. Nulla heic mortis commemoratio. Non est tamen prior sententia inconcussa, tum quia aetate Hieronymi sepulcrum Virginis Hierosolymitanum, fatente Baronio, ignorabatur, tum quia Iuvenalis Epistola, & Euthymii Historia, unde alii Virginem Gethsemani sepultam hauserunt, non magni aestimantur, immo illa Epistola a multis spuria censetur. Quare nihil de sepulcro Virginis definimus. Quid vero de anno mortis? Si quando Christum peperit, agebat Virgo annum aetatis suae 15. ut fert communior opinio, & si vixit, ut quidam cum Epiphanio putant, annis 72. proculdubio obiit anno 52. Aer. Vulg. & 12. Claudii, non anno 57. & IV. Neronis, ut Brietius affirmat. Sed quot annis Virgo superstes fuerit, incertum est penitus, nonnullis cum Nicephoro & Evodio asserentibus vixisse illam annos 50. aliis cum Hippolyto Thebano annos 57. quibusdam apud Cedrenum annos 58. aliquibus apud Baronium annos 63. alii demum cum Andrea Cretensi aiunt ad senectutem pervenisse extremam. Ea propter hanc itidem quaestionem, uti praecedentem, cuiusque arbitrio relinquimus. Ceterum quod attinet ad postremam, post placidissimam mortem beatissimam Christi Matrem una cum corpore statim reviviscente in coelum fuisse assumptam, communi Ecclesiae consensione affirmamus, Ioannis quoque Damasceni, Andreae Cretensis, Petri Damiani, Bernardi, aliorumque multorum testimoniis suffulti. Quamvis autem Alexander Natalis in Hist. Eccl. Sec. I. cap. 4.

art. 3. pertractans de scriptis Melitonis Sardensis Episcopi, & singillatim de libro illi affícto, cui ritulus, *De transitu Virginis*, conatur ostendere, de Virginis Assumptione Patres, & Auctores antiquos, & in Ecclesia spectatissimos dubitasse; nos tamen subscribendum censemus Melchiori Cano, viro eiusdem Instituri clarissimo: cuius lib. x. de Locis Theol. cap. 10. haec sunt verba: *Beatam Virginem non esse in coelos cum corpore assumptam, licet fidei minime adversum sit, quia tamen communi Ecclesiae consensioni repugnat, petulanti temeritate diceretur*. Iam vero quae Neronis mortem subsecuta sunt enarremus.

IX.
De quatuor, qui post Neronem regnarunt, Romanis Imperatoribus, atque de Hierosolymorum excidio.

IX. Neroni, qui mortem sibi scelerata manu conscivit anno Christi 68. ut diximus supra, successerunt unius anni intervallo Galba, Otho, & Vitellius, post quorum interitum imperavit Vespasianus. Nam Galba die sextadecima Ianuarii, Consule Tito Vinio, quemadmodum in 1. Hist. narrat Tacitus, anno scilicet 69. foede, plerisque vulneribus laniatus interiit, cum per menses septem, ac totidem dies imperasset. M. Salvius Otho eiusdem loco suffectus, exercitu suo a Vitellii copiis devicto, sibimet manus inrulit die 16. Aprilis, cum per tres menses tenuisset Imperium. Vitellius vero post menses octo, & dies quinque, idest, die 21. Decembris eiusdem anni 69. iussu Vespasiani interfectus est. Huic ramen, Vespasianum dico, audita morte Othonis Tiberius Alexander praefectus Aegypti legiones omnes subiecerat a Kalendis Iuliis, qui dies principatus in posterum observatus est, inquit Suetonius in Vespasiano cap. 6. Extinctus est autem Vespasianus Consularu suo nono, anno nempe Christi 79. Octavo Kalendas Iulias, exacto anno aetatis suae 69. imperiique sui anno 10. Anno 2. Vespasiani, auctore Iosepho lib. vi. de Bello Iud. cap. 47. atque anno a morte Christi 42. ut scribunt Clemens Alexandrinus in 1. Strom. Origenes lib. iv. contra Celsum, & Hieronymus in cap. 1. Sophoniae contigit Hierosolymitanae urbis eversio. Haec Chronologiae, quam sequimur, adamussim cohaerent. Etenim annus a morte Christi 42. est annus Vulg. Aer. 70. secundus Vespasiani, & Epochae Cladis Hierosolymorum initium. Eamdem cladem aperte Dominus praedixerat Lucae 19. & 21. non verbis tantum, sed miserabili etiam fletu: eamdem praenuntiasse Petrum & Paulum demonstrat lib. iv. Divin. Instir. cap. 2. Lactantius: eamdem ante quatuor annos vaticinatum Iesum quemdam Anani filium scribir lib. vii. cap. 12. Iosephus. Eo loci multa alia prodigia, quae excidium illud praemonstrarunt, narrat Historicus, inter quae illud etiam a Tacito lib. v. Hist. memoratum, subita nempe, & maior humana excedentium Angelorum vox, *Migremus hinc*. Obsessa fuerat Civitas a Tito filio Vespasiani in Azymorum solemniis, Templum succensum fuit die 5. Augusti, atque Vrbs expugnata Kalendis Septembris. Legantur Iosephus lib. vi. de Bello Iud.

Taci-

Tacitus citato in loco, Tertullianus in Apologetico cap. 16. & Minutius Felix in Octavio. Caufam illius excidii praelaudatus Iofephus lib. VII. cap. 17. & 18. ait fuiffe Iudaeorum feditionem, & necem Iacobo, cui Iufti cognomen, illatam: fed excifas Hierofolymas, quod non cognoverint tempus vifitationis fuae, hominemque Deum Iacobo, cunctisque Iuftis digniorem occiderit, perfpicuum eft fatis. Ipfum Iacobum (fiquidem eius hac data occafione meminimus) Iudaei lapidibus obruerant feptimo Neronis anno, ideft anno Vulg. Aer. 60. cum 30. annis Hierofolymitanam rexiffet Ecclefiam, ex Hieronymo in libro de Script. Eccl. atque ex Beda de ratione temporum. Vefpafianus, ut ad illum revertatur oratio, debellatis Hierofolymis cum Tito anno Chrifti 71. ampliffimum egit triumphum, cum tertio Conful prodiiffet, ut nummi apud Patinum pag. 141. & Mediobarbum pag. 110. declarant. Extat & hodie ad radices Palatini Montis triumphalis arcus, & infcriptio, nobile eiusdem triumphi monumentum. Videfis illam apud Baronium ad Annum 73. & Manutium in Orthographia pag. 34. Videtur tamen haec infcriptio appofita anno Ch. 80. cum Titus Conful VIII. prodierat, & renunciatus fuerat Imperator, ut oftendunt hae notae, TRIB. POT. X. IMP. XVII. COS. VIII. quae tantum praedicto anno 80. conveniunt. Triumphum illum defcribit Iofephus lib. VII. de Bello Iud. cap. 16. narratque praeter multitudinem fpectaculorum, magnificentiam, & ingentem argenti, auri, & eboris copiam, publice elata fuiffe fpolia templi, menfam auream, candelabrum, Legisque volumina. In Hierofolymorum excidio nonaginta feptem millia Hebraeorum in captivitatem redacti funt; undecies centum millia in urbis obfidione perierunt.

X. *De Tito, de Domitiano, & de huius perfecutione.*

X. Vefpafiano Imperatori anno Aer. Vulg. 79. vita functo fucceffit filius inviciffimus Titus, natus ex Domitilla anno Vulg. Aer. 40. III. Kal. Ian. diebus 16. ante occifionem Caligulae. Quare Titus dum ad Imperii faftigium evectus eft, trigefimum nonum aetatis annum agebat. Imperavit autem annis duobus, menfibus item duobus, ac diebus 20. ex Dione lib. LXVI. & Suetonio cap. 11. obiitque Cofs. Annio Silvano, & Vero Pollione, ideft anno Chrifti 81. Idibus Septembris, & anno 41. aetatis fuae. Nil certi, quod ad rem faciat noftram, fub Tito contigit; ideoque ad Domitianum progredimur. Is Vefpafiano & Domitilla genitus, ac Titi frater, ab huius morte ufque ad XIV. Kal. Octobris anni Chrift. Aer. 96. quo a coniuratorum manu confectus interiit, intervallo quindecim annorum, & fex dierum, tenuit Imperium: vixitque anuis 45. fiquidem ex Suetonio cap. 1. natus erat IX. Kal. Novembris patre Confule defignato, nimirum anno Chrifti 51. & quinto Claudii. Decimotertio anno Domitiani Aer. Vulg. 93. Cofs. Sexto Pompeio Collega, & Cornelio Prifco, erupit fecunda in Chriftianos Perfecutio, ut recte adnotarunt

ad

ad eumdem annum Antonius Pagius, Petavius lib. XIII. de Doctrina Temp. & in Praefat. ad Acta Martyrum num. 27. Theodoricus Ruinart. Dodwellus Domitiani persecutionem vix ad unum annum perdurasse, & minime cruentam fuisse autumat; primum quia Eusebius lib. III. Hist. Eccl. cap. 18. ex Brutio refert Flaviam Domitillam anno 15. Domitiani in exilium fuisse deportatam; deinde quia Tertullianus in Apologetico cap. 5. ait: *Tentaverat & Domitianus portio Neronis de crudelitate; sed qua homo facile coeptum repressit*. Adde L. Caecilii testimonium de mortibus Persecut. cap. 3. *Postquam*, Domitianus, *ad persequendum iustum populum instinctu Daemonum incitatus est, tunc traditus in manus inimicorum luit poenas*. Sed anno Domitiani 14. saevisse persecutionem, ac multos Christianos martyres occubuisse, facile atque ex iisdem momentis adversus Dodwellum ostenditur. Enimvero Eusebius in Chronico persecutionem istam biennio ante exilium Domitillae consignat: Brutius apud eumdem Eusebium citato in loco, atque apud Auctorem Chronici Paschalis refert, *multos Christianos anno 14. Domitiani fecisse martyrium*. Per id temporis Antipas, cuius fit mentio cap. 2. Apocalypsis, & apud Tertullianum in Scorpiaco, Pergami (Civitas Mysiae fuit, & patria Galeni) raptus ad templum Dianae, inclusus in bove aeneo candenti vitam finivit: ac demum Xiphilinus ex Dione permultos impietatis causa (Ethnici religionem nostram ob spretum inanium Deorum cultum appellabant impietatem, atque atheismum) iussu Domitiani morte affectos testatur. Quare Tertullianus & Lactantius ad eum modum loquuntur, quoniam Domitiani persecutio non fuit admodum diuturna, poenam a Caesare, quem Tacitus in Vita Iulii Agricolae appellat Nerone saeviorem, Numine, caesisque Martyribus repetentibus. Fallitur quoque Tertullianus dum ait persecutionem ab ipsomet Domitiano fuisse repressam; siquidem id factum a Nerva, qui auctoritate Senatus Domitiani Acta rescidit, testatur Dio apud laudatum Xiphilinum his verbis: *Nerva autem eos, qui rei facti erant impietatis, absolvit, exulesque restituit*.

XI. *De Flavio Clemente, Domitilla, & Apostolo atque Evangelista Ioanne.*

XI. Idem Xiphilinus, cuius nuper verba produximus, ait Domitianum postremo Imperii sui anno morte affecisse M. Acilium Glabrionem Exconsulem, Flavium Clementem Consulem propinquum suum, eiusque uxorem Flaviam Domitillam in Pandatariam insulam relegasse, *illato ambobus crimine impietatis*. Habemus itaque sub Domitiano praeter Glabrionem, insignem martyrem Flavium Clementem eiusdem Imperatoris patruelem, & Consulari praeditum dignitate, eo anno, quo Consulatum gessit, scilicet anno Aerae Vulg. 95. pro Christi Fide necatum. Praeter Flaviam Domitillam, quam Dio & Xiphilinus vocant Flavii Clementis uxorem, fuisse Flaviam Domitillam alteram eius-

dem

dem Flavii Clementis neptem, filiamque sororis suae Plautillae affirmant Eusebius lib. III. H. E. cap. 14. & Brutius eo loci ab Eusebio productus; unde Baronius ad Annum 98. recte infert Flavias Domitillas duas, amitam, & neptem, pro Christiana religione eodem tempore fuisse exules, unamque in Pandatariam insulam deportatam, alteram in insulam Pontiam. Et quidem insulam Pontiam *exilio clarissimae feminarum Flaviae Domitillae* fuisse nobilitatam affirmat in Epitaphio Paulae Hieronymus. Superiori anno 94. & Domitiani 14. S. Ioannem Apostolum & Evangelistam pulsum fuisse in exilium, & relegatum in insulam Patmos, ubi scripsit Apocalypsim, testantur Eusebius in Chronico, & Hieronymus in Ecclesiasticorum Scriptorum Catalogo. Ioannes tamen, priusquam in illam Maris Icarii insulam adsportaretur, Romam vocatus, in dolium ferventis olei immersus, quemadmodum narrant Tertullianus de Praescript. cap. 36. & Hieronymus contra Iovinianum, necnon in Caput vigesimum Matthaei, praeclarum Evangelicae fidei testimonium perhibuit. Prochorus, cuius scripta superiori Diss. num. VIII. inter spuria reiecimus, ait Ioannem priusquam in vas aeneum immitteretur, fuisse attonsum: quod verissimum puto, non quidem permotus Prochori auctoritate, sed quoniam rei ad supplicium damnati ante mortem ludibrii causa tondebantur, flagrisque, aut loris, vel fustibus vapulabant. Eam ob rem in Lateranensi Basilica, apud Ioannem Ciampinium de Sacris Aedificiis a Constantino constructis, extabat rudis sed vetustissima imago musivi operis, lictores tondentes & caedentes Ioannem repraesentans: atque in aedicula orbicularis formae ad Portam Latinam interiori supra ianuam parieti hi versus leguntur insculpti:

Martyrii calicem bibit hic athleta Ioannes,
Principii Verbum cernere qui meruit.
Verberat hunc fuste Proconsul, forfice tondet,
Quem fervens oleum laedere non valuit.
Conditur hic oleum, dolium, cruor, atque capilli,
Quae consecrantur, libera Roma, tibi.

At Ioannes, cum ex aheno illaesus exisset, in Patmos, ut paullo supra dicebamus, fuit relegatus.

XII. *Attinguntur reliqua ad primum Ecclesiae Saeculum pertinentia.*

XII. Domitiano, qui se Deum superbissime iactaverat, neque in Christifideles duntaxat, verum etiam in omnes promiscue saevierat, adeo ut diceretur Nero recalvaster, quod ipsum Neronem crudelitate, libidine, ceterisque vitiis superaret: Domitiano, inquam, anno 96. XIV Kalendas Octobres, septem vulneribus confecto, fertur Apollonius Tyaneus insignis praestigiator Ephesi in Xysto mortem eius nuntiasse, immo dum Romae Stephanus, Clodianus, aliique interfectores stringebant gladios, exclamasse, *παῖε τὸν τύραννον, παῖε,*

Feri

Feri tyrannum , Feri : quae in Vita Apollonii narrat Philostratus. Etsi id verum asseratur , non superat tamen naturalem virtutem Daemonum , saepe quae in remotis locis eveniunt, motus velocitate , sensu aerii corporis , rerumque experientia noscentium. Perlato tamen ad Ephesios nuncio trucidati Domitiani, & Nervae in eius locum suffecti, magna Ephesii Apollonium aestimatione prosequebantur : unde rescissis Actis Domitiani , ut diximus num. x. Ioannes ab exilio Ephesum remeavit, ut creditam sibi Ecclesiam a Tyanei maleficiis , cultuque Daemonum expurgaret . Cocceius Nerva uno tantum anno, mensibus quatuor , diebus undecim imperavit, ab interitu nempe Domitiani, sive a die 17. Septembris anni 96. usque ad diem 27. Ianuarii anni Vulg. Aer. 98. Renunciatus est post Nervae obitum Imperator M. Vlpius Traianus, de quo agendum Saeculo proximo. Nerva imperante, & anno Christi 97. fatis functus est Apollonius , non felici exitu, ut inquit Philostratus , sed tragico & miserando, ut ait Lucianus. Per id temporis Ioannes adversus Ebionem, & Cerinthum Evangelium conscripsit : quod praenotavimus Diss. III. num. 6. Smirnensem, & vicinas Ecclesias invisit : edidit Epistolas ad Parthos, ad Electam, & ad Gaium , quibus Basilidis errores perstrinxit, ac dierum & meritorum plenissimus obiit anno Christi 99. aut sequenti, aetatis suae, ut fertur, nonagesimo tertio. Enimvero in vetustissimo Codice Graeco Vaticano, qui num. 1167. asservatur, & Catalogum Imperatorum comprehendit, sub Traiano legitur ; *Secundo anno Traiani fertur Apostolus Ioannes translatus fuisse* : In altero sub num. 1358. habetur ; *Huius* (Traiani) *anno* 3. *Ioannes Apostolus migravit in pace* . Decem itaque annis Christo Ioannes minor erat , natus Coss. Lepido & Arruntio anno 6. Vulgaris Aerae , Augusti 50. Extat apud Eusebium lib. III. Hist. Eccl. cap. 31. & lib. IV. cap. 24. fragmentum Epistolae Polycratis Episcopi Ephesini , qui floruit prope finem II. Saeculi : in qua legimus , Ioannem in urbe Epheso conditum iacere, & bracteam in fronte, laminamque gestasse: quae non de cidari, aureaque lamina veterum Pontificum, sed de Christianorum Episcoporum insigni accipienda esse, recte in Animadversionibus ad Epiphanium Haer. 78. monuit Petavius.

DISSERTATIONES

IN QVIBVS

SECVNDI CHRISTIANI SAECVLI

ECCLESIASTICA HISTORIA

CONTINETVR.

DISSERTATIO I.

DE ROMANAE VRBIS EPISCOPIS.

I. METHODO, quam in Historia primi Christiani Saeculi sequuti sumus, in exornanda Synopsi rerum proximo Saeculo in Ecclesia gestarum insistentes, de Romanis Pontificibus instituendam ducimus hanc priorem Dissertationem. Sederunt autem in Petri Cathedra eodem secundo Saeculo, Anacletus, Evaristus, Alexander, Sixtus, Telesphorus, Iginus, Pius, Anicetus, Soter, Eleutherius, & Victor. Quam implexa sit Anacleti Chronologia, liquet ex praenotatis in Diss. I. Saec. I. num. 24. Diximus enim a pluribus expungi illum a Romanorum Pontificum albo, ab aliis confundi cum Cleto, a nonnullis locari immediate post ipsum Cletum, a plurimis post Clementem, eiusque annos ab aliis ad 9. ab aliis ad 12. ab aliis ad solum biennium, quo S. Clemens exulavit in Chersoneso, minoris Tartariae insula, extendi. Quaestio temen haec, etsi videatur solutu difficillima, si quaedam iam demonstrata praenotentur, nullo fere negocio dirimitur. Nam primo ostendimus supra num. 22. Anacletum a Cleto diversum esse: deinde num. 17. demonstravimus Cletum Lino, & insequentibus paragraphis Clementem Cleto, Anacletum successisse Clementi: tum num. 19. Clementem coronatum fuisse martyrio anno tertio Traiani, idest, anno Christ. Aerae 100. Quamvis autem, pulso Clemente in exilium, anno 98. Ecclesiae regimen Anacleto, tanquam absentis Pontificis Vicario, commissum fuerit; verus tamen Pontifex dici nequit nisi post Clementis Martyrium consignatum in Fastis Ecclesiae IX. Kal. Decembris: ac videtur nobis doctissimus Schelestratius, dum Pontificatum Anacleti ad tempus exilii praedecessoris Clementis coarctat, illum ex Pontificum Catalogis temere, & inconsulto delere. At quot annis sedit idemmet Anacletus? Pontificalis Romanus ei tribuit annos 9. menses 3. & dies 10. idque tradunt cum Baronio Historici alii permulti. At duodecim annis, & nonnullis quoque mensibus sedisse legitur in Cassinensi eiusdem Pontificalis vetusto

I. De Anacleto Romano Pontifice.

Codice. Discrepant & monumenta alia: siquidem annis 12. ac mensibus 10. Anacletum Ecclesiam rexisse eruitur ex Catalogis Bibliothecae Caesareae, Colbertinae, & Reginae Sveciae, quibus concordant quantum ad annos Codex Palatinus Vrbinatensis, aliique Catalogi apud illustres viros Blanchinium, Pagium, & Schelestratium. At Catalogus inter reliquos pervetustus apud praelaudatum Schel. num. 22. Appendicis Operis Chronologi, Pontificatum Anacleti annis 9. & duobus mensibus definit, ac parum differt a Libro Pontificali. In tanta itaque opinionum discrepantia subscribendum putamus Cl. Dionysio Petavio, qui lib. XIII. de Doctrina Temp. protrahit Anacleti Pontificatum usque ad annum 110. & diem 13. mensis Iulii. Etenim ad hanc usque diem a tempore, quo S. Clemens pulsus fuit in exilium, anni 12. interfluxerunt, & a martyrio eiusdem Clementis anni 9. quibusdam mensibus superadditis; ideoque in hac sententia discrepantes Catalogi facile conciliantur, ac potest etiam cum illa componi Baronius, qui ait Anacletum renunciatum fuisse Pontificem Maximum anno Christi 103. & obiisse anno 112. si memoria repetatur quod dictum est alibi, Baronii Chronologiam usque ad annum 280. biennio a veritate aberrare, utpote qui Aeram Vulgarem figendam anno V. C. 754. auspicatur ab anno 752. De Anacleti Epistolis Decretalibus, & de Memoria, idest, Sacra Aede Petri, primitus ab eodem erecta satis diximus praecitato num. 24.

II. *De sexto Romanorum Pontificum, videlicet, Evaristo.*

II. Anacletum sequutus est in Ecclesiae Romanae Episcopatu S. Evaristus, de cuius Chronologia, rebusque gestis nunc agimus. Huius Pontificatum Caesar S. R. E. Cardinalis Baronius protrahit usque ad diem 26. Octobris anni Communis Aerae 121. cum tamen abraso eo biennio, quo diximus Baronii Chronologiam mutilandam, dicendus sit Evaristus decessisse anno 119. ut ad hunc Annum monet illustris Pagius. De die autem, qua Evaristus ex hac vita migravit, Romanum, aliaque Martyrologia consentiunt, dum eius martyrium referunt ad VII. Kalendas Novembris. De anno itidem convenire ii debent, qui Evaristi Pontificatum annis novem mensibus sex, & nonnullis diebus definiunt; quod faciunt bene sapienterque: nam Evaristo novem adtribuunt annos Eusebius, & Prosper in Chronicis, Catalogi Iustini Imp. & Caroli Magni temporibus exarati, & iuxta fidem Cassinensium, & Florentinorum Codicum, emendationemque doctissimi Holstenii, etiam Liber Pontificalis, etsi in editis, vitiatisque *anni* 13. mendose irrepserint. Derivavit hic error ex quo ibi Evaristus sedisse dicatur *a Consulatu Valentis & Veteris, usque ad Galium & Braduam Consules*: nam inter Consulatos hos duos anni 13. intercedunt. Verum cum prior Consulatus consignetur anno Vulg. Aer. 96. quo sedebat S. Clemens, alter autem anno 109. quo Anacletus nondum sublatus erat e vivis

vis, constat notas Consulum Romanorum male eidem Pontificali fuisse appositas. Atque haec de annorum, quibus Evaristus sedit, supputatione. Brevi nunc illius Acta complectimur. Evaristum in Graecia omnium ingenuarum artium parente natum, & eruditum, pietatis Christianae studiosissimum, & Orthodoxae Fidei adversus profanorum Numinum cultores strenuissimum vindicem, Historici omnes appellant. Papirius ait, hunc Pontificem sedisse *sub Leni & Iusto Caesare*, nimirum sub Traiano, cuius sanctitatem domi, fortitudinem in armis, utrobique prudentiam Dio Nicaeus, aliique commendant. Non hinc tamen evertitur Evaristi martyrium; quoniam sub Hadriano immanissimo principe, iuxta praemissam Chronotaxim Evaristus occubuit; quamquam & Traianus Ecclesiam vexavit, ut quinta Dissertatione dicemus. Duo huic Pontifici tribuuntur, idest, institutio actus consecrationis Ecclesiarum, & erectio ac distributio Titulorum in urbe Roma. Verum ritus ille a veteri Testamento ad novum pertransiit, atque ex Apostolis ad illorum successores derivavit; nec potuit aliud Evaristus superaddere, quam ceremonias, precesque ad consecrationis substantiam minime pertinentes. Adite Cardinalem Bonam lib. 1. Rerum Liturgic. cap. 10. necnon Edmundum Martenem de Antiquis Eccl. Ritibus lib. II. cap. 13. De Titulis autem ab Evaristo constitutis in Vrbe proximo disserendum est numero.

III. *De Titulis Romae ab Evaristo distributis.*

III. Quid praelaudati Tituli forent, quinam praepositi iisdem Titulis viri, & quid in his ageretur, non inutili disquisitione potest disceptari. Tituli ergo isti non erant gypsatae illae tabellae, quibus reorum causae inscribebantur, ut Titulus Palmularii, de quo Suetonius in Domitiano cap. 10. Titulus Attali Martyris, de quo Eusebius lib. v. H. E. cap. 5. & Titulus Dominicae Crucis, de quo Ioan. cap. 19. Sed Tituli, de quibus agitur, erant Loca Deo consecrata, & quibus Sacerdotes & Ministri habebantur addicti, quemadmodum Comment. in Ordinem Rom. cap. 3. inquit doctissimus Mabillonius: nam & lapis erectus, & Deo consecratus a Iacob in Bethel Titulus dicitur Gen. 8. atque Arae pariter, & delubra Idolorum Levit. 26. & num. 33. Tituli nuncupantur. Etsi autem hi Tituli aetate Innoc. I. qui anno 402. iniit Pontificatum, supra 28. numerarentur; pauciores tamen erant sedente Evaristo. Inter istos vero celebriores Titulus Pudentis patris SS. Timothei, Novati, Prudentianae, & Praxedis, erectus in Thermis Novati, & postmodum consecratus a S. Pio I. Titulus Priscae in Monte Aventino: Titulus Eudoxiae prope Palatium Neronis, & ubi nunc Sacra Petri Vincula religiose asservantur, ac Titulus, ubi Paulus Apostolus receptus fuit hospitio, nunc S. Mariae in Via Lata appellatus, aliique, quos prolixa Dissertatione illustrare conati sumus. Verum quid Tituli sint, dictum modo. Ii autem, quibus

bus Titulorum commissa fuit praefectura ab Evaristo, fuisse S. R. E. Cardinales plurimi affirmant; adeo, ut, si illis habenda sit fides, Purpuratorum PP. Senatus etiam Apostolicis temporibus extiterit, divinam habeat institutionem, atque ex institutione ipsa praecedat Sacram Episcoporum Hierarchiam. In qua sententia fuit vir eruditione & sanctitate celebris Augustinus Anconitanus de Potest. Eccl. q. 9. art. 4. ubi Apostolis Christo adstantibus, & ad Evangelium annunciandum profectis, acuta animadversione distinctis, illis Cardinales, istis Episcopos comparavit. Sed constat eruditorum consensu, olim Episcopos, Presbyteros, & Diaconos Cardinales nuncupatos fuisse quotquot alicui Ecclesiae, aut loco pio (etiam extra Vrbem Romam) tanquam proprii rectores intitulati, & *incardinati*, praeficiebantur. Quod Parte I. Iuris Eccl. tit. 22. Zegerus Van-Espen, atque in notis ad Epistolas S. Gregorii Magni pag. 501. PP. S. Mauri evidentissime demonstrarunt. Eorum, qui nunc Cardinales dicuntur, praeeminentiam esse duntaxat Iuris Pontificii constat ex Epistola Eugenii IV. ad Archiepiscopum Cantuariensem: eorumque dignitatem paullatim ad hanc plenitudinem pervenisse ostendunt Historica monumenta. Enimvero coeperunt Episcopis anteponi, quando ad illos devolutum fuit ius eligendi summum Pontificem, eique tanquam intimi consiliarii coeperunt adesse, quod circa annum 1059. auctoribus Panvinio, Sigonio, ceterisque viris clarissimis, primum obtinuit: Galerum rubrum ab Innocentio IV. anno 1246. & ex Monachorum assumpti coetu anno tantum 1591. a Gregorio XIV. acceperunt; vestes purpureas a Paullo II. anno 1464. Sed ad Titulos tandem aliquando revertamur. In antiquissimis illis Titulis peragebantur quae nunc fieri solent in Parochiis, Sacrorum Librorum lectio, Missarum Solemnia, collectae, defunctorum martyrum memoria, ibique etiam administrabatur baptismus. Legite Constit. Apostolic. lib. VII. cap. 30. adiectasque Ioannis Baptistae Cotelerii, aliorumque adnotationes, & Anastasium Bibliothecarium in Vitis RR. PP. Pii, Marcelli, ac Silvestri. Ad Titulos iidem Romani Pontifices mittebant constitutis diebus in signum & tesseram communionis *Fermentum*, de quo celebris Tarsicii Martyris Historia versibus S. Damasi illustrata. Legite nostram Dissertationem De Azymo libro XXXIII. Theologicae Disciplinae cap. 4. prop. 3.

IV. *De S. Alexandro I. Romanorum Pontificum septimo.*

IV. A Titulis Romanae Vrbis ad Petri Cathedram revertentes, in ea post Evaristum, S. Alexandrum sedentem invenimus. Nemo hunc Pontificem praetermisit, si unum excipias Optatum Milevitanum, qui Evaristo Sixtum proximo loco substituit. At veteres omnes, recentioresque RR. PP. Catalogi, Liber Pontificalis, Diurnumque Romanum, Eusebius in Chronico, atque in Hist. lib. IV. cap. I. Irenaeus lib. III. adv. Haer. cap. 3. Epiphanius ad

Haer.

Haer. 27. seu Carpocratianorum, Augustinus Epist. 53. aliique omnes S. Alexandri Pontificis meminerunt, ita, ut silentium Optati vel eius oblivioni, vel potius amanuensium oscitantiae sit certissime tribuendum. Sedit Alexander usque ad diem 3. Maii anni Vulg. Aer. 130. iuxta Baronium 132. quo sub Hadriano sanguinem pro Christo fudit. Tenuit enim Pontificatum annos 10. menses 5. & dies 20. iuxta Pontificale Romanum, eiusque Codices emendatissimos, necnon fere omnes Vaticanos Catalogos, qui saltim quoad annos concordant, duobus exceptis, qui eidem Pontifici tribuunt annos 11. quam discrepantiam nullam, vel minimam esse liquet. Schelestratius tamen post Henschenium Pontificatum Alexandri ad octennium coarctat, autumatque sedisse ab anno 109. usque ad annum 116. decimum nonum, ac postremum Traiani. Huius opinionis fulcrum est, quod in Actis S. Alexandri, quae genuina esse memoratus Schelestratius propugnat, asseritur Alexandrum sub Traiano subiisse martyrium: id, quod si semel probetur, praemissam Pontificum Chronologiam omnino subvertit; siquidem anno 116. nec Evaristus obierat. Quare dicendum est, praelaudata S. Alexandri Acta dubiae esse fidei, unde nec ea probat Ruinartius, ac multi cum Pearsonio refellunt. In iis aliquod saltem cubat mendum, & pro *Traiano* legendum est *sub Hadriano*: atque ita quidem legitur in emendatis Martyrologiis, ac Breviariis v. Nonas Maias. Ibidem traditur sepultum fuisse Via Nomentana tertio ab Vrbe lapide: sed postea illius Corpus Lucam proximam Etruriae Civitatem translatum eleganti marmorea Aede servatur, & colitur. Aiunt hunc Alexandrum singularem fuisse in tenenda disciplina Arcani, mandasse ut aqua in consecratione Calicis vino admisceretur, inseruisse Canoni Missae Passionem Domini, idest, precationem illam, *Vnde & memores, Domine*, auctoremque fuisse aquae benedicendae, & in templis, domibusque fidelium ad fugandos Daemones adspergendae: quae omnia non abs re factum puto, si brevi ad trutinam revocentur.

V. Arcani Disciplina fuit prudens quaedam mysteriorum Fidei occultatio, ne sacrosancta Religionis nostrae mysteria ab Ethnicis irriderentur. Qua disciplina supposita, facile haereticis saepenumero obiicientibus Veterum & Apostolicorum Virorum silentium, respondemus cur expressa in illorum scriptis non habeantur dogmata aliqua, quae fide tenenda sunt inconcussa, ut Arcanum Trinitatis, & SS. Eucharistiae. Huius disciplinae testes proferre possumus S. Basilium de Spiritu Sancto cap. 27. ubi ait, fas non esse multa intueri nondum initiatis; Chrysostomum Hom. de Prodit. Iudae, ubi promittit catechumenis quamprimum eis revelandum quid sit in Calice Domini, quod nondum baptizati prorsus ignorant: Tertullianum in lib. ad Nat. cap. 7. ubi retundit illatum Christianis crimen Epu- V. *De disciplina arcani.*

larum

larum Thyestis, ex quo extranei nullam habere possint divinorum mysteriorum notitiam: Augustinum scribentem Epist. 140. ad Honoratum, ignotum esse nondum baptismate tinctis, ubi & quando sacrificium Novi Testamenti offeratur: Theodoretum orantem priori Dialogo Eranistem, ut obscure respondeat, ne forte audiant non initiati. Verum de his plura Bulengerus Exercit. 16. in Casaubonum, Christianus Lupus in Differt. de quibusdam PP. Locis, e Emmanuel a Schelestrate in Opusculo, quod *de Disciplina Arcani* inscripsit. Ad Alexandrum his praemissis revertimur. In eius Actis, quae in controversia esse asseruimus, narratur Aureliano praesidi interroganti & urgenti, *ut omnia sectae suae mysteria manifestaret*, istud a Pontifice datum fuisse responsum: *Quod quaeris Sanctum est, & non permittitur a Christo Sanctum dari canibus;* atque rursus petenti Tyranno, *Quae tantae rei causa, ut optetis magis occidi, quam vinci?* repetitum ita: *Iam dixi tibi, Non licet Sanctum dare canibus*. Hac de causa Alexander ut mysteria proderet, dicitur in eculeo tortus, & lampadibus, ungulisque attrectatus: quae vel praedictam Arcani disciplinam confirmant, vel ex certa eiusdem disciplinae notitia fuerunt ingeniose conficta.

VI. *Alia duo S. Alexandri statuta explanantur.*

VI. Qua ratione *passio Domini* ab Alexandro fuerit Missae Canoni insetta, indictumque ut in Sacrificio aqua sit vino permixta, paucis exponam. Non credimus Alexandrum omnium primum Dominicae Passionis commemorationem Libris Liturgicis addidisse. Est enim mandatum Domini, atque Eucharistiae, eiusque institutionis praecipuus finis, necnon ab Apostolo in 1. ad Corinth. cap. 1. commendatus, commemoratio praedicta tam sacrificium offerentibus, quam communicantibus facienda. Nec ulla extat, in qua desideretur, Liturgia, ut ex illa, quae Iacobo tribuitur, & ex aliis, quae Basilii, Chrysostomi, Ambrosii, aliorumque Patrum nomen praeseferunt, & quotquot apud Latinos, Graecos, & Maronitas fuerunt in usu, manifestissimum esse ait lib. II. cap. 13. Card. Ioannes Bona. Itaque sine illa commemoratione nunquam sacram Coenam, oblationemque divinam credimus celebratam: ideoque de sola precationis formula accipiamus oportet quod legitur in Libro Pontificali de Alexandro. „ Hic Passionem Domini miscuit in precatione Sacerdotum, quando Missae celebrantur „. Adhaesit huic sententiae Baronius ad Annum 132. num. 3. neque potest illa gravi aliquo momento convelli. Pari ratione de Aqua Calici admiscenda definitionem Alexandri arbitror exponendam. Enimvero Dominico Calici modicum aquae esse infundendum, non ex instituto Alexandri, sed ex Apostolica traditione, atque in memoriam Sanguinis, & Aquae, quae ex aperto Christi latere fluxerunt, Iustinus Martyr Apologia II. Irenaeus lib. IV. adv. Haer. cap. 5. Cyprianus Epist. LXIII. ad Caecilium, atque Veteres omnes unanimiter, asseveranterque affirmarunt. Qui etiam de Hebraicis Ritibus pertractarunt,

ctarunt, docent in more apud Iudaeos fuisse positum, ut Calici in Paschali Coena distribuendo paullulum aquae admisceretur; quod in Ritualibus Libris Rabbinicis satis constat. Quare ab ipsa Dominicae institutionis nocte coepit in sacra Synaxi permixtio haec adhiberi. Ex his vero, quae in Theologicis Lucubrationibus explanavimus, infertur Alexandrum illam quidem ceremoniam commendasse, & ne oblitaretur sanctione aliqua Apostolica decrevisse, sed revera dicendum non esse illius auctorem.

VII. *De Ritu Aquae benedicendae, & adspergendae.*

VII. Quid vero de lustralis Aquae benedictione, & usu censendum est? Alexandrum instituisse ritum instiusmodi videtur colligi ex Canone *Aquam*, de Consec. dist. 3. num. 20. quem Canonem laudato Pontifici tribuit Gratiani Decretum. Depromptus est Canon ex I. Pontificum Epistola Isidoriana cap. 5. & habetur in primo Conciliorum Volumine pag. Collectionis Labbeanae 546. Sed quaenam Isidorianis illis decretalibus insit auctoritas, monuimus antea. Non adspernendum putamus quod citato Canone legitur symbolum huius ritus exhibuisse Helifeum, quando sterilitatem aquae consperso sale sanavit. Primum itaque ritus, de quo sermo est, institutorem fuisse Alexandrum ex Canone illo supposititio nequit evinci; tametsi idem asserant Auctor Libri Pontificalis, & Valafridus Strabo de Rebus Eccl. cap. 29. Cardinales sapientissimi Baronius, Bona, & Bellarminus in locis, quae produxi libro XXX. Theol. Discipl. cap. 23. num. 5. propugnant illius aquae usum ab Apostolica traditione emanatum fuisse, & S. Alexandri decreto stabilitum magis, & confirmatum. Quidquid vero de origine sentias; perperam in illius usum heterodoxi bacchantur. Nam a primis Saeculis fontes, conchas, & labra vestibulis templorum apposita demonstrant vetera munimenta. Atque de iis, quae extabant in atrio Basilicae Vaticanae, scribit Epist. 33. S. Paulinus Nolanus; ac de erectis a S. Leone Magno ad S. Pauli Basilicam servatur vetus inscriptio, cum Epigrammate, quod incipit,

Vnda lavat carnis maculas, sed crimina purgat,
Purificatque animas mundior amne fides.

In coemeteriis quoque vetustissimis reperta vasa, aut marmorea, aut fictilia, quibus huiusmodi aqua asservabatur, narrat lib. I. cap. 4. ocularis testis Marcus Antonius Boldetti: sunt autem eadem vasa forma & amplitudine distincta ab illis, quae perpessi martyrii a Viris doctis aestimantur indicia. Commendant postremo loco huius aquae adspergendae morem effectus saluberrimi, & fugati a Marcello Apameae in Bithynia Vrbis Episcopo infensi Daemones, & dissolutae Ethnicorum praestigiae: de quibus legendi lib. IX. Hist. Eccl. cap. 21. Theodoretus, & in Vita Hilarionis Hieronymus, ut mittam, qui plura ad hanc rem pertinentia collegerunt

runt, Petrasanctam, Altaserram, Gretserum. At de Alexandro dictum satis; oportetque, ut nos tandem in semitam revocemus.

VIII. *De Sixto I. Romanorum Pontificum VIII. eiusque statutis.*

VIII. Successit itaque Alexandro, quem diximus coronatum martyrio v. Nonas Maias anno 130. S. Sixtus Romanus. Huic quotquot extant Episcoporum Vrbis Catalogi, omniaque Libri Pontificalis impressa typis, & manu exarata Volumina, necnon Eusebius lib. IV. Hist. Eccl. cap. 5. annos decem (in mensibus, ac diebus discrimen occurrit maximum) administrationis Romanae Ecclesiae adscripsere: cumque martyrium subierit VIII. Idus Apriles, quo die in Festis Martyrum colitur ipsius memoria, infertur sedisse Sixtum usque ad diem nuper commemoratam anni 140. imperante Antonino, cui Pii cognomentum. Scribunt plerique a Sixto primum fuisse Apostolica auctoritate statutum, ut Trisagion, quod Graeci hymnum Epinicion appellant, Liturgiae insereretur, & sacra vasa tantummodo a sacris Ministris tangi possint, ac praeterea mandasse, ut Episcopi ad Sedem Apostolicam evocati, & ad propriam Dioecesim redeuntes non reciperentur, nisi cum Formatis. Opus est, ut de tribus hisce statutis adnotemus perpauca. Trisagium, quo absolvitur illa pars Missae, quae vocatur Praefatio, ab aetate Apostolica decantatum, vel lectum, desumptumque ex cap. 6. Isaiae, & ex cap. 4. Apocalypseos, communis est sententia Scriptorum de sacris ritibus pertractantium. Hinc Baronius ad Annum 142. num. 12. ait, Sixtum non invexisse novam aliquam consuetudinem, sed dedisse operam, ut usus iam receptus sanctius custodiretur. Arbitramur nos hoc a Sixto fuisse praescriptum, ut non solum a Sacerdotibus proferretur, verum etiam decantaretur a populo, ad illum fere modum, quo nunc decantari solet a Clericis; nam in Libro Pontificali ita legitur: „ Constituit ut intra actionem Sacerdotis populus hymnum decantaret, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, &c.* Neque dicas Trisagium istud sedente Felice III. ad Pontificatus apicem evecto anno Dom. 483. primitus obtinuisse, dum ingenti terraemotu urbs Constantinopolis quateretur, ut scribunt praelaudatus Pontifex in Epist. 3. ad Petrum Cnaphaeum, & Nicephorus lib. XIV. Hist. Eccl. cap. 46. neque, inquam, id dicas: nam Trisagium istud, quod in Ecclesia canitur in Parasceve Paschatis, longe est a praecedenti diversum. II. Quod pertinet ad sacra vasa nonnisi a sacris Ministris tangenda, id a Sixto vetitum scribit Auctor Libri Pontificalis, annuitque Cardinalis Bona lib. 1. cap. 25. Hac definitione profanis tantummodo, laicisque prohibetur sacrata vasa contingere: at Decreto Concilii Laodiceni celebrati sub Silvestro can. 21. sancitum fuit, ne vel Subdiaconi id attentarent. Postea hoc Lectoribus inhibitum, permissumque Hypodiaconis can. 28. Concilii Bracarensis, celebrati sedente Ioanne III. anno scilicet 563. Ad Acolythos deinde ea permissio ex Ordine Roma-

Romano manavit; nunc & minores Clerici, quandoque nec tonsura insigniti, nescio quo iure, licentia ipsa abutuntur. III. Quid Formatae a Sixto praescriptae fuerint, dicendum est tandem. Formatae dicuntur Epistolae Ecclesiasticae, quarum aliae Commendatitiae sunt, aliae Pacificae, aliae Dimissoriae, Communicatoriae aliae. Cuiacius clarissimus Iurisconsultus, cui & alii plures adhaerent, vocari Formatas ait, quod solemnibus quibusdam verbis, certisque notis ac signis conciperentur: Carolus Labbeus, aliique hoc nomine appellatas putant, quod talem haberent formam, qualem publica Edicta solent referre, idque consimili vocabulo, quo Suetonius in Domitiano cap. 13. Imperatorum edicta dixit *formales Epistolas*; at Sirmondus & Du-Cangius malunt petitum nomen illud a forma sigilli, tum quia Vaticanae Glossae Formatam interpretantur *Epistolam sigillatam*, tum etiam quia Graeci illam appellant τετυπωμένην, a verbo τυπεῖν, percutere, & notam imprimere. Plura de his Binius ad Vitam Sixti I. Cuiacius ad lib. LXII. de Verb. significat. Sirmondus in Epistolis Sidonii lib. VI. Ep. 3. Dufresne in Glossario, & Petrus de Marca in Concordia Sacerd. & Imp. lib. V. cap. 21. Formatae Commendatitiae erant litterae unius Episcopi ad alios, quibus Clerici, & Laici peregrinantes commendabantur, ut illorum gratia & caritate foverentur, ac possent sacris Synaxibus interesse: ac de his fit mentio 33. Can. Apost. 9. Concilii Sardic. 5. Agathensis, 38. Remensis, 12. Francfordiensis, &c. *Pacificae* ad pacem & caritatem conciliandam dabantur; ac de his Can. 81. Concilii Eliberitani, 8. Concilii Antiocheni, pluraque Baronius ad Annum 825. num. 24. & Franciscus Turrianus de Epist. Pontif. lib. III. cap. 4. Dimissoriae, quarum etiamnum frequens usus, eae sunt, quibus Clerici impetrant ut in alienam transeant Dioecesim, aut ab aliis Episcopis ordinentur, de quibus Canon 106. Concilii Afric. VII. Concilii V. Arelat. 18. & 21. Synodi Romanae anni 826. sub Eugenio II. Formatae demum *Communicatoriae* dicebantur, quas lapsis dabant Episcopi, ut poenitentia peracta ad Communionem reciperentur, aut peregre profecturis, ut fideles de istorum cum Ecclesia Catholica communione redderentur certiores: ac de his Can. 5. Concilii I. Carthaginiensis, 9. Arelatensis Primi, 25. & 58. Concilii Eliberitani, pluraque Augustinus in Epistolis, & priori libro adversus Petilianum. Evidens est, Formatas, de quibus pertractatur in Vita S. Sixti I. fuisse Communicatorias, atque Pacificas.

IV. *De Romanorum Pontificum IX. idest, de S. Telesphoro.*

IX. Iamvero iis, quae ad Sixtum attinent, explanatis, ad illius successorem Telesphorum nostra progreditur dissertatio; ac primo quot annis gubernaverit Romanam Ecclesiam, deinde quid adnotatione dignum gesserit, vel statuerit, nobis est breviter expendendum. Igitur Telesphorum annis XI. & mensibus 10. sedisse,

 & pro

& pro Christo caesum iv. Nonas Ianuarias, testantur Liber Pontificalis, Vaticani Catalogi, atque fere omnes Historici; ideoque ab anno 140. usque ad annum 152. iuxta Baronium 154. intervallo duodecim fere annorum rexit Ecclesiam. Cum autem tam Telesphorus, quam eiusdem decessor Sixtus, & qui proxime subsecutus est Hyginius, fuerint martyrio coronati sub Antonino Pio, cuius nullum legimus adversus Christianos Edictum; tanquam indubitatum supponendum est, quod demonstraturi sumus v. Dissert. etiam ipso Antonino imperante multas persecutiones efferbuisse, si non recenti edita proscriptione, veteri saltem perseverante. Subscribere non possumus Schelestratio, & Papirio, qui Telesphori obitum consignant anno 1. Antonini, etsi horum assertio innixa sit Chronico Eusebiano, cum Antoninus renunciatus sit Imperator Coss. Camerino & Nigro, anno scilicet Aer. Vulg. 138. & sedente adhuc Sixto. Telesphorum Pagius anachoreticae vitae cultorem, omnes vero Graeciae ornamentum fuisse tradunt; praeconemque virtutis suae habuisse S. Irenaeum, a quo martyr summae gloriae appellatus fuit, animadvertit Papirius. Ac revera id lib. iii. cap. 3. praelaudatus Irenaeus mandavit litteris. Inter Definitiones huius Pontificis tres passim connumerantur, quarum prima spectat institutionem Quadragesimalis Ieiunii; altera Missas, quae ter celebrantur in solemni festo Dominicae Nativitatis; postrema Angelicum Hymnum in Liturgia decantandum. De ieiunio autem Quadragesimae egimus in Dissert. praeambula num. 31. Hoc unum addimus modo, Telesphorum dici illius Ieiunii auctorem ob Can. *Statuimus*, dist. 4. & ob Chronicon Eusebii idem ad annum 136. enarrantis. Verum Canonem illum suppostitium esse, & depromptum ex Epistola Isidoriana eruditi omnes consentiunt, itemque adnotationem Chronici Eusebiani esse insititiam, & ab aliquo sciolo adiectam, post Arnaldum Pontacum, & Iosephum Scaligerum, Alexander Nat. Dissert. iv. Saeculi 2. Franciscus Pagi, & Antonius Sandinus in Vita Telesphori, aliique plures scripsere. Celebrationem trium Missarum in die Natalis Dominici a Telesphoro indictam scribunt cum Valafrido Strabone qui de sacris Ritibus agunt, laudantque Canonem *Nocte Sancta*, dist. 1. num. 48. sed nil certi possumus hinc eruere, primum quia Canon suppositicius est, atque, ut diximus de praecedenti, ex Epistola Isidoriana exscriptus: deinde quia in eadem Epistola plura sunt verba Damasi ad Illyricos scribentis: insuper quia Officium sanctae illius noctis institutum fuisse quarto Saeculo sub Iulio I. aperte demonstratur a Florentinio Exercit. 2. in Martyrologium Occidentalis Ecclesiae, sive S. Hieronymi: tandem quia recepto etiam tanquam Telesphori praedicto Canone, nil aliud inde colligitur, nisi Missas, quae reliquis temporibus ante horam diei tertiam minime celebrabantur, in Natali Dominico nocte quoque peragi posse. Ex

eo-

eodem pariter Canone, *Nocte Sancta*, eruimus, hymnum Angelicum ipsamet nocte esse solemniter decantandum, quoniam illum Angelici Chori tunc primum prope Bethlehemum cecinere, dicentes, *Gloria in excelsis Deo &c.* illius vero hymni, seu verborum, quae commemoratis subiiciuntur, auctorem fuisse Telesphorum inde nequaquam deprehenditur. De praedicto hymno haec extra controversiam posita esse arbitramur: primum scilicet, in Iacobi, ceterisque vetustioribus Liturgiis eam tantum contineri partem, quam Angelis tribuendam esse liquet ex cap. 2. Lucae: deinde aliorum versuum additionem, ut aiunt Canone 12. PP. Toletani Concilii IV. factam fuisse a Doctoribus Ecclesiasticis: insuper eumdem hymnum non esse adscribendum Hilario Pictavensi, ut visum Alcuino, Remigio Antissiodorensi, Hugoni Victorino, & Ioanni Beleto; cum in libro de Virginit. Sanctus Athanasius, Hilario Synchronus eiusdem hymni, tamquam in Ecclesia recepti, & ubique pervulgati, meminerit: praeterea nec Symmacho Romano Pontifici adscribi posse, quoniam is post Anastasii tempora, idest, anno 498. Cathedram Apostolicam indeptus fuit: non deesse tandem, qui totum a Telesphoro exaratum existiment, ut Sigebertus in Chronico, & Innocentius III. lib. II. de Mysteriis Missae cap. 20.

X. *De Sanctissimis Romanae Ecclesiae Pastoribus Hyginio, Pio, & Aniceto.*

X. De trium Romanorum Pontificum, qui S. Telesphoro successere, ordine, chronologia, decretisque, necessaria non videtur Dissertatio prolixior. Etenim unum post alium sedisse cum Irenaeo lib. III. cap. 3. & Eusebio in Chronicis, & in Hist. Eccl. lib. IV. cap. 11. Graeci omnes Scriptores, atque cum Optato & Augustino Latini prorsus omnes affirmant: ac discrepant tantummodo quaedam Exemplaria Libri Pontificalis, & nonnulli Catalogi, quorum differentia unde exorta sit, commonstrabimus. Parum quoque discrepantiae in illorum Chronotaxi, sive in Libro Pontificali, sive in vetustis Catalogis offenditur: atque Hyginio annos quatuor attribuunt, Pio annos novem, & sex menses, Aniceto autem annos septem ac menses novem. Itaque Hyginius Pontificatum tenuit ab anno 152. usque ad annum 156. quo martyr occubit die 11. Ianuarii: Pius ab anno 156. usque ad annum 165. quo martyrio affectus est die 11. Iulii: Anicetus ab anno 165. usque ad annum 173. quo coronatus martyrio fuit die 17. Aprilis. Hyginium Atheniensem, Pium Italum ex urbe Aquileia, Anicetum Syrum fuisse tradunt. Sub Hyginio exortas haereses Valentini & Cerdonis scribit Eusebius; eidemque Liber Pontificalis tribuit distributionem graduum inter Clericos, itemque iussisse, ut baptizandis susceptores, seu patrini, adessent: sed de haeresibus infra; de Clericorum ordinibus, graduumque discrimine lib. XXXVI. Theol. Discipl. de infantium patrinis lib. XXXI. pertractavimus. Unum hic addimus, Canonem *In Catechismo*, de Consecrat. Dist. 4. Hyginio tributum, & in quo agitur de suscipientibus infan-

infantes, depromptum esse ex Poenitentiali Theodori, qui floruit in Anglia circa annum 680. S. Pio passim tribuitur decretum de poenitentia ab iis subeunda, quorum negligentia aliquid Sanguinis Domini effunderetur. Huc spectat Canon, *Si per negligentiam*, de Consecrat. dist. 2. num. 93. qui a Gratiano sub Pii nomine producitur, sed ex praecitato Poenitentiali, huiusque cap. 51. exscriptus fuit: de illa tamen poenitentia agit quoque Breviarium Romanum v. Idus Iulias. Circumferuntur praeterea sub Pii nomine Epistolae duae ad Iustum Viennae Praetoriae Episcopum, dubiae apud Criticos auctoritatis: ex quarum lectione colligimus, Titulos Euprepiae, ac Pastoris, fuisse sub hoc Pontifice erectos, ac propterea iis addendos, de quibus diximus num. 3 Hinc percipimus unde orta sit opinio refutata in Diss. IV. Saec. I. num. 5. de auctore operis, quod *Pastoris* inscribitur, & quem nonnulli fratrem S. Pii existimarunt, quum Pastor iste, & Pastor conditor Tituli, sint secernendi. In Chronico demum Eusebiano, necnon in quibusdam Catalogis Vaticanis hebetur a Pio constitutum fuisse, ut Pascha die Dominico celebraretur; at nil tale occurrit in Eusebianis optimae notae codicibus. De Paschatis autem controversia paullo infra in *Victore*. Anicetus itidem cum S. Polycarpo S. Ioannis discipulo contentionem habuit circa Paschatis celebrationem, sed nil sub hoc Pontifice fuit definitum. Ipsum Anicetum Codex Colbertinus, & aliqua Libri Pontificalis exemplaria Pio anteponunt, repugnantibus tamen, ut praemonui, Graecis Latinisque Scriptoribus, necnon Catologis praestantioribus. Exortum errorem puto, ex quo Anicetus Pontifex undecimus alicubi nuncupatur. Verum id accipiendum secluso Petro, uti ostendimus in Diss. I. Saec. I. num. 23. Miramur tamen apud Hieronymum de Script. Eccl. in Egesippo dici Anicetum *decimum post Petrum Episcopum:* verum & in Hieronymo *undecimum* scriptum esse constanter affirmat Papirius Massonius ductus quidem alicuius Codicis auctoritate. Fuerunt itaque post Telesphorum decimus Higinius, undecimus Pius, duodecimus Anicetus: de quibus dictum est hactenus.

XI. *De Romanis Pontificibus* XIII. & XIV. *nimirum Sothero, & Eleutherio.*

XI. Aniceto, quem diximus coronatum fuisse martyrio die 17. Aprilis an. 173. Sotherus Fundis in Campania ortus in Romano Episcopatu successit. Praeclarum huius Pontificis nomen, quo significatur salutem afferens, & quod sibi Syracusis audacter inscriptum carpit Tullius in Verrem Actione quarta, itemque suppositias eiusdem Sotheri Decretales non moror. Illius autem Chronologiam cum Dionysio Petavio lib. XIII. de Doctr. Temp. & communi recentiorum assensu ita statuendam esse ducimus, ut tenuerit Pontificatum annis quatuor, nempe usque ad diem 25. Aprilis anni Vulg. Aerae 177. Neque adversantur huic supputationi Baronius, & qui vestigia ipsius premunt, cum sedisse Sotherum tradunt ab anno 175. usque ad annum 179. Ceterum nil ad Chrono-

no-

nologiam hanc firmandam ex Catalogis eruas, quorum aliqui tribuunt Sothero annos quatuor minus diebus duodecim, aliqui annos novem, ac tres menſes, aliqui annos octo, aliqui vero novemdecim. Satius eſt igitur, ne Chronologia univerſa perturbetur, eruditis viris ſubſcribere. Nil vero de Sothero legimus, niſi ſtatuiſſe ne Monacha ſacram pallam contingeret, nec incenſum in Eccleſia adoleret, atque ſingulari liberalitate collectas Eccleſiarum diligentia ſua plurimum adauctas fratribus ad metalla damnatis, pulſis in exilium, & peregrinantibus ſuppeditaſſe. Ac de illa inhibitione vide Librum Pontificalem, & Breviarium Romanum x. Kal. Maias: de illa vero collatione, atque diſtributione, lege Epiſtolam S. Dionyſii Corinthiorum Epiſcopi apud Euſebium lib. iv. Hiſt. Eccl. cap. 23. Poſt Sotherum autem tenuit Petri Cathedram Eleutherius Nicopolitanus genere, & Graecus, quondam S. Aniceti Diaconus. Neminem moveat, quod de hoc Pontifice lib. III. ait S. Irenaeus, *Nunc duodecimum locum ab Apoſtolis habet Eleutherius:* nam ſi Clerum praetereas, & Pontifices enumeres ſecluſo Petro, ut Irenaeus fecit, qui eſt ordine xiv. erit duodecimus. Ab Eleutherio gubernatam fuiſſe Eccleſiam annis quindecim, & diebus nonnullis affirmant Euſebius in Chronico, & lib. v. Hiſt. Eccl. cap. 1. Libri Pontificalis Codices omnes, univerſi Catalogi, ac Baronius, Petavius, Antonius & Franciſcus Pagii, ceterique Scriptores. Tenuit igitur Pontificatum ab anno 177. uſque ad annum 192. quo ei ſubrogatus eſt Victor. Qua die Eleutherius obierit non eſt omnino exploratum: in Romano Martyrologio colitur ipſius memoria die 26. Maii, in Hieronymiano autem die 8. Septembris. Incertum eſt item num revera martyrium ſubierit, ut ad Annum 194. num. 1. fatetur Cardinalis Baronius. Eleutherio ſedente Britannos Chriſtiana lege fuiſſe imbutos, & ſacris myſteriis initiatos, ſcribit lib. 1. Hiſt. Anglorum cap. 4. Venerab. Beda hiſce verbis: *Cum Eleutherius vir ſanctus Pontificatui Romanae Eccleſiae praeeſſet, miſit ad eum Lucius Britannorum rex epiſtolam, obſecrans, ut per eius mandatum Chriſtianus efficeretur; & mox effectum piae poſtulationis conſecutus eſt.*

XII. Victoris Romani, qui poſt Eleutherium geſſit Pontificatum, Chronologia aliquantulum obſcura & implexa videtur. Nam Euſebius lib. III. cap. 22. ait Eleutherium, de quo egimus ſupra, obiiſſe anno 10. Commodi, qui annus concurrit cum anno 190. Vulg. Aerae: quod utique cum anno eiuſdem Eleutherii emortuali non cohaeret, ſiquidem illum anno 192. paullo antea ſtatuimus. Franciſcus autem Pagius Victorem ſediſſe putat ab anno 185. uſque ad annum 197. Verum Victor Pontificatum iniit anno 192. poſt obitum Eleutherii, ac deceſſit anno 201. die 28. menſis Iulii, ut creditur, affectus martyrio. Et quod ſpectat ad Pontificatus

XII. *De S. Victore Romanorum Pontificum decimoquinto.*

catus

catus huius initia, primo manifesta sunt ex praecedenti supputatione; deinde ex Chronico Prosperi, in quo refertur, Victorem Pontificatum iniisse Commodo VII. & Pertinace Coss. iste enim Consulatus anno 192. consignatur in Fastis: praeterea ex ipsomet Eusebio, qui licet statuat Eleutherii obitum in anno decimo Commodi, notat tamen Eleutherio Victorem successisse regnante Aelio, seu Pertinace, qui successit Commodo occiso exeunte Decembri anno 192. & tribus duntaxat mensibus tenuit Imperium; ideoque vel Eusebius putavit, Romanam Sedem duobus annis vacasse, vel debuit Eleutherii mortem statuere anno duodecimo, non decimo eiusdem Commodi. Figenda itaque sunt Pontificatus S. Victoris initia in anno 192. Quum vero Victor vix decimum annum per mensem unum, & dies duodeviginti inchoaverit, ut habent Romanum Breviarium V. Kal. Augusti, Baronius ad Annum 203. §. 1. Petavius lib. XIII. de Doctr. Temp. ad annum Iulianum 246. aliique Scriptores nobilissimi; sequitur Victorem decessisse Fabiano & Muciano Coss. nimirum anno Christi 201. iuxta Baronium 203. nisi mavis cum Schelestratio Pontificatum Victoris usque ad proximum annum 202. protrahere. Neque enim probabilitate caret, Victorem annis decem, & nonnullis quoque mensibus Ecclesiam rexisse: sed hanc sententiam, quam amplexatus est Schelestratius, confirmant Liber Pontificalis, ingens numerus veterum Catalogorum, necnon Hieronymus, qui de Script. Eccl. inquit; Victor tertius decimus Romanae Urbis Episcopus rexit Ecclesiam sub Severo Principe annis decem. Verum ob unum duntaxat annum nolumus rursus Pontificum Chronologiam perturbare. Victoris Martyrium in dubium revocat Pagius, quoniam, inquit, *nullus antiquorum dixit, eum martyrio vitam finisse*. Verum aliter Liber Pontificalis, in quo legitur, *Hic fecit frequentes Cleros, martyrio coronatur*: aliter Breviarium Romanum die 28. Iulii, ubi haec habentur, *Martyrio coronatus sepelitur in Vaticano quinto Kalendas Augusti*: aliter Nicolaus I. electus Pontifex anno 858. in Epistola ad Michaelem Graecorum Imperatorem, in qua ait: *Quid autem mirum, si nobis pro Ecclesiastica correctione laborantibus manum non datis, sed & duritiis redarguitis? cum videamus Victorem Papam & martyrem, qui ideo Victor est, quia martyr, pro Ecclesiastica traditione pene a totius Ecclesiae praesulibus pertinaciae redargutum?* Pagio itaque nullam, praeter quorumdam silentium, coniecturam proferenti non cogimur assentiri.

XIII. *Num Victor in Asianos Pascha more Iudaico, idest, Luna 14. celebrantes anathema indixerit.*

XIII. Nicolai I. postrema verba in memoriam nostram revocant gravissimam controversiam, quam Victor habuit cum fere omnibus Asiae Ecclesiis, quae Apostolorum traditionem iactantes contendebant Pascha celebrandum esse Luna decimaquarta, iuxta consuetudinem Iudaeorum, non autem, ut in Ecclesia Romana servabatur, proxi-

proximo Dominico die resurrectione Salvatoris sanctificato. Diximus num. x. etiam Anicetum inter, & Polycarpum, exortam fuisse de hac re contentionem, nihil autem tunc temporis definitum fuisse, ne pax Ecclesiastica turbaretur. Pius quoque, Hyginius, Telesphorus, Sixtus, etsi ab Asianorum recesserint instituto, pacem nihilominus cum iis coluerunt, ut in Epistola ad Victorem, quam scripsit nomine fratrum, qui praeerant in Gallia, scribit S. Irenaeus apud Eusebium lib. v. Hist. Eccl. cap. 24. Ac poterat quidem servari cum Asiaticis communio, etiam in huius celebrationis diversitate, propter eaquod, ut demonstrat in Dissert. de Synodo Nicaena cap. 6. Christianus Lupus, spectaret haec controversia ad disciplinam, non autem ad Fidei dogmata. Verum cum Victor anno 198. in Romano Concilio, de quo agemus proxima Dissert. statuisset Pascha non quartadecima Luna mensis primi, sed die Dominico post ipsam Lunam 14. & aequinoctium vernale, celebrari oportere, fertur Episcopis Asiae, quos Polycrates Ephesinus in Synodum congregaverat, Victoris Decreto obsistentibus, & Pascha in quamcunque incidisset diem celebrandam esse pertinaciter contendentibus, fuisse indictum, ac vibratum anathema. Ceterum cum multi re ipsa Asianos a Victore diris devotos, & communione privatos contendant, ut Baronius, Petrus Coustant, Petrus de Marca; plures etiam solam factam velint anathematis comminationem, ut Ludovicus Thomasinus, Natalis Alexander, Antonius Sandinus, & Gravesonius: producam utriusque sententiae momenta, quidve mihi videatur probabilius proximo numero aperiam. Ergo qui Asianos a Victore excommunicatos fuisse opinantur, proferunt primo testimonium Eusebii, qui praecit. cap. 24. iuxta interpretationem Valesii Inquit: *Datis litteris universos, qui illic erant, fratres proscribit, & ab unitate Ecclesiae alienos esse pronunciat*. Secundo citant Socratem, qui lib. v. Hist. Eccl. cap. 22. ait. *Victorem iracundiae succensum aestu Quartadecimanis, qui in Asia erant, excommunicationis libellum misisse*. Tertio afferunt, quae leguntur in libro Synodico cap. 8. *Victor excommunicationem mittit Polycrati*. Quarto innituntur verbis Nicolai I. Ep. superius laudata, ubi ait, *Hos, nempe Asianos, praesul meritis & nomine Victor a communione Collegii separavit*. Quinto affirmant negari non posse Blastum eidem sententiae, quam Asiani propugnabant, adhaerentem anathemate fuisse confixum, ut lib. v. cap. 14. narrat Eusebius. Qui autem negant a Victore Asianis Episcopis inflictum fuisse anathema, primo animadvertunt Eusebii verba haud recte a Valesio fuisse latine reddita, quum Christophorsonus ita illa interpretatus sit: *In eos per litteras graviter invehitur, atque adeo omnes fratres eam incolentes regionem prorsus a communione escludendos edicit:* quae verba textui Graeco magis consona solam anathematis comminationem significant. Deinde ex E-

 pistola

pistola Firmiliani, quae est 75. inter Cyprianicas, ex Nicephoro lib. IV. Hist. Eccl. cap. 38. ex Hieronymo lib. de Viris illustribus cap. 35. ex Photio in Biblioth. Cod. 120. eruunt, Victorem quidem suscepisse consilium excommunicandi Asianos, intentasse minas, sed officiis, litterisque S. Irenaei factum esse, ne a communione Ecclesias traditum sibi a maioribus morem custodientes abscinderet. Animadvertunt tandem, Polycratem quoque in Epistola ad Victorem, de qua praecit. cap. 24. Eusebii, scripsisse: *Nihil moveor iis, quae nobis ad formidinem intentantur.* Atque his momentis Victorem tantummodo minis, non inflicto actu anathemate Asianos exagitasse Alex. Natalis Dissert. V. Saec. 2. magno verborum apparatu contendit.

XIV. *Expenduntur momenta superius producta.*

XIV. Inter haec pugnantia Scriptorum Ecclesiasticorum asserta, principio tamquam certum suppono, S. Irenaeum suis ad Victorem officiis ac litteris dedisse operam, ne Romanus Pontifex Asianos a sui communione rescinderet, illum commonens, non facile scindi deberi unitatem, ut loquitur praecitato in loco Hieronymus; seu ne illos ab Ecclesia abdicaret, ut loquitur Photius. Deinde censeo neque ex huiusmodi S. Irenaei officiis, neque ex Epistolis Firmiliani, & Polycratis invicte demonstrari anathema a Victore indictum non esse; eatenus enim dici potest vix ultra minas processisse, quatenus statim ab Irenaeo commonefactus latam sententiam revocaverit. Ad haec arbitror illorum opinionem, qui aiunt, Victorem anathema in Asianos pronuntiasse, non omnino destitutam esse probabilitatis praesidio. Primo quia idem, ut diximus, affirmat Nicolaus I. quem etsi apocrypha testimonia proferre scribit Nat. Alexander, nempe Acta Sylvestri, & Synodi Suessanae, sunt tamen qui pro istis quoque Actis decertant, atque, ut ut haec spuria sint, non consequitur eiusdem esse generis, quae de Victore narrantur. Aperta insuper sunt quae leguntur in Libello Synodico, cuius autorem, sive fuerit Cyrillus Hierosolymitanus, sive Germanus Constantinopolitanus, sive Collector quidam anonymus noni saeculi, non proinde tamen asserendum est, quod reponi solet. in hac quaestione, lectione Socratis Novatiani fuisse deceptum, nec suomet cerebro cudisse fabulam; cum nec Socratis meminerit, nec aliud, quam antea scriptis tradita complexus fuerit. Tertio in verbis Socratis, quem nuper citavimus, apparet quidem obloquentis audacia, dum ait, Victorem misisse excommunicationis *libellum immodico iracundiae aestu succensum*; sed quantum ad inflictam excommunicationem attinet, non est, unde redargui possit mendacii. Praeterea idem videtur colligi ex verbis Eusebii lib. V. Hist. Eccl. cap. 2. nam si probetur interpretatio Valesii, in qua haec leguntur: *Fratres proscribit, & ab unitate Ecclesiae alienos esse pronunciat;* nil superest ambiguitatis:

tatis: si praeferatur Versio Christophorsoni, in qua legitur: *Atque adeo omnes fratres eam incolentes regionem prorsus a communione secludendos edicit*, non tam in ea futuram exclusionem, quam praesentem denunciationem intimationemque verbo *edicit* expressam, expendere necessum est: ac si vim attendere velimus verbi στηλιτεύειν, quo utitur Eusebius, ac vir doctus significari ait, non *proscribere*, *sed invehi*, *& notare*, quoniam orationes Nazianzeni adversus Iulianum Augustum στηλιτευτικοί, idest, invectivi sermones inscribuntur; non video, cur *notare*, *& inscribere* potius comminationibus, quam latis censuris aptandum sit. Postremo videtur nobis Nicephorus lib. IV. Hist. Eccl. cap. 38. quaestionem ipsam dirimere, dum ait: *Litteras conscripsit* (Victor) *quibus illos publice notabat, omnesque simul a communione prohibebat: atque ille quidem huiuscemodi susceperat consilium; verum id aliis, qui cum eo erant Episcopis, minus placuit*, *&c.* Quibus verbis non alius utique sensus subest, nisi Victorem initio excommunicationem indixisse, & in animo habuisse illam non revocare, & ab Asianis segregatum manere, suadentibus autem aliis Episcopis, inter quos eminebat SS. Martyr Irenaeus, statuisse benignius se gerere, ac rursus in communionem Asianos recipere. Quoniam vero Novatores ex hac Victoris excommunicatione, quae utique magna asseritur probabilitate, inferunt Romani Pontificis censuras, ac minas ab Ecclesiis Asiaticis fuisse spretas, & cum his alios retinuisse consortium affirmant; recte sapienterque adversus eosdem Novatores reponit Petrus de Marca lib. III. Concordiae cap. 9. num. 4. hoc historico monumento nihil demi de Sedis Apostolicae dignitate: „ Cum ad Irenaei suggestionem pacem redditam a Victore docuerimus. Ex Eusebio enim & Socrate constat de excommunicatione a Victore inflicta, & de Irenaei Epistola: ex Sozomeno autem de communione Victoris & Polycratis non interrupta. Quod aliter contingere non potuit, nisi suspenso a Victore excommunicationis effectu post monita Irenaei. „ Haec praelaudatus Parisiensis Archiepiscopus.

XV. *De aliis, quae ad Victorem pertinent, quam brevissime agitur.*

XV. Reliquum est, ut duo ad Victorem spectantia breviter attingamus, haeresis scilicet notam eidem inustam, quasi Christum purum esse hominem dogmatizasset, atque Epistolarum, quae illius nomine vulgatae fuerunt, censuram. Ac primo certum est, Victorem iniquissima calumnia fuisse praedictae haereseos insimulatum; cum Theodorum Coriarium illius nefarium propugnatorem eiecerit ab Ecclesia, ut legimus in Breviario Romano v. Kal. Augusti, & apud Eusebium lib. v. Hist. Eccl. cap. 28. Epistolae autem, quae Victoris nomine sunt insignitae, prima ad Theophilum Caesareensem Episcopum, altera ad universos Episcopos Africanos, tertia ad Desiderium Viennensem, & quarta

ta ad Parocodum, consensu eruditorum exploduntur, tum ob rationes universim productas Saeculo I. Diss. I. num. 24. tum quia proferunt Scripturae loca iuxta Versionem Hieronymi, pluraque habent exscripta ex Epistolis S. Leonis Magni. Quod praesertim de tribus primis Epistolis est asserendum; nam postrema ad Parocodum, cum agat de celebratione Paschatis, enarretque Occidentalium, & Orientalium dissidia, quae liquet ex dictis suborta esse sedente Victore, non videtur habere tam apertas notas suppositionis. Haec autem de Romanae Urbis Episcopis, qui secundo Christiani nominis Saeculo Ecclesiam Catholicam gubernarunt.





DISSERTATIO II.

DE CONCILIIS
SECVNDO CHRISTIANO SAECVLO CELEBRATIS.

I. ETsi perpauca, eaque non Oecumenica, sed nationalia Concilia secundo Ecclesiae Saeculo coacta sunt, quae minime postulare videntur peculiarem dissertationem; attamen methodum, quam initio praescripsimus, servaturi, praesentem Diatribam conscribendam esse putavimus. In qua ne inutiliter verba fundere, resque exiguas nimium amplificare dicamur; quaedam universim ad Conciliorum notitiam spectantia attingemus, ut quo loco eadem Concilia habenda sint, & quam ipsis exhibere debeat reverentiam quisque percipiat. Neque nos iure quispiam reprehendet, quoniam id praeterito Saeculo agere praetermisimus, cum primum de Conciliis Apostolicis institueretur oratio: siquidem & eo loci aderat proprium, quo discuteretur, argumentum; & Apostolicarum definitionum, quae tales esse creduntur, satis perspicua est, & explorata auctoritas. Primo itaque quid Concilia sint, & quotuplex Conciliorum discrimen, exponam. Conciliorum nomine idem significatur, quod Comitiorum in regnis, inquit lib. 1. de Conc. & Eccl. cap. 3. Card. Bellarminus; tametsi Iureconsulti inter Comitia, & Concilia distinguant, quod Comitia sint locus, in quem populus suffragiorum causa conveniebat, vel potius ipsa universi populi per cornicinem evocati, dum Comitia calabantur, seu indicebantur, convocatio, cuiusmodi fuere Comitia aedilitia, praetoria, tribunitia, consularia, & censoria: de quibus Alexander ab Alexandro lib. IV. Gen. dier. cap. 5. Brissonius de Verborum significatione, atque in elaborata de Comitiis lucubratione Ioannes Baptista Egnatius: Concilia vero ea erant, in quibus populus a Magistratibus Iudicii causa congregabatur, neque plebs tota, sed pars duntaxat conveniebat. Hoc nomen ab arte fullonica, ciliisque, idest, pilis, primum ad omnem coagmentationem, deinde ad conventum coetumque Senatus, Iudicum, plebis, ac militum significandum derivasse ait Scaliger: sed forte

I. *Traditur Conciliorum etymologia, definitio, & discrimen.*

forte a ciliis oculorum, ob mentis in unum a pluribus directae intuitum, aut ob in eamdem sententiam coincidentes animos *Concilium*, aut *Concidium* fuit appellatum. Graeci Synodon dicunt, a *συν*, *cum*, & *ὅδος*, *hodos*, iter; quod ad statutum locum deputati viri pergant, ut simul convenire possint: unde nonnulli *Synhodum* cum adspiratione scribendum esse opinantur. Apud Isidorum lib. VI. Orig. cap. 16. Synodus interpretatur Comitatus, vel coetus. Idem habetur dist. 15. cap. *Synodus*. Nos Concilii, vel Synodi nomine intelligimus consessum Episcoporum de rebus Ecclesiasticis deliberantium. Fieri Concilia, *ut quod intellectu non capimus, ex auctoritate credamus, & sic ubi ratio minus nobis occurrerit, fides, ne labamur, succurrat*, aiebat lib. V. cap. 5. Facundus Hermianensis. Conciliorum quadruplex assignatur discrimen; alia etenim sunt Concilia Generalia, ex universis Christiani orbis nationibus congregata: alia Nationalia, ad quae conveniunt diversarum provinciarum, eiusdem praesertim nationis, Episcopi: alia Provincialia, ad quae a Metropolitano circumvicini Episcopi convocantur; alia demum Dioecesana, ad quae Episcopus nobiliorem Dioeceseos suae partem opportuno tempore congregat. Quum haec sit vulgata Conciliorum partitio; Can. tamen *Conciliorum*, dist. 3. alia universalia, alia provincilia dicuntur: sed istic nomine Conciliorum Provincialium ea omnia, quae Oecumenica non sunt, comprehenduntur.

II. *Agitur de Conciliis universalibus.*

II. Concilia universalia Graeco vocabulo Oecumenica dicuntur a participio passivo *οἰκουμένη*, verbi *οἰκέω*, incolo, habito, quod sint ex quacunque parte orbis, quae habitatur, collecta. Ea quoque appellantur ab Augustino lib. I. & II. contra Donatistas, *Concilia plenaria totius orbis, & plenaria universae Ecclesiae Concilia*: & dicuntur item *Concilia Magna*, *Synodi Magnae*, can. 56. Conc. 2. Arelatensis, ab Athanasio Apologia 2. & a Liberato Diacono cap. 6. *Plenarium* tamen, imo & *universale* interdum Concilium illud dicitur, cui & Metropolitanus, & ceteri Episcopi intersunt, sed cum aliquo additamento, ut *Concilium plenarium* Africae ab Augustino saepenumero laudatum, & Concilium Italici Regni universale, de quo Epist. 56. Ioannes VIII. Secundo Oecumenica haec Concilia solius R. Pontificis auctoritate coadunari fas est, ex Cann. *Synodum Episcoporum*, *Regula vestra*, *Huic sedi*, *Non licuit*, distinctione Decreti. 17. Hinc Pelagius II. anno 587. adversus Ioannem Patriarcham Constantinopolitanum, qui se Episcopum universalem iactabat, eoque titulo convocare generalem Synodum inscio Pelagio praesumpserat, scripsit Epistola 8. ad Episcopos, qui ad Synodum illam convenerant: *Relatum est ad Apostolicam Sedem, Ioannem Constantinopolitanum Episcopum universalem se scribere, vosque ex hac sua praesumptione ad Synodum convocare generalem, cum generalium Synodorum convocandi auctoritas Apostolicae Sedi Beati Petri sit tradita.*

Su-

Subiiciuntur ibidem quae habentur Can. *Multis denuo*, praecit. dist. 17. Mitto supposititium Iulii Decretum, unde conflatus est Canon *Dudum a Sanctis*, eadem dist. Tertio oritur ex dictis potestas, quam Romanus Potifex habet per se, vel per Legatos suos generalibus Synodis praesidendi: quod vel ex ipsa prima Oecumenica Synodo, idest, Nicaena, evidentissime constat, cum eidem tanquam Apostolicae Sedis Legati praefuerint Osius Cordubensis, & Vitus, ac Vincentius Presbyteri, ut alibi demonstrabitur. Quarto Concilia generalia secundo Ecclesiae Saeculo nulla extiterunt; sequentibus autem saeculis, omissis reiectis ac reprobatis, XVIII. enumerantur, videlicet, Nicaenum Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense, Constantinopolitanum II. ac III. quae nomine quintae & sextae Synodi laudantur, Synodus VII. seu Nicaena II. VIII. idest Constantinopolitanum IV. Quatuor Concilia Lateranensia, Lugdunensia duo, Viennense, Florentinum, Lateranense V. ac Tridentinum: de quibus singulis differendum erit suo loco. Quinto horum generalium Conciliorum utilitas, & necessitas demonstratur ab Eminentissimo Bellarmino lib. I. de Conciliis cap. 9. & a Cardinali de Turrecremata lib. III. Sum. Eccl. cap. item 9. & 10. quoniam plurimum conferunt ad servandam Fidei unitatem, & ad haereses extirpandas, ad abolenda Schismata, ad scandala avertenda, corrigendamque morum laxitatem, atque *ad frenandum* (Ioannis de Turrecremata verba sunt) *exorbitantias quorumdam Pontificum, qui Pontificatum suum aut spretis Sanctorum PP. regulis pro voluntate exercent, aut Simoniaca pravitate dehonestant, aut Saeculi vanitate, & vita scandalosa confundunt*. Postremo generalia Concilia accedente Romani Pontificis approbatione in iis, quae ad Fidem, moresque pertinent, sunt irreformabilia, propterea quod universam repraesentent Ecclesiam, quam in 1. ad Timotheum 3. appellat Paulus Apostolus *columnam & firmamentum veritatis*. Quare de iisdem Conciliis iure asseritur quod de Nicaeno in Epistola ad Africanos Episcopos ait S. Athanasius: *Verbum Domini per Oecumenicam Synodum manet in aeternum*.

III. *De iis Conciliis, quae Nationalia dicuntur.*

III. Concilia *Nationalia*, seu regionaria, erant ex pluribus provinciis conflata; eaque Petrus de Marca lib. VI. cap. 16. exordium habuisse putat posteaquam Imperator Constantinus sub quatuor Praefectis Praetorio administrationem totius Imperii divisit in quaedam corpora provinciarum, quae Iure Civili *Dioeceses* vocantur; tametsi hoc nomine nunc intelligamus, non illarum provinciarum corpora, sed cuiuslibet Episcopatus districtum. Ita sub Praefecto praetorio Italiae erat Dioecesis Africana provinciis sex constans, Dioecesis Italica provinciis septem, & Dioecesis Romana provinciis decem. Concilia itaque, in quibus res ad Dioecesim ampliori hac significatione acceptam spectantes discutiebantur, Concilia regionaria, sive nationalia dicuntur, puta Concilia Africana, de qui-

quibus frequens est mentio in libris S. Augustini, Concilium Illyrici commemoratum in Epistolis Damasi, Asianum laudatam a Theodoreto, Gallicana a Trevirensi, vel ab Arelatensi Episcopo olim convocata, pluraque Romana, ex Dioecesi Vrbicaria, quam diximus decem constasse provinciis, collecta. Hinc percipitur quod superiori num. dictum est, haec quoque Concilia *Plenaria* appellari, quod nempe ad illa provinciae singulae illius Dioecesis confluxerint. Secundo constat etiam de iis Conciliis, non autem de Oecumenicis, accipiendum esse Augustinum scribentem lib. II. de Baptismo contra Donatistas cap. 3. *Ipsa Plenaria Concilia saepe priora posterioribus emendantur, quum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat.* De iisdem etiam Conciliis interpretemur oportet legem 23. Cod. Theodosiani de Episcopis: *Qui mos est causarum civilium, iidem in negociis Ecclesiasticis obtinendi sunt, ut si qua sunt ex quibusdam dissensionibus levibus delictis ad religionis observantiam pertinentia, locis suis, & a suae Dioecesis Synodis audiantur.* Tertio Nationalium denique Synodorum decreta (quamquam si confirmata sint ab Apostolica Sede, plenissimum habeant auctoritatem) nequeunt Synodis universalibus aequiparari, harumque definitionibus illorum statuta abrogantur: unde ait Augustinus praecitato cap. 3. *Ipsa Concilia, quae per singulas regiones & provincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quae fiunt ex universo Orbe Christiano, sine ambagibus cedunt.*

IV. *De Provincialibus Conciliis.*

IV. Provincialia, ut diximus num. 1. ea Concilia vocantur, quae a Metropolitanis convocata sunt, & celebrantur ab eiusdem provinciae Episcopis. Ius itaque istiusmodi Concilia indicendi, cogendique, ad Metropolitanos spectat, neque absque illorum assensu fas olim erat alicui Episcoporum Synodos convocare, eo quod Metropolitanis permissum erat de cautis omnibus ferre iudicium. Ita Can. 20. Concilii Antiocheni celebrati an. 341. & Cap. *Propter Ecclesias*, dist. 18. Impedito autem Metropolitano, attinet id muneris ad Comprovincialem antiquiorem, ex Decreto Tridentini Sess. 24. cap. 3. de Reform. Ad ipsa nationalia Concilia omnes provinciae Episcopi tenentur, nisi gravi impedimento detenti sint, convenire, ut liquet ex Cann. *Si quis autem*, *Si Episcopus*, &, *Si quis Episcoporum*, praecitata dist. 18. Vrgente autem aegritudine, vel aliqua alia necessitate, debent Episcopi presbyterum aliquem scientia, ac prudentia praeditum seligere, qui suo nomine Synodo intersit, & quae decernuntur confirmet. Secundo iuxta Canonem 5. Nicaenum Synodus nationalis bis in anno celebranda esset, idest, tempore Quadragesimae, & Autumno vertente: iuxta Canonem autem 37. Apostolicum, & 20. Antiochenum, transacta tertia Dominica post Pascha, & Idibus Octobris. Deinde ut semel in anno

huius-

huiusmodi habeantur Concilia decrevit Iustinianus Novella 123. & 137. necnon Synodus in Trullo Can. 8. & secunda Nicaena, sive Synodus VII. Can. 6. Cum vero sedente Gregorio XI. idest, decimotertio Saeculo, in desuetudinem haec Synodorum nationalium celebratio abiisset, graviter id reprehendit summus Pontifex in Epistola ad Archiepiscopum Narbonensem scripta an. 1275. Tridentini PP. Sess. XXIV. cap. 2. de Reformat. mandarunt, ut saltem singulis trienniis Provinciales Synodi congregentur, naquaquam prohibendo frequentiorem ipsarum Synodorum iuxta pristinos Canones celebrationem. Tertio tractandae sunt in iisdem Conciliis causae Clericorum, & Laicorum, quos Episcopus communione privaverit, expendendae accusationes adversus Episcopos, ac difficultates circa administrationem bonorum Ecclesiasticorum, & circa ceremonias Sacrorum, ut ex Can. 5. Concilii Nicaeni, ex Canone 20. Concilii Antiocheni, atque ex Novella 137. Iustiniani demonstrant Petrus de Marca lib. VI. cap. 14. & Zegerus Van-Espen p. 1. tit. 20. cap. 2. Praesertim ad proponendam, servandamque Patrum disciplinam, ad mores formandos, & ad vitia corrigenda perutilis est harum Synodorum frequentia. Causae tamen maiores, quae aut fidem, aut disciplinam canonicam spectant, in gravi praesertim difficultate, ad Apostolicam Sedem referri debent. Recte de horum Conciliorum celebratione Synodus Constantiensis Sess. 39. *Frequens Conciliorum celebratio agri Domini cultura praecipua est, quae vepres, tribulos, & spinas haeresum, errorum, & schismatum excessus corrigit, deformata reformat, & vineam Domini ad frugem uberrimae fertilitatis adducit; illorum vero neglectus praemissa disseminat, atque fovet.*

V. *De Synodo Dioecesana.*

V. Dioecesanae demum Synodi eae sunt, quas Episcoporum potestatis & officii est quot annis convocare iuxta Concilii Tridentini praescriptionem praecitato cap. 2. Sess. 24. Ad has vero Synodos convenire debent tum Parochi, etiamsi Regulares, & exempti, tum qui intra Dioecesis, in qua aguntur Synodi, limites possident beneficium Ecclesiasticum, quamvis habeant alibi domicilium. Secundo instituti sunt huiusmodi Conventus, sive Concilia, ut generalium Synodorum decreta serventur, ut consulentur ea, quae pertinent ad spirituale animarum regimen, ut mutuo sese Episcopus & Clerus agnoscant, foveantque spirituali necessitudine caritatem, ut vigentes in populo disquirantur abusus, & opportuna adhibeantur remedia, ut Examinatores, qui Synodales dicuntur, & Iudices, quibus Causae Ecclesiasticae committi possint, eligantur. Solebant in hisce Synodis Episcopi onera Missarum celebrandarum ex urgenti causa reducere, quod & Regularium Ordinum generales Antistites in Capitulis generalibus facere aliquando consueverunt, facultate sibi facta a Tridentina Synodo Sess. 25. cap. 4.

Verum tam Episcopis, quam Generalibus Missas reducere interdicitur decreto S. Congregationis anni 1625. confirmato a Romano Pontifice Vrbano VIII. Tertio sententia fuit Gratiani, non posse in Dioecesana Synodo condi novos Canones, ut legitur initio distinct. 18. sed errasse Gratianum advertit Auctor Glossae ita scribens: *Illud non est verum, quia Episcopi bene condere possunt Canones Episcopales, & Archiepiscopus provinciales; sed de maioribus negociis non possunt aliquid statuere*. Possunt itaque in Synodis etiam Provincialibus, atque Dioecesanis novae constitutiones, atque definitiones fieri, modo Iuri Ecclesiastico sint consentaneae, prout docet Azorius p. 2. Instit. Moralium lib. III. cap. 47. His, quae ad generalem quamdam Conciliorum notitiam manuducunt, & viam sternunt, praemissis, de Conciliis secundi Saeculi breviter pertractabimus.

VI. *De Synodis secundo Saeculo in controversia Paschatis celebratis.*

VI. Circa annum itaque 198. quemadmodum scripsimus in praecedenti Dissert. num. XIII. Rom. Pontifex Victor coacta Romana Synodo celebrandum Pascha constituit non alio die, quam Dominico plenilunium primi mensis sequente. Hanc Synodum subsecutae sunt aliae plures eadem de causa celebratae, in Ponto sub Palma Ecclesiarum provinciae Osdroenae, Corinthi sub Bacchyllo, & Lugdunensis sub Irenaeo; de quibus Eusebius lib. V. cap. 23. & 24. Harum Synodorum, quas certum est Victoris sententiam probasse, acta periere, praeter fragmenta Epistolae Synodalis, qua cum Victore Irenaeus, Fratresque egerunt, ne ob hanc controversiam sineret scindi Ecclesiarum communionem. Accessit Synodus Caesariensis, cui praefuerunt Theophilus Caesareae Episcopus, & Narcissus Episcopus Hierosolymitanus; & pro Victore itidem haec Synodus sententiam dixit. Quaedam eiusdem Synodi fragmenta habentur apud Bedam in libro de Aequinoct. Vern. & apud Bucherium in Opere de Doctr. Temp. Vna tantum Synodus a Victoris definitione recessit, nempe Ephesina habita a Polycrate Ephesiorum Metropolita, atque ab aliis Episcopis Asiae proconsularis: eiusdemque Synodi servari Epistolam ad Victorem, vel potius ipsius Epistolae partem apud Eusebium citato cap. 24. dictum est supra num. 13. Atque haec sunt Concilia ad quaestionem Paschatis dirimendam coacta: in quibus observandum est quid Polycratem, ceterosque Asianos permoverit, ne assentirentur Victori, quid Episcopos alios, ut seniori consilio ad Victorem accederent. Nil aliud Antistites Asiani obtendebant, nisi deductam ad sua usque tempora traditionem: cuius testes proferebant Philippum unum ex septem Diaconis mortuum Hierapoli, Ioannem Apostolum & Evangelistam Ephesi consopitum, Polycarpum Martyrem Episcopum Smirnae, Segarem Laodicenum, Papirium, & Melitonem eunuchum, qui sanctissime vitam transegerat, & Sardis conditus fuerat tumulo: quos omnes aiebant

bant, celebrasse Pascha die 14. Lunae ex praescripto Evangelii. At hcc Evangelii praescriptum nullibi extat: traditio autem illa neque universalis erat, ut mox dicam, neque immutabilis, cum ad disciplinam spectaret. Contra pro Victoris sententia militabant longe firmior traditio, & graviora momenta: traditio firmior, tum quia in Ecclesia Romana, quam nulla unquam haeresis labefactavit, traditio, quae est ab Apostolis, semper servata est, ut lib. III. adv. Haer. cap. 3. inquit Irenaeus: tum quia omnes alii Episcopi, si Asianos excipias, Victoris sententiae adhaesere, asserentes suis in Ecclesiis Pascha celebrari iuxta Ecclesiae Romanae consuetudinem, *ex Apostolorum successione gradatim ad eos perducta*, ut ait Eusebius lib. v. Hist. Eccl. cap. 25. tum denique quia discussa hac causa in magna Nicaena Synodo idem, quod Victor definierat, firmatum est, declaratumque in Epistola Synodali ad Ecclesiam Alexandrinam, *Romanos & Aegyptios rectam viam a primis temporibus tenuisse*. Quare etiam Novatianorum Primas Acesius Constantino illius de hac quaestione sententiam expostulanti apud Socratem lib. I. cap. 7. respondit: *Nihil novi Concilium decrevit; nam antiquitus a primis Ecclesiae iactis fundamentis, & ab Apostolorum temporibus idem tempus Festi celebrandi observatum accepi*. Neque dicas, cur ergo hanc traditionem Ecclesiae per Asiam constitutae non observabant? Sunt ne traditiones Apostolicae traditionibus ipsis oppositae? Neque, inquam, id dicas. Enimvero supra monuimus illam, de qua modo agitur, traditionem ad disciplinam spectasse: non autem absonum est, si in iis, quae ad disciplinam attinent, alicubi aliquod occurrat discrimen, ut constat in ritibus sacrorum mysteriorum. Aderant vero haud spernenda momenta, quibus impellentibus S. Victor niteretur ad unam, eamdemque disciplinae rationem reducere Paschatis celebritatem: primum quia soli Asiani Iudaicum morem sectabantur: secundum quia Ioannes Ecclesiis Asiaticis nullum de hac re mandatum praescripserat, sed permiserat tantum, ut Iudaicae institutionis dies servaretur. Tertium quia nec tunc temporis deerant, qui Iudaismum, & Ebionitarum haeresim tentabant instaurare, ut diximus in praecedenti Dissert. num. XIII. de Blasto presbytero, qui Pascha celebrans Iudaico more, simulque in Valentinianam pestem declinans, *ac latenter volens introducere Iudaismum*, ut aiunt Theodoretus lib. I. Haer. Fab. cap. 23. & auctor Additamenti ad librum Tertulliani de praescript. cap. 53., Ecclesiastica communione privatus fuit. Quartum quia Dominicus dies est primus Saeculi, ac praeter alias benedictiones, quas Palaestini Episcopi referunt apud Ven. Bedam Lib. de Aequinoctio Verno, consecratus est Resurrectionis mysterio. Postremum quia ante Dominicam diem solvi nequit sacrum Quadragesimale Ieiunium, & praecedentibus feriis Christi Pas-

N 2 sio

ſio cum animi moerore colitur, quum tamen ſolemnis dies Paſchatis ſit dies, de qua in Pſalmo 117. *Haec dies, quam fecit Dominus, exultemus, & laetemur in ea.* Haec quum ita ſint, omni iure Romana Synodus Paſchale Feſtum Dominicae diei allegavit, eiusdemque Synodi ſtatuta probarunt aliae complures: de quibus hactenus.

VII. *Recenſentur quaedam aliae Synodi ſecundo Eccleſiae Saeculo celebratae.*

VII. Praeter Concilia ſuperius commemorata, in quibus controverſia de die Paſchatis diſcuſſa fuit, duo alia incerti temporis a nonnullis laudantur celebrata ſecundo Saeculo, ideſt, Pergamenſe in cauſa haereſis Calorbaſi, qui prodiit e Schola Valentini; & Hierapolitanum adverſus Montanum & Maximillam pſeudoprophetas, & divinitatis Chriſti iniquiſſimum oppugnatorem Theodotum Coriarium. Prioris Concilii meminit Auctor libri de Haereſi Praedeſtinatiana Haer. 15. inter Opera Sirmondi; alterius Libellus Synodicus p. 4. Sunt tamen, qui haec Concilia in dubium revocant. De his legendi Baluzius Collect. Novae Concil. p. 5. Pearſonius de Succeſſ. priorum Pontificum Diſſ. II. & Caveus ad finem Saeculi Gnoſticorum. Quum vero haec duo Concilia praetermitti ſoleant ab Eccleſiaſticae Hiſtoriae Tractatoribus, non abs re fuit illa ſaltem in exitu huius noſtrae Diſſertationis recenſere.



DIS-

DISSERTATIO III.

DE HAERESIBUS SECUNDO CHRISTIANO SAECULO EXORTIS.

I. INTER Haereses, quae secundo vertente Saeculo Catholicam Fidem labefactarunt, celebriores sunt Carpocratiana, Adamitarum, Valentiniana, cuius plures fuerunt germina inferius enumeranda, Encratitarum, Marcionitarum, Montanistarum, Apellitarum, & Melchisedecianorum; quibus addenda sunt Theodoti Coriarii, Artemonis, & Hermogenis nefaria dogmata. Sunt qui his Saturninum quoque & Basilidem accenseant, quorum in Hist. I. Saeculi Diss. III. num. 10. meminimus, rationem proferendo cur eo loci de hisce postremis Haereticis pertractaverimus. Comprehenduntur vero fere omnes secundi Saeculi haereses sub nomine *Gnosticorum*: Gnostici autem *ἀπὸ τῆς γνώσεως*, a cognitione, & scientia, hoc sibi nomen superbissime usurpaverunt, quasi singularem prae ceteris sapientiam, rerumque divinarum cognitionem haberent: unde S. Isidorus lib. VIII. Originum cap. 5. ait: *Gnostici propter excellentiam scientiae ita se appellare voluerunt*. At fuisse illos omnium prorsus hominum insipientissimos evincunt quae adversus ipsos quinque libris scripsit Irenaeus. Is horum Gnosticorum antesignanum ac principem fecit Carpocratem; Hieronymus tamen ipsorum parentem, auctoremque putat Basilidem: nulla, vel minima discrepantia, si dicamus unum praeformasse, alterum haeresim longe lateque sparsisse. Postquam igitur praecit. Diss. num. 10. diximus Basilidem Saturnini condiscipulum prodigiosa illa Coelorum, Angelorumque propagine erroribus Gnosticorum aditum aperuisse; de iisdem Gnosticis, ac primum de Carpocrate, instituenda est dissertatio, monente Apostolo in 1. ad Timoth. cap. 6. ut devitemus *profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes, circa Fidem exciderunt*: quae verba adversus Gnosticos dicta esse iamdudum docti viri observarunt.

I. *Enumerantur Haereses secundi Saeculi, & Gnosticorum nomen exponitur.*

II. Car-

II. *Carpocratis genus, aetas, dogmata & mores.*

II. Carpocrates a Ioanne Damasceno dicitur Asiaticus genere, a Clemente Alexandrino I. Stromatum, & a Theodoreto cap. 5. Haeret. Fab. Alexandriae ortus, atque ab Epiphanio H. 32. ex insula Samo, sive Cephalenea. E Samo tamen erat uxor Carpocratis, Alexandrea nomine, ex qua suscepit Epiphanem mirae indolis adolescentem, qui Platonica Philosophia imbutus a patre, anno aetatis suae 17. fuit paternae haeresis propugnator, ac reformator, adeo, ut eodem anno sublatus e vivis, Cephaleneae, ubi Scholam aperuerat, divinos obtinuerit honores, erecto illi ex lapidibus Templo, quod cives *Epiphanis Musaeum* appellarunt. Carpocratianam haeresim sedente Aniceto Pontifice maximo in Vrbem quoque Romam irrupisse opera pestilentissimae feminae Marcellinae, a qua discipuli Carpocratis etiam *Marcelliniani* vocati sunt, in lib. v. adversus Celsum Epicureum affirmat Origenes. Coluisse Carpocratem magicas artes, easque palam tradidisse philtris quibusdam curiose elaboratis, paredris, scilicet assiduis spiritibus, & Oniropompis, idest, invitatis Daemonibus somnia immittentibus, & similibus ludificationibus, ad Sanctorum elevanda miracula, literis tradiderunt Iustinus Martyr, & Irenaeus apud Eusebium lib. iv. Hist. Eccl. cap. 7. Fuerunt autem Carpocratis Dogmata I. Mundum hunc adspectabilem a Deo conditum non fuisse. II. Christum, uti reliqui gignuntur homines, procreatum. III. Nil habuisse praeter corpus, mentemque humanam, qua tamen in superiori Vita Deo constantius adhaeserit. IV. Ipsi Christo a summo Deo talem vim, ac virtutem immissam, ut posset ad ipsum remeare, invitis quoque, & contranitentibus Angelis Mundi conditoribus. V. Iesum ipsum externa duntaxat specie fuisse passum. VI. Admittendam esse animorum transmigrationem, commentitiam vero esse Resurrectionem corporum. VII. Vno, eodemque cultu Christi, & Pauli Imagines esse adorandas, ac Homeri, Platonis, atque Aristotelis. Atque haec sunt Carpocratis dogmata partim ex Irenaeo lib. I. cap. 24. partim vero ex Clemente Alexandrino, & Epiphanio descripta. Refutantur autem iis, quae ad refellendas I. Saeculi haereses, quarum omnium videtur Carpocratiana cumulata quaedam complexio, in Diss. III. a num. I. usque ad num. 12. fuerunt producta. At praeter errorum istorum portenta, improbissimis quoque moribus Carpocratiani universorum, etiam Ethnicorum, in se concitarunt indignationem. *In tantam insaniam* (inquit S. Irenaeus) *effrenati sunt, ut omnia, quaecunque sunt irreligiosa, in potestate habere, & operari se dicant. Sola enim humana opinione negatia bona, & mala dicunt, & utique secundum transmigrationes in corpora, oportere in omni vita, & omni actu fieri animas, hoc est omnia genera vitae etiam flagitiosissima experiri.* Idem narrant Tertullianus in Apologetico, aliique apud Petavium in Animadversionibus ad Epiphanium pag. 47.

III. Ada-

III. Adamitarum, quos secundo loco commemoravimus, haeresis paucis a Clemente Alexandrino, Irenaeo, Epiphanio, aliisque describitur. Illis hoc nomen accessit, quod seipsos primo homini Adam, priusquam in peccatum laberetur, aequiparantes, suamque Ecclesiam dicentes Paradiso simillimam, omni pudore seposito, palam gignendis liberis dabant operam, imo promiscue abutebantur uxoribus, & negabant, si Adam stetisset, futuras nuptias; abiectisque vestibus prorsus nudi sacra celebrabant mysteria. Et haec quidem vulgo de impurissima hac secta traduntur. Ex Patribus vero haec ulterius accepimus. Primum huius Sectae auctorem aiunt fuisse Prodicum quemdam, quo nomine insignem quoque Sophistam apud Philostratum & Protagoram, necnon Medicum quemdam discipulum Aesculapii novimus appellatos. Tertullianus in Scorpiaco loquens de Haereticis, qui martyrium damnabant, (hunc errorem exagitabimus infra) Prodicum Valentinianis adnumerat. Augustinus Haer. 51. ait, inter Adamitas fuisse continentes aliquos, qui habentur ut virgines: at de his scripserat antea S. Clemens Alexandrinus in II. Stromate: *Vivunt ut volunt, volunt autem libidinose*. Aetate sua, nimirum circa annum Christi 374. quo tempore stilum contra haereses exercebat, Adamitarum haeresim extinctam ait Epiphanius. Et revera pace Ecclesiis per Constantinum restituta, istiusmodi nebulones fugatos penitus, atque repressos fuisse, haud obscure colligitur ex Hist. Eccl. Eusebii lib. IV. cap. 7.

III. *De haeresi Adamitarum.*

IV. Ad Valentinianam haeresim, qua nullam unquam legimus feraciorem figmentis, nunc differendo progredimur: ac principio de huius hareseos agimus auctore, nempe de Valentino. Is itaque Phrebonites fuit, ex maritima quadam Aegypti ora, Philosophiae Platonicae studiosissimus, atque si fides habenda sit Droserio ipsius Valentini sectatori apud Origenem in Dialogo adversus Marcionem, Theodadis cuiusdam, olim Pauli Apostoli familiaris, discipulus. Eius ab Ecclesia separationem his verbis narrat libro adv. eumdem Valentinum cap. 4. Tertullianus: *Speraverat Episcopatum Valentinus, quia & ingenio potens & eloquio. Sed alium ex martyrii praerogativa loci potitum indignatus, de Ecclesia authenticae regulae abrupit, ut solent animi pro prioratu exciti praesumptione ultionis accendi, ad expugnandam conversus veritatem*. Valentinum relicta Alexandria venisse Romam sub Pontificatu Hyginii, ibidem viguisse temporibus Pii, atque permansisse usque ad Anicetum, scribit lib. III. cap. 4. Irenaeus. Roma autem discedens se contulit in insulam Cyprum, ubi, ut verbis utar S. Epiphanii ad Haer. 31. in extremum impietatis prolapsus, in eam, quam tuebatur, flagitiorum disciplinam se altius immersit. Inter Valentini discipulos commemorantur Secundinus, qui Aeonum fabulam paullo infra explicandam aliquantulum immutavit: Ptolomaeus quidam, a quo Valentiniani

IV. *De Valentino, ipsius discipulis, & dogmatibus.*

niani etiam *Ptolomaitae* dicti sunt ; & Marcus , a quo *Marcosii* , liquores certis verbis, magicisque susurris in sanguineum, purpureumque colorem mutantes : ac de his agunt Epiphanius , Philastrius , & Augustinus de Haeresibus , Tertullianus lib. 1. adversus Valentinum , Theodoretus Haeret. Fab. cap. 8. & Auctor Praedestinati cap. 12. Adde Calorbasum , Heracleonem , Bardesanem, aliosque nominis obscurioris , qui omnes praedictam Aeonum fabulam aliquo turpi additamento propugnaverunt. Foetura quoque Valentini fuerunt Ophitae , Caiani , & Helcesitae , postremo Cerdonis asseclae, ac Marcionitae , de quibus peculiariter agendum erit. At quaenam communia Valentinianorum fuere dogmata ? Ad tria capita referri possunt , quorum primum spectat *Pleroma* , alterum quae extra Pleroma sita sunt, tertium mundum , rerumque corporearum originem. *Pleroma*, quo vocabulo intelligitur quidquid implet aliud quidpiam , appellabant Valentiniani Plenitudinem Deitatis; in qua constituebant triginta Aeones , quindecim masculos , ac totidem feminas. Horum, quos singulatim lib. 1. Theologicarum Disciplinarum suo distinximus nomine , supremum vocabant Bythum, quod *fundum* interpretantur, autumantes Bythum ex Sige , quo vocabulo significatur *silentium* , Nun , & Alethiam , *mentem* dixeris , ac *Veritatem* , genuisse. Atque hi quatuor ceterorum Aeonum , qui Pleroma componunt , progenitores fuere. Extra τὸ πλήρωμα locabant Sophiam , seu *Sapientiam* , despectam, atque informem, latitantem in tenebris, quam Christus odore aliquo immortalitatis perfuderit: ex illa cupida luminis natam asserebant *animam Mundi*, *animam Creatoris*, quem *Demiurgum* dicebant; eiusdem Sapientiae lacrymis, tristitiae, risui primordium adscribebant substantiae cuiusque liquidae , elementorum, & lucis. Tertium caput ad Mundi pertinens creationem, haec absurda complectitur, Mundum a *Demiurgo*, quamvis caeco, productum : septem ab illo creatos fuisse coelos praeditos anima, & *Angelos* nuncupandos: hominem formatum ab ipso *Demiurgo* ex materia fluida , & substantia animali , sed ei additum, inscio ipsomet Conditore, a Sapientia huius matre spiritualem quemdam ornatum, ita , ut tres in uno homines habeantur , *materialis* unus, alter *animalis* , tertius denique *spiritualis*; quorum primus necessario pereat, alter pro meritis salvari, & damnari aeque possit, tertium ex spiritali semine progenitum servari necessum sit. Sed pudet figmenta haec enarrare prolixiori sermone.

V. *Fabulosa Valentinianorum haeresis oppugnatur.*

V. Quoniam vero aiebant Valentiniani, se ex Theodade Pauli discipulo , atque ex Matthia Apostolo doctrinam suam accepisse, quemadmodum in Strom. VII. affirmat S. Clemens Alexandrinus, imo in eius confirmationem, teste Irenaeo lib. 1. cap. 3. quaedam sacrarum Scripturarum loca temere detorquebant; ac praeterea

non

non defuerint ex recentioribus heterodoxis, qui senserunt nil erroneum, & quod mystica intelligentia non sit Catholico sensu exponendum, Valentinianos dogmatizasse; idcirco brevi praedictam Aeonum genealogiam, aliaque errorum capita refutabo. Ac primum, quis, nisi haereticorum audacissimus, asserere ausit in exagitanda Valentini doctrina, non Augustinum tantum, Philastrium, Epiphanium, ceterosque posteriores haeresum profligatores, verum etiam ipsius Valentini Synchronos Tertullianum atque Irenaeum, necnon Platonicae Philosophiae scientissimos Clementem Alexandrinum, & Origenem, falsa atque imaginaria erroris similitudine fuisse deceptos? Deinde etsi Platonicis insolitum nequaquam fuit libros mystice interpretari, resque apertissimas obscuris involvere allegoriis, ut constat ex Platonis Enneadibus, ex Procli Theologia, atque ex Mysteriis Iamblici; non id tamen fas erat Valentino, praesertim in Sacris Doctrinis, agere, quum legem non ignoraret Christianam, sacrosque libros perlegisset. Ad haec nemini licet absurda & paradoxa in rebus Fidei proferre, & simplicioribus, ut erroribus abripiantur, praebere offendicula. Praeterea locare Demiurgum, idest, Mundi huius opificem extra Pleroma, ac plenitudinem divinitatis, illumque licet a Sapientia progenitum, caecum & ratione destitutum fingere; quid est aliud, quam ineptire, & Deo opificium denegare rerum universarum? Vlterius extra ipsum *Pleroma*, omnemque locum, quem implet suprema Deitas, statuere orbis fabricatorem, nihil est aliud, quam Dei immensitatem coarctare, immo & pugnantia effutire, quum extra Pleroma, quod continet omnia, nequeat substantia aliqua excogitari. Denique in contexenda Aeonum genealogia docuit Valentinus, Angelos, & Demiurgum in labe fuisse conditos, quod dedecet summam Dei sanctitatem: inscio atque invito Propatore, idest, primo omnium rerum parente, fabricatum hoc universum, quod Numinis sapientiam & potestatem execrabili blasphemia audacter negat: umbram & vacuitatem esse emissiones Bythi, idest, productiones, natosque primae & antiquioris substantiae, quod hanc pariter expertem lucis, & inanem commonstrat; atque, ut mittam quae alibi adversus Valentinianos Aeones disputavi, docuit horum Haeresiarcha & Coriphaeus, distincta in eodem homine triplici substantia, Christum spiritualem tantum e coelo delatam gestasse, & per Virginem transisse, non autem ex ea natum esse; quod Incarnationis Divinae mysterium prorsus evertit: de quo tamen postremo Valentini errore dicendum est alibi.

VI. *De quibusdam haeresibus ex Valentiniana procreatis.*

VI. De Ophitis, Caianis, & Helcesitis, infaustis Valentinianorum surculis, pauca dicenda sunt. Ophitae, qui a serpente quem Graeci *Ophim* vocant, traxere nomen, ut Irenaeus docet lib. 1. cap. 34. dogmatizabant, Sophiam, de qua superiori numero, fer-

pentem factam, cognitionem, rerumque divinarum notitiam primis parentibus inspirasse. Huius Valentinianae sectae auctorem fuisse Euphratem quemdam scribit contra Celsum Origenes, & ait viguisse Ophitarum haeresim temporibus Hadriani, quo imperante vixit & Celsus. Legite Origenem lib. VI. Baronius eamdem haeresim refert ad tempora Antonini, qui Hadriano successit. Caiani ita sunt appellati, qui impium fratricidam Cainum summa veneratione prosequebantur, & Iudam Iscariotem omnium hominum optimum praedicabant, autumantes tradidisse Dominum, quoniam contrariae potestates nitebantur impedire humani generis redemptionem. Pseudoevangelio Iudae suos fovebant errores. De his Irenaeus lib. I. cap. 35. & Epiphanius Haer. 38. ubi ait a Carpocrate, ceterisque Gnosticis errores illos derivasse. Augustinus de Haeresibus addit non Cain duntaxat, & Iudam, verum etiam Core, Sodomitas, omnesque perversos a Caianitis existimatos fuisse bonos, & eo meliores, quo turpiora facinora perpetrassent. Atque his opponunt quidam Sethianos, qui Sethum alterum Adae filium Christum putabant, & duo hominum genera, bonorum scilicet a Setho, & malorum a Cain trahentium originem: quod tamen est Dogma Marcionis, neque videtur sectam efficere peculiarem. Helcesitarum, qui ab Helcesa Arabe denominabantur, plura sunt, & ridicula aeque ac nefaria dogmata: aiebant siquidem Christum creaturam esse, Spiritum Sanctum feminam, & Christi sororem; iurandum esse per salem, terram, aethera, coelum, & ventum, tamquam per numina; damnandam virginitatem, & cuique ineunda connubia; fas esse ad mortem vitandam simulare religionem, negare fidem, & idola venerari; quae ab ipsis credebantur contineri in libro e coelis delapso: duarumque muliercularum, quas Marthum & Marthanum vocabant, pulverem haerentem pedibus, & sputa religiose colligebant. Agit de Helcesitis Theodoretus lib. II. Haeret. Fabul. cap. 7. Origenes in Psalmum 80. Epiphanius Haer. 19. atque Eusebius lib. VI. Hist. Eccl. cap. 38.

VII. *Adversus Valentinianos, aliosque Gnosticos demonstratur, subeundum esse pro Christiana fide, & pro iustitia martyrium.*

VII. Praenarratis, ceterisque omnibus Gnosticis, & Valentini gregariis, aliisque postmodum eodem semine procreatis, duo praeter Aeonum fabulam fuere communia, rem scilicet detestabilem, & prorsus illicitam esse Martyrium, & Christi carnem coelestem, & spiritalem fuisse, non autem nostrae simillimam, atque assumptam ex Virgine. Gnosticorum momenta erant. I. Iniquum esse, si innocens patiatur. II. Deum non flagitare hominum sanguinem, eiusque bonitati cruciariam immanemque repugnare voluntatem. III. Intimasse Abrahamo ut filium suum Isaac occideret ad eius explorandam obedientiam, noluisse occidi reipsa, ne videretur atrocitatem criminis comprobare. IV. Diabolum, qui malus est, adolescentium & virginum praecepisse immolationem, quod execratur Regius David

dicens

dicens, *Immolaverunt filios suos, & filias suas Daemoniis*. V. Testari Deum per Prophetas nolle se peccatorum mortem, sed vitam. VI. Praeceptum esse Apostolicum, ut Dominis etiam impiis, atque infidelibus subiiciamur, ideoque teneri nos ad sectandam idololatriam, si id Reges iubeant. Verum apparet huius dogmatis impietas primum ex ipsa Lege scripta, quae ubique cultum Idolorum proscribit, & insectatur: deinde ex Evangelica, quae Math. cap. 5. beatitudinem pollicetur patientibus persecutionem, & cap. 10. hortatur, ne timeamus eos, qui corpus occidunt: item ex Apostolicis monitis, hortante Petro Epist. 1. cap. 4. ut communicemus Christi passionibus, neque ut homicidae, aut maledici, aut fures, sed ut Christiani mortem patiamur, Deum in isto nomine glorificantes: rursus ex Apocalypsi Ioannis, ubi ante Thronum Dei statuuntur, qui venerunt ex magna tribulatione, & lavarunt stolas suas in sanguine Agni: praeterea ex Christi exemplo, & Apostolorum, ac innumerabilium Martyrum imitatione: postremo ex manifesta ratione, qua ostenditur fugienda non esse quae a maximo malo liberant, & praestantiora esse deterioribus praeponenda; ideoque subeundam alacri animo mortem, quae a crimine idololatriae, ab animae exitio, & a pusillorum scandalo reddit immunem, praeferendamque Fidei confessionem, & Christiani nominis gloriam vitae quamprimum finiendae terreni & corruptibilis corporis. Sed legendus de hac re liber Tertulliani, cui Scorpiaci affixit titulum, & alteram inscriptum ad Martyres; liberque S. Cypriani de Exhortatione Martyri, eiusque Epist. 16. ad Moysem, Maximum, & ceteros Confessores. Nec in diluendis futilibus insulsisque ratiunculis Gnosticorum diu immorabimur. Enimvero ad primam dicimus, iniquum esse si innocens mortem subeat in poenam ipsius innocentiae, qua praemium, non supplicium meretur; at non si mortem patiatur ne innocentiam perdat, ne fidem abneget, ne veritatem Dei sui coram oppugnatoribus fateri erubescat. Ad alterum respondetur, Deum non flagitare sanguinem in sacrificium, sed post mortem, oblationemque Unigeniti, nec hircorum, & vitulorum super altaria velle mactationem; praecipere tamen, ut potius fundatur sanguis, quam pessundetur religio, Martyribus pro confessione coronam rependens, quod est gloriam nominis sui nostrae temporali vitae praeferre, & momentaneam poenam aeterna vita compensare, atque beneficentissimae voluntatis indicium, non trucis, saevaeque. Quae proxime sequitur facili negocio diluitur, tum quia Daemoni nullum sacrificium debetur, tum quia Martyres sibi adsciscit ut perdat, non ut coronet, ut Numinis cultum, veramque fidem evertat, non firmet. Ad Abrahae exemplum, cui alterum Iephte potest opponi, facile occurritur dicendo, potuisse Dominum praecipere sacrificium Isaac, cum dominus sit vitae omnium hominum, noluisse autem illius executionem praece-

pti, quoniam semen Abraham praeelegerat, in quo benedicerentur universae gentes. Duae postremae Gnosticorum cavillationes adeo ineptae sunt, ut nec ullam promereantur responsionem; siquidem Deum nolle mortem peccatorum spiritalem ac sempiternam, nec hominibus obtemperandum esse in his, quae aeternae, divinae, & naturali legi adversantur, nemo est ratione praeditus, qui compertum non habeat. Atque haec de Martyrio adversus Valentinianos, & Gnosticos.

VIII. *Exploditur Valentinianorum de Christi carne spirituali commentum.*

VIII. Adversus perniciosissimum alterum Valentini dogma, quod & Basilides, Marcion, aliique Phantasiastae appellati, ausi sunt propugnare, quod nempe veram, humanamque carnem Christo Domino negat, sacrae Litterae, Patrum Traditio, atque Theologicae rationes invicte militant. Atque e sacris litteris apertissima sunt quae habentur Ioan. I. *Verbum caro factum est:* quae eiusdem Ioannis Ep. I. cap. 4. *Omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est, & omnis spiritus qui solvit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus*: quae Lucae 24. *Palpate, & videte, quia Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere:* quae de eius passione, sudore sanguineo, lacrymis, esurie, sanguine e vulnere lateris erumpente narrantur, quae omnia sunt verae, extensae, & aliquando passionibus obnoxiae carnis argumenta. Traditio item omnium PP. consensione firmatur, cum perversum illud dogma plurimis argumentis oppugnaverint Tertullianus in libris de Carne Christi, & contra Marcionem, S. Irenaeus lib. III. adversus Haer. cap. 32. Hilarius lib. X. de Trinit. Augustinus lib. XXVI. contra Faustum Manichaeum, neque ullus inveniri possit, qui non execretur, reprobetque tam perniciosum Phantasiastarum errorem. Rationes vero, quibus evertitur, sunt verum esse corpus, quod partibus constat, quod palpatur, & tangitur, quod tenetur, ligatur, occiditur, & conditur monumento: nil magnum & singulare nobis Christum praestasse, nisi carnem assumens nos a maledicto redemit; neque de peccato (phrasi utor Apostoli ad Rom. 8.) damnavit peccatum in carne: frustra Isaiam, & Evangelistas illum despectum virorum, attritum, vulneratum, passum, ac mortuum descripsisse, sed fuisse potius architectos fabularum, atque impostores; ipsum denique Christum, quem tamen Valentiniani profitentur veritatis Magistrum, turpissime fuisse mentitum, dum se filium hominis appellavit, dum ait oportere ut occideretur, & tertia die excitaretur a mortuis, dum redarguit Petrum, eum ne moreretur hortantem, pariterque mentitum Apostolum scribentem ad Romanos, Christum factum esse ex semine David secundum carnem; mentitum Deum quotiescumque Abrahae, Iacob, & David Christum ex illorum femore nasciturum promisit. Refutatur itaque execranda Valentini illa haeresis, eius-

que

que sectatorum auctoritate divinarum Scripturarum, Patrum omnium consensu, & multiplici ac manifesta ratione. Verum quaenam Phantasiastas ad tam absurdam Doctrinam effutiendam moverunt? Primum obscura quaedam loca novi Testamenti, videlicet, quae leguntur Matth. 12. *Quae est mater mea, & qui sunt fratres mei?* quae verba a Christo prolata videntur innuere nullam illi revera fuisse matrem, fratresque nullos. Item quae habentur Ioannis 3. *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo filius hominis, qui est in coelo.* Rursus quae Paulus scripsit in 1. ad Corinth. 15. *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de coelo coelestis.* Addebant Christum, si terrenam assumpsisset carnem, fore deterioris conditionis, quam sint Angeli. Haec autem omnia facillime expediuntur. Etenim verba Domini Matthaei 8. interrogantis sunt, non vero negantis; iisdemque Salvator nos commonefecit, divina negligenda non esse ob parentes, vel consanguineos. Quod habetur Ioannis 3. perspicuum est, si attendatur hypostasis, & naturae semper manentis potestas, secundum quam in coelis & ubique persistit, atque humanae assumptio naturae, qua spectata & descendit in terras, & redemptione peracta in coelos adscendit. In prima vero ad Corinthios cap. 15. aperte Paulus loquitur de corpore resurgentium, quod erit incorruptibile atque qualitatum praesentium corporum expers; tametsi S. Hilarius lib. x. de Trinit. accipiens Pauli verba de Christo, inquit, secundum hominem esse de coelo *ob originem eius ex supervenientis in Virginem Sancti Spiritus aditu.* Ad rationem ultimo productam loco reponimus, Christum utique inspecta tantummodo natura assumpta esse minorem Angelis, atque de illo pronuntiatum a Davide Ps. 8. *Minuisti eum paullo minus ab Angelis*: sed longe Angelos antecellit attenta divinitatis substantia, immo & humanitate ipsa, si spectetur non quidem in se, sed ad consortium divinitatis, & ad unionem, quam Scholae hypostaticam vocant, evecta.

IX. *Agitur de Encratitis, & de primorum parentum salute.*

IX. Prodiit e Valentinianorum Schola Tatianus genere Syrus, professione Sophista, orator illustris, ac primum cultu Gentilis, deinde Christianus, & S. M. Iustini discipulus. Qui post praeceptoris, quem Romam usque comitatus fuerat, obitum, inflatus tumore eloquentiae, cum Valentino invisibiles Aeones commentus est, ac praeterea novam quandam haeresim condidit, damnans tanquam stuprum & corruptionem coniugia, negans Adami salutem, inducens a vino, & animatis abstinentiam, & aquam solam adhibens in sacro altaris mysterio. Hinc huius sectatores *Encraticae*, & *Hydroparastatae* appellabantur; quorum vocabulorum primum derivatum ἀπὸ τοῦ ἐγκρατεῖν significat *continentes*, ac *temperantes*; alterum ἀπὸ ὕδωρ, *aqua*, & παρίσταμαι, *adduco*, aut *admoveo*, designat *Aquam adhibentes & offerentes*. Edidit Tatianus Orationem ad Grae-

cos

cos, sive librum Apologeticum adversus Gentiles, in quo alii deprehenduntur errores, praesertim animam humanam constare partibus, & esse suapte natura mortalem, eumdemque spiritum inesse hominibus, & animantibus ceteris, Angelis, sideribus, ac stipitibus. Neque accurate admodum locutus est Tatianus de ipso Deo, ut scribunt Origenes, & S. Clemens Alexandrinus. Relicta Roma, & in Orientem reversus circa annum 172. imperante M. Aurelio Antonino, pluribus conscriptis Voluminibus, inter quae laudantur elegantissimus liber adversus Gentes, Harmonia Evangeliorum, Opus de Perfectione secundum Servatorem, Liber Problematum, & si fides habenda est Rufino, etiam elaboratissimum Chronicon, incerto anno decessit. Ex recensitis Tatiani erroribus, quoniam nuptiarum sanctitas vindicanda est paullo infra adversus Marcionem, quae vero de humano spiritu, & anima commentus est, a singulis Philosophis refutantur, duo in praesentiarum sunt expendenda, unum scilicet, an Adam aeternam salutem sit consecutus; alterum an sola aqua sit in Sacrificio adhibenda. Ad primum ergo quod attinet, certissime tenendum est protoparentem salutem sempiternam fuisse adeptum: quod primo demonstratur ex libro Sap. ubi cap. 10. haec leguntur: *Sapientia illum, qui primo formatus est a Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodit, & eduxit illum a delicto suo:* quem locum produxit Augustinus Epist. 164. alias 99. ad Evodium. Demonstratur secundo traditione constanti ac perpetua; nam II. Saeculo Irenaeus Lugdunensis Episcopus lib. III. cap. 39. loquens de Encratitis ait: *Contradicunt quoque eius saluti, qui primus plasmatus est, & hoc nunc adinventum est apud eos, Tatiano quodam primo hanc introducente blasphemiam*. Ex quibus verbis colligimus neminem ante Tatianum de salute primi hominis haesitasse. Tertio Saeculo ineunte Tertullianus in Libro de Praescript. num. 326. de Tatiano inquit: *Totus secundum Valentinum sapit, adiiciens illud, Adam nec salutem consequi posse, quasi non si rami salvi sunt, & radix salva sit*. Quae verba haud ineptam exhibent congruentiam. In libro etiam II. contra Marcionem cap. 25. quaerens Tertullianus, cur Deus Adamo, & Evae post transgressionem non maledixerit, *Ideo*, inquit, *nec maledixit ipsum Adam, nec Evam, ut restitutionis candidatos, ut confessione revelatos*. Quarto Saeculo S. Hilarius in cap. 8. Math. quae ibidem narrantur de paralytico, de Adamo allegorice interpretatus ait: *Non dicitur paralytico, Sanus esto; Sed dicitur, Remissa sunt tibi peccata tua. In Adam uno peccata universis gentibus remittuntur. Hic igitur Angelis ministrantibus curandus offertur, hic filius nuncupatur, qui primum Dei opus est*. Eodem Saeculo Epiphanius Haer. 46. *Stulta quippe*, ait, *tota haec est opinio. Nam si Adam salutem minime adeptus est, hoc est ipsa quodammodo generis massa, nec ulla massae huius particula*

ticula servari poterit. Saeculo V. Augustinus Serm. 104. de Temp. inquit: *Denique Adam, quia interroganti Domino confessus est peccatum quod commisit, veniae redditus est:* & Sermone 71. quem tamen Criticorum nonnulli Augustino abiudicarunt, comprobatur traditio de Adamo, in ipso loco, ubi postea crucifixus est Dominus, sepulto; ut divina erga illum commendaretur misericordia: de qua Traditione plura diximus in Praelectionibus, & lib. XII. Th. Discipl. cap. 14. Floruerunt eodem quinto Saeculo S. Cyrillus, & Sidonius Apollinaris: quorum unus lib. III. in Isaiam scripsit: *Simul enim, ac cecidit Adam, imo priusquam laberetur, cognovit Conditor, quae ipsi suo tempore futura esset medela, illa nempe, quae est per Christum;* alter vero in Carm. 16. ad Faustum Reiensem Episcopum,

Expers peccati pro peccatoribus amplum
Fis pretium, veteremque novus vice foederis Adam
Dum moreris, de morte rapis.

Eiusdem traditionis testes proferre possumus ex posterioribus Saeculis S. Gregorium Magnum in Epist. 31. ad Eulogium Alexandrinum, & Anastasium Antiochenum, S. Isidorum Hispalensem Comment. in Gen. cap. 17. S. Anselmum lib. II. *Cur Deus homo* cap. 16. ceterosque universos. Tertio Catholica veritas ratione Theologica demonstratur; quoniam si primi parentes non fuissent a captivitate Daemonis liberati, potuisset Diabolus gloriari se a Christo non fuisse devictum; ut mittam coniecturas alias, praecitato cap. 14. lib. XII. productas. Postremo firmatur assertio nostra consensu fere omnium Haereticorum, qui manifestissimam hanc veritatem denegare non audent; ut liquet ex Synopsi Theologorum Leidensium Disp. 14. Zuvinglio in Declaratione de peccato originali, Zanchio de Perseverantia SS. Pareo contra Bellarminum lib. III cap. 12. Heidegero in Exercitationibus Selectis circa Historiam Patriarcharum Exercit. 4. §. 72. demum ex Calvino in Caput tertium libri Genesis vers. 14.

X. *Quae adversus Adami salutem obiiciuntur.*

X. Adversus salutem primorum parentum nuperrime vindicatam militant argumenta nonnulla petita ex Commentario in Genesim Ruperti Abbatis, qui affirmasse dicitur sententiam de damnatione Adami non esse omnino improbabilem, atque a multis aetate sua, idest, Saeculo XII. propugnatam. Argumentum est huiusmodi: Genesis 3. expresse fit mentio mulieris, atque praedicitur primum ab eius semine conterendum esse Serpentem, ideoque ipsam mulierem, huiusque posteros a Diaboli captivitate esse liberandos; sed nulla in hac promissione salutis fit mentio Adami. Praeterea 1. ad Corinth. 15. ait Apostolus, *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur;* ut igitur stet antithesis inter Adamum, & Christum; quemadmodum Christus est caput omnium praedestinatorum, ita

Adam

Adam est caput omnium reproborum. Insuper si Adam salvus esset, inveniretur ipsius poenitentia, de qua nullum in Scripturis adinvenitur vestigium; ideoque gratis omnino illius salus adstruitur. Tandem Apostolus in Epist. ad Heb. cap. 11. texens fidelium veteris Testamenti catalogum, illorum maxime, qui aeternam beatitudinem consecuti creduntur, excluso Adamo initium duxit ab Abel. Salvum itaque Adamum Paulus non credidit. Ad haec autem argumenta ita ex ordine respondetur. Semen mulieris, a quo conterendus erat serpens antiquus, est Christus natus ex Virgine, non autem universa Evae posteritas: imo Vulgata legit, *Ipsa conteret caput tuum*, quae verba ad mulierem referuntur, quatenus Ecclesiae, adversus quam non praevalebunt portae inferorum, figuram, typumque gerabat; atque his prima obiectio dissolvitur. Ad alteram facile occurritur, quoniam antithesis illa inter mortem, & corporum resurrectionem instituitur, demonstratque omnes per Adae praevaricationem morti esse obnoxios, omnesque per Christum resurrecturos, tam electos, quam reprobos: unde falsa est enthimematis consequentia. Ad tertiam dicimus poenitentiam Adae, etsi non legatur in Scripturis expresse, inferri tamen ex Gen. 6. ubi legimus Adamum & Evam apertis oculis, & propria cognita nuditate, rubore perfusos sibi succinctoria fecisse, quae etiam arguunt pudorem, & evigilantem conscientiam; aperte autem inferri ex praelaudato Sapientiae testimonio, ut mittam quae leguntur in Libro *de Poenitentia Adae*, non in apocrypho, de quo in cap. *S. Romana*, Dist. 15. sed in Latine reddito a Vorstio R. Eliezer Cap. 20. & quae de Adami spelunca non tantum a Rabbinis, verum etiam a pluribus Ecclesiae Patribus ennarrantur. Vltima obiectio nullius est momenti, quum scopus Apostoli citato cap. 11. non sit omnium fidelium, vel iustorum censum conscribere, sed eorum solummodo, qui fidei, & religionis causa adversitates perpessi sunt; quorum utique primus est Abel. Ne autem quemquam moveat, quod de Ruperto Abbate superius diximus, nonnulla notanda sunt. Primo enim non desunt qui dubitant, sint ne Commentaria in Genesim genuinum Ruperti Opus, propterea quod in Epistola ad Cunonem Episcopum Ratisbonensem praemissa libris de Divinis Officiis, inseruit Rupertus Catalogum Librorum a se editorum; in quo Catalogo praedicta Commentaria, quamvis antea conscripta, minime continentur. Secundo Rupertus non assertive, si illorum Commentariorum est auctor, sed disputationis gratia urget praemissa obiecta, haec verba subiiciens: *Ne quis tamen temere definiat* (opinionem scilicet, de qua disseruerat) *constet & hoc, ut Ecclesiastica refert Historia, ab Encratitis haereticis inventum esse, quibus Tatianus auctor extitit*. Tertio cum a quibusdam olim dubitatum sit, an liber Sapientiae, in qua salus Adami apertissime traditur, sit Canonica, & Divina Scriptura, non erat fortassis adeo im-

impium haesitare de ipsamet Adami salute, quomodo foret modo, postquam laudatus Sapientiae Liber ab omnibus Ecclesiis Catholicis receptus est ut Canonicus.

XI. Alterum modo Encratitarum assertum de aqua in Calice absque vino consecranda refellam, tametsi id luculenter praestent qui disserunt de sacrosancto Eucharistiae Sacramento, & nos pariter hac de re prolixe dixerimus lib. xxxiii. Th. Discip. cap. 6. Non esse itaque offerendam duntaxat aquam, neque hanc Sacri Mysterii praecipuam esse materiam, probatur ex Christi institutione, nam Coenae accumbens id consecravit, quod Matth. 26, 29. appellat *genimen vitis*; nec non ex ratione Sacrificii, quod dicitur *secundum Ordinem Melchisedech*, ratione rerum oblatarum, ut Fides docet Catholica. Accedunt definitiones Conciliorum: nam Carhaginiense III. celebratum anno 397. ita statuit Canone 24. *Ut in Sacramento Corporis & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit, hoc est, panis, & vinum aqua mixtum*; atque praeter alia Concilia, idem definierunt Florentinum in Instruct. Armenorum, ac Tridentinum Sess. xxii. cap. 7. Insuper adversus Encratitas loquitur S. Epiphanius Haer. 47. ubi ait, *Illorum mysteria, quae aqua solummodo constant, vera mysteria non sunt, sed ficta atque fallacia, verorum ad imaginem expressa: in qua planissima illos Salvatoris sententia redarguit, Non bibam de hoc genimine vitis, &c.* Notissima sunt quae scripsere Iustinus in II. Apologia, Cyprianus in Epist. ad Caecilium, & Augustinus in lib. de Haeres. ad Quodvultdeum *de Aquariis*; haec enim ab omnibus Theologis in Tract. de Sacramentis producuntur, demonstrantque evidenter, dogma Encratitarum Dominicae institutioni, & universae Ecclesiae consuetudini, ac traditioni adversari. Opponebant Encratitae quae habentur Ioannis septimo: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae*; quibus verbis Calicem incruenti Sacrificii designari putabant. Sed respondit Cyprianus in praecit. ad Caecil. Epistola, non Eucharistiam, sed Baptismum designari laudatis in verbis: quamquam videtur nobis esse allegoricam locutionem, ad gratiam adoptionis, & spiritum fidei significandum, tum quia ea gratia aquae symbolo in Vet. Testamento saepe promittitur; tum quia ipse Dominus cap. 4. eamdem gratiam exhibens mulieri Samaritanae, illam appellavit *aquam salientem in vitam aeternam*; tum demum quia Ioannes Evangelista ubicumque allegorice loquitur, ne quis in sinistram interpretationem rapiatur, mira diligentia animadvertit quid tropice ac translate enuntiavit: quod praestitit in verbis, quae obiiciebant Encratitae, eodem cap. vii. vers. 39. immediate subiiciens. *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum*. Depromunt nonnulli pro Encratitis argumentum ex vii. libro

XI. *Alter Encratitarum error dissungitur.*

Geographiae Raphaelis Volaterrani, ubi litteris traditur, Innocentium VIII. ad summi Pontificatus dignitatem evectum an. 1484. Norvergis, qui magna vini laborabant inopia, indulsisse, ut rem divinam in sola aqua paragerent. Sed pluribus momentis ostendimus illam, quae Novergis dicitur facta, dispensationem esse falsam & commentitiam, ut quisque legere potest VII. Theol. Dissertationum Volum. pag. 228. Rom. Edit. Ceterum quantum ad Encratitas, & ad illam, in qua versamur, attinet controversiam, quum iidem Haeretici, aliique omnes Aquarii, in sola aqua conficiendum assererent mysterium Calicis, etsi vini adsit copia; consequens est nullum Encratitis ipsis accessurum praesidium, quo illorum haeresis fulciretur, quamvis dispensatio, quae dicitur facta Norvergis, subsisteret; & quam si aliquis ob Volaterrani testimonium pugnaciter vellet asserere, facillimum nobis foret reponere, spectare quidem ad Sacrificii rationem, ut *in utraque specie*, panis nimirum & vini, perficiatur; sed urgente necessitate, in una tantum posse confici Eucharistiam; atque si huic addatur Calix repletus aqua, non haberi eius haustu communicationem Dominici Sanguinis, nec posse ipsum Calicem sacramentali formula consecrari: idque tantum ab Innocentio III. concessum Norvergis, si admittatur, quod sententia quidem nostra fictitium est, privilegium a Raphaele Volaterrano commemoratum. At adversus Encratitas dictum satis.

XII. *Haeresis Cerdonis, ac Marcionis describitur.*

XII. Nunc de Marcionitis agendum, qui ab haeresiarcha Marcione ita denominantur. Marcion praeceptorem habuit Cerdonem, quem sedente Hyginio Pontifice fuisse Romae, & non semel ab Ecclesiae communione separatum, & rursus poenitentia acta revocatum ad frugem, ac tandem reiectum penitus, refert ex Irenaeo lib. IV. Hist. Eccl. cap. 10. Eusebius. Cerdonem itaque cum audisset Marcion, errores infra recensendos imo pectore hausit, propugnavitque tanta audacia, ut qui a primo parente *Cerdoniani* dicti sunt, *Marcionitae* passim nuncuparentur. Marcion Ponticus fuit, patria Synopensis, & Episcopi filius, nauta ab Eusebio, & nauclerus a Tertulliano vocatus; quod iuvenis navigandi artem didicerit, vel potius in urbe maritima, atque inter naucleros ortus fuerit, atque enutritus. Vitiata virgine, etsi asceticam vitam profitebatur, ab ipso patre eiectus est ab Ecclesia; atque popularium suorum aegre ferens convicia, Romam profectus est: ubi cognita eius ab Ecclesia separatione, nec in communionem receptus, adhaesit Cerdoni. In urbe commoranti, cum a S. Polycarpo Episcopo Smyrnae petisset, num agnosceretur, fertur S. Martyr hoc dedisse responsum, *Agnosco primogenitum Satanae*. Ita Irenaeus lib. III. adv. Haer. cap. 3. Sub Antonino Pio haeresim palam disseminavit, appellatus idcirco a Tertulliano lib. V. cap. 19. *Antonianus haereticus, sub Pio impius*. Poenituisse Marcionem

cionem errorum suorum, sed morte praeventum non fuisse reconciliatum Ecclesiae, narrat in libro de Praescript. cap. 30. ipse Tertullianus. Marcionis autem dogmata haec fuerunt. I. Duo dari rerum omnium principia, unum bonum, alterum malum. II. Principium malum, sive Deum severum & iniquum, Adamo iniustissimo mandato inhibuisse ne tangeret pulcherrimam Paradisi arborem, legesque durissimas Iudaeis tradidisse. III. Quod ex praecedenti sequitur, Deo earum legum auctore longe meliorem fuisse serpentem, qui parentes nostros decepit. IV. Legem, Prophetasque illius mali Dei afflatu vaticinatos, esse omnino repudiandos. V. Christum solum apparentem carnem assumpsisse, neque Abrahamum, Iacobum, aliosque in veteri Testamento commendatos liberasse vinculis inferorum, sed Cainitas, ceterosque turpioribus flagitiis coinquinatos. VI. Divinis aliis libris reiectis, duos tantum habendos esse auctoritatis divinae, idest, Evangelium Lucae, a se mutatis resectisque nonnullis, & Apostolicum ab ipso Marcione consarcinatum ex variis Epistolis Pauli, mutilatis tamen, ac depravatis. VII. Nuptias esse cum Encratitis, tanquam intemperantiam ac stuprum, repudiandas. VIII. Iterari posse Baptismum in gratiam eorum, qui post salutare lavacrum in mortalia crimina semel, iterumque labuntur. Dubitatur a nonnullis, utrum Marcion conferret baptismum verbis Evangelicis, an praescriptam formam violaret; ac sunt qui opinantur, baptismum a Marcione cum debita formula fuisse collatum, tum quia S. Cyprianus in Epistolis ad Pompeium, & ad Iubaianum innuit, baptismum Marcionis approbatum fuisse a Stephano Papa; tum quia S. P. Augustinus lib. III. de Baptismo contra Donatistas ait: *Si Evangelicis verbis, In nomine Patris, &c. Marcion baptismum consecrasset, integrum erat Sacramentum*. Nos arbitramur a Marcione legitimam baptismi formulam non fuisse servatam; quoniam Marcionitas ad Catholicam Ecclesiam redeuntes fuisse semper rebaptizatos testantur apud Balsamonem Timotheus presbyter, & Epist. 105. Theodoretus, qui ait, se ad fidem adduxisse, & iterum baptizasse plusquam decemmillia Marcionitarum. Itaque S. Cyprianus ideo in Stephanum invehitur, quia opinabatur probari a Stephano baptismum collatum in quacumque haeresi, etiamsi praescripta formula violetur; vel potius cum idem Cyprianus esset in errore Rebaptizantium, nitebatur, oppugnare decretum Stephani ea ratione, quod si ratum illud esset, recipiendus foret baptismus Marcionis, Valentini, aliorumque in Deum Patrem blasphemantium: de qua Cypriani ratiocinatione diximus lib. XXXI. Th. Dic. cap III. prop. 5. Augustinus autem, ut constat, loquitur hypothetice, & quod verissimum est, docet validum esse baptisma, sive a Marcione, sive a quocumque haeretico conferatur, dummodo adhibeatur ea formula, *In nomine Patris &c.* Scripserunt

 adver-

adversus Marcionem S. Clemens Alexandrinus lib. III. Strom. Irenaeus lib. IV. cap. 41. & Iustinus Martyr ab ipso Irenaeo laudatus, Tertullianus integris libris quinque, Theodoretus lib. V. Haeret. Fabul. cap. 16. & 17. Epiphanius Haer. 42. Eusebius lib. IV. Hist. Eccl. cap. 10. &c.

XIII. *Quibus momentis Marcionis dogmata refellantur.*

XIII. Inter ea, quae superiori numero commemoravimus, Marcionis asserta, quinque habentur nondum historicis hisce, ac dogmaticis lucubrationibus refutata, nimirum, duo esse suprema rerum universarum principia, Vetus Testamentum abiiciendum esse, damnandas nuptias, Scripturas divinas, quibus Testamentum novum comprehenditur, mutilandas, ac ter iterari posse Sacramentum baptismi: de quibus compendio nobis agendum est, tum quia in Theologicis Dissertationibus singula prolixe discutiuntur, tum quia posteriores haeretici, praesertim Manichaei suo loco oppugnandi, quae fuerunt in Marcione praedamnata, ab Orco revocaverunt. Primum itaque de duobus principiis assertum, cuius causa haeresis Marcionitica dicitur *Duitarum* ab Aurelio Prudentio initio Hamartiginiae, & *Stoica* nuncupatur a Tertulliano lib. I. contra Marcionem cap. 6. propterea quod etiam Stoici duo illa principia statuerunt; illud, inquam, assertum refutatur primo, quia etsi Alexander Nat. Diss. XIV. Saec. 2. scribat ante Christum fuisse Deum Marcionis penitus inauditum, constat tamen ex Plutarcho in Iside & Osiride, fuisse veterum idololatrarum commentum, abiiciendum idcirco una cum Polytheistarum figmentis: deinde quia malum substantia non est, sed creatarum substantiarum, quae necessario mutationi obnoxiae sunt (alias forent & ipsae summa quaeque & sempiterna numina) affectio & proprietas, atque alicuius perfectionis privatio; ideoque malum nullam habet caussam efficientem. Insuper quia principium illud malum aut est, & vivit; aut nec vivit, nec est: si autem neque est, neque vivit, fictitium est prorsus; si vero vivit & est, quomodo summe malum, in quo non mediocra sunt bona, existentia nempe, atque vita? Praeterea duo illa principia invicem contraria vel habent aequalem potestatem, vel unum alteri praestat potentia ac virtute: quorum primum si dixeris, nunquam aliquid produci poterit ab uno principio, contrario altero, ac renitente; ac si unum fingas potentius alio, necessarium omnino erit, ut quod infirmius est, repugnante validiori nil agat, immo deiiciatur, ac pereat. Secundo alterum Marcionis dogma oppugnatur; si quidem Novum Testamentum non semel Veteris testimonia producit, & lex sancta, & mandatum iustum ac bonum dicitur ab Apostolo ad Rom. 7. ideoque Vetus Testamentum habet eamdem ac Novum auctoritatem, & debet utrumque reiici, vel utrumque probari. Ad haec Lex Vetus typis ac mysteris, quibus Christus praesignabatur, plena erat, & redemptionis gratiam praenun-

nuntiabat; nunquam vero Deus malus causa Dei boni legem tulisset, & inspirasset oracula, quamvis quod nuperrime commentitium ostendimus, ipse Deus malus existeret. Vlterius in veteri lege complura esse optima & consentanea rationi, nemo sanae mentis inficiabitur. Enimvero annon sanctum, pium, honestumque est cultum exhibere Numini, superstitionem vitare, idola confringere, obsequium praestare parentibus, servare iusiurandum, a caede, rapina, & furto abstinere? Haec igitur, bona utique & commendanda, auctorem non habent Deum illum, a quo nonnisi improba & contaminata, & in quibus nil boni insit, produci possunt. Tertio nuptias a Marcionitis damnatas, non a veteri tantum lege, quam illi repellunt, sed etiam a nova, & ab ipso Christo laudari compertum est. Matthaei namque cap. 19. matrimonium indissolubile esse, atque a Deo initio Mundi institutum fuisse pronuntiavit, voluitque Ioan. 3. nuptiis adesse, ne quis illas a principe tenebrarum arbitraretur inductas: ac Paulus in 1. ad Corinth. cap. 7. iubet ut uxori vir debitum reddat; testatur, virginem non peccare si nubat; affirmat eos, qui matrimonio virgines suas iungunt, etsi perfectiora non sequantur consilia, bene facere, atque in Epist. ad Hebr. cap. 13. hortatur coniuges, ut sit apud illos *Connubium honorabile, & thorus immaculatus*. Apertum est insuper, nuptias spectare ad naturae conservationem, propagationem, ac perfectionem: & ineptissime proferretur brutorum animantium exemplum, quae absque lege connubii servantur, ac propagantur; quum bruta non egeant institutione morum, atque informatione virtutum, quae duo haberi nequeunt absque vitae contubernio, ac diuturna consuetudine. Adde bona nuptiarum non uno in loco ab Augustino commemorata, prolem, fidem, & Sacramentum: de quibus Theologi in IV. Sent. dist. 26. Porro quod Marcionitae aiebant, matrimonium institutum esse in remedium incontinentiae, neque exerceri posse absque turpitudine, & crimine saltem veniali, solvitur facili ratione a Theologis, qui docent proprie illud fuisse institutum ad procreationem prolis; & carnalem libidinem, quae per peccatum irrepsit, in ipsum matrimonium non redundare, nisi forte ex prava intentione contrahentium: sed potius libidinem illam coniugii repagulis coarctari, quod non est damnabile, sed perutile; nullamque, vel minimam culpam inesse eiusdem connubii actibus, si fiant propter officia vitae, non propter servitutem concupiscentiae. Quarto Scripturarum Canonem ad nonnullos Testamenti Novi libros intollerabili audacia fuisse a Marcionitis coarctatum constat in primis ex quo, ut diximus, expungi nequeant ex albo divinorum librorum legales, atque prophetici: tum ex quo satis appareat causa tantae Marcionitarum audaciae, quod nempe si libros Veteris Testamenti recepissent, nequaquam potuissent asserere auctorem legis ma-

malum, severum, iniquum: si Evangelium Matthaei, & Marci; fuissent coacti ad credendam Christi generationem & nativitatem ex Virgine: si Ioannis Evangelium & Epistolas; adoptare minime potuissent haeresim Ebionis, & Valentini; atque ita de aliis libris ratiocinemur oportet. Fuit enim, & est cuiusvis haeresis proprium, Scripturas illas, quibus confunditur, & revincitur, ex Canone eliminare, & expungere. Praeter haec autem Canon Scripturarum nonnisi traditione Apostolica, & Catholicarum Ecclesiarum consensu firmari potest, ut ostendunt viri eruditi, qui pertractant de Locis Theologicis, & de Polemica Theologia. Quinto denique baptismum iterari non posse praeter plura, quae differentes de Sacramentis produximus adversus Montanistas, Donatistas, aliosque Rebaptizantes, contra Marcionem, qui ter baptismum iterabat eiusdem communionis hominibus in peccata prolapsis, valet plurimum, quod baptismus est mysterium initiativum, Sacramentum regenerationis, spiritualis nativitas, atque aliorum Sacramentorum ianua; ideoque pro iis, qui renati sunt, & spiritaliter regenerati, si rursus peccant, non baptismus, sed aliud remedium, idest, Poenitentia est in promptu; ne attingam modo quae de charactere, atque de baptismate haereticorum a Theologis disputantur.

XIV. *Agitur de Montanistis.*

XIV. Montanistae, quorum nuper meminimus, ad agendum de Montano nos impellunt. Fuit is ex Ardaban Mysiae vico, Phrygiae contermino, unde eius asseclae Phryges & Cataphryges sunt appellati. Adeo Montanus inflatus erat superbiae typho, ut se ipsum diceret Spiritum Paracletum, insanasque mulieres Priscillam & Maximillam a se deceptas iactaret assecutas divini Spiritus munere summum prophetarum apicem, suo, earumque nomine quosdam Propheticos libros conscribens, ut narrat Haer. 48. Epiphanius. Pepuzam Phrygiae vicum in domicilium elegit, eoque, tanquam ad novam Hierosolymam, studiosos salutis convocare curabat: suos ob corrasa vasa argentea, aliaque flagitia affectos supplicio, ut martyres venerabatur, sibique tandem, quod pariter de Maximilla narratur, gulam laqueo confregit, circa annum iuxta Eusebii Chronicon 172. Scribunt quidam, a Montanistis in celebrandis mysteriis infantulum aereis acubus toto corpore fuisse compunctum, eiusque sanguinem adhibitum in sacrificiis. Aiunt, Montanum quasdam induxisse Quadragesimas, ut praenotavimus Diss. Isagogica De Vita Christi num. xxxi. atque ad omnia fere crimina fores Ecclesiae obserando praelusisse Novatianis. At duo fuere, consensu omnium, capitalia Montani dogmata: secundas nuptias pro fornicationibus esse habendas, & nunquam fas esse in persecutionibus fugam arripere. Montanistae, inquit Gravesonius, etiam Ascodrogitae vocitabantur, quia inter orandum digitum, aut paxillum infigebant naribus. Tascodrugitae dicendi potius, a τασκὸς *paxillum*,

&

& δρῦγγος, *nasus*: Ascadrogitae enim erant haeretici, qui inflatum utrem in sacris bacchantes circumferebant, occasione arrepta ex verbis Christi Marci 2. *Vinum novum in utres novos mitti debet*. Mirum, & singulare exemplum, atque viris doctissimis formidandum, Montanistarum nugamentis tandem adhaesisse etiam Tertullianum, de quo agemus in Viris illustribus III. Saeculi.

XV. *Montanistae oppugnantur*.

XV. Illa autem duo, quae Montanistae, Cataphryges, seu Peputiani effutiebant asserta, haud operosum erit refellere. Etenim secundas nuptias post prioris uxoris obitum licite contrahi, ostenditur ex Apostolo scribente ad Rom. 7. *Si mortuus fuerit vir eius, liberata est mulier a lege viri*: in 1. ad Corinth. 7. *Si dormierit vir eius, liberata est; cui vult nubat, tantum in Domino*: atque in 1. ad Timoth. 5. *Volo iuniores viduas nubere, filios procreare*. Idem postea definierunt Concilia, praesertim Nicaenum Can. 4. Romanique Pontifices Vrbanus III. cap. *Super alia*, Innoc. III. cap. *Cum secundum*, *De secundis nuptiis*, seu in IV. Decretal. tit. 21. & Eugenius IV. in Instructione pro Armeniis. Haud secus tradidere PP. Chrysostomus Hom. 19. in 1. Epistolam ad Corinth. Ambrosius in Libro de Viduis, Hieronymus in Epistolis 27. ad Marcellam, & 91. ad Ageruchiam, & Augustinus de Bono Viduitatis cap. 12. Immo idem Tertullianus, antequam ad Montanistas deficeret, idem ex verbis Apostoli demonstraverat libro ad Vxorem cap. 2. Profecto quod obiici solet, secunda coniugia non celebrari cum benedictione Sacerdotali, ut habetur Cap. *Vir autem*, cit. tit. 22. praeferre in Iure civili quamdam infamiae speciem, maxime si mulier nubat ante annum viduitatis transactum, Patresque iis, qui saepius nubunt, aliquod poenitentiae tempus constituisse, nil aliud evincunt, quam iteratas nuptias videri quodammodo signum incontinentiae, ut ostendimus lib. XXXVII. Th. Disc. cap. 11. ubi obiecta istiusmodi operosius dispunximus, & refutavimus. Fas item esse in persecutionibus fugam arripere, demonstratur ex verbis Christi Matth. 10. *Cum autem persequentur vos in Civitate ista, fugite in aliam*; necnon eiusdem Domini exemplo, qui Ioan. 8. dum Iudaei lapidibus ipsum impeterent, *Abscondit se, & exivit de templo*: atque confirmatur ab Athanasio in Apologia de Fuga exemplo Mosis, qui fugit in terram Midian; David, qui latuit in spelunca, ut hostium declinaret insidias; Heliae, qui semetipsum subtraxit Iezabelis indignationi; Pauli, qui Aretae praesidis Damasci per murum demissus elusit satellites; addens utilitates, quae aliquando ex Pastorum fuga derivare possunt in plebem, atque aerumnas, quas patiendo ii, qui fugiunt, ostendunt non formidinis, sed prudentiae causa se aut latere, aut mortem aufugere. Verum haec ita intelligenda sunt, ut nullum adsit fidei, aut salutis fidelium periculum; debent enim, maxime qui praesunt, memoria repetere, quod ait Dominus Ioannis

10. *Bo-*

10. *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis : mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oves propriae, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit* : & quod idem Ioannes scripsit Epist. I. cap. 3. *Quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.*

XVI. *De Apelle Marcionis discipulo, huiusque haeresi.*

XVI. Post Marcionitas, & Montanistas recensuimus num. 1. Apellitas, ita ab Apelle Marcionis auditore, & Lucii Charini Montanistae condiscipulo, denominatos. Vixit itaque Apelles circa annum 190. Imperium regente Commodo; cumque Alexandriae, ubi litteris navavat operam, puellam quamdam Philumenem nomine a Daemone oppressam, miraque responsa tanquam oracula fundentem adamasset, & compressisset; a Marcione, ut recenti scandalo obviaret, eiectus, illius dogmata correxit, instauravitque, appellatus idcirco a Tertulliano *Marcionis de discipulo Emendator*. Dogmatizavit Apelles, Christi Corpus non inane fuisse & apparens, sed aethereae substantiae, id, quod refellitur iisdem momentis, quibus num. VIII. oppugnavimus Phantasiastas. Negavit corporum resurrectionem, abiecit vetus Testamentum, & maxime Prophetarum vaticinia tanquam falsa, & dissonantia; Mundum ab uno malorum Angelorum conditum autumavit; atque debere unumquemque in ea opinione, quam semel imbibit, firmissime permanere affirmavit : quae item omnia, si excipias postremum deliramentum, quod nulla eget refutatione, superius explosa sunt, ac reiecta. Scripsit Apelles Opus inscriptum φανερώσεις pseudoprophetias continens Philumenis, & aliud fere immensum *Syllogismorum*, quo omnia, quae in libris Mosis leguntur, aggressus hostiliter fuit, & tanquam falsa traduxit : huiusque Operis, quod cum praecedenti periit, S. Ambrosius in libro de Paradiso cap. 5. citat (vide quam fuerit prolixum) tomum tricesimum octavum. Adeat qui plura de Apellitis scire desiderat, Tertullianum de Praescriptionibus cap. 30. Epiphanium Haer. 44. Augustinum 23. & Eusebium lib. v. Hist. Eccl. cap. 18. nam ad alia Melchisedeciani, de quibus proximo dicendum est loco, nos trahunt.

XVII. *Haeresis Melchisedeciana, ipsius origo, atque falsitas.*

XVII. Melchisedeciani non ab auctore, sed ab errore potius & dogmate sortiti cognomen, aiebant Melchisedech, de quo Gen. 14. fuisse divinam quamdam virtutem Christo praestantiorem ac subliniorem, in hanc adducti sententiam I. Quia ibidem Melchisedech dicitur *Rex Salem*, idest, pacis, atque iustitiae, quibus ostenditur illum esse coelestium horum donorum auctorem. II. Quia ab Apostolo ad Hebr. cap. 8. de Melchisedech affirmatur fuisse *sine patre, sine matre, & sine genealogia*, & consequenter maiorem Christo, cuius genealogia texitur ab Evangelistis, & agnoscitur Mater. III. Quia ibidem Apostolus de Melchisedecho ait, *De quo nobis grandis sermo, & impenetrabilis ad dicendum*; quae demonstrant Melchisedechi dignitatem maximam, atque ineffabilem. IV. Quia ipse Dominus

nus appellatur ab eodem Apostolo, necnon a David Ps. 109. *Sacerdos secundum ordinem Melchisedech*, ideoque in eo Sacerdotii genere Melchisedech Caput & princeps, Christus inferior atque subiectus est. V. Quoniam Melchisedech benedixit Abramo, quem Scriptura Patrem omnium credentium appellat, quae nominis praeclarissimi dignitas potius Melchisedech deberetur, si communi cum Abraham natura constaret. Haec itaque sunt huius Haereseos fulcimenta, a Theodoro Trapezita, sive argentario conficta. Ipse Theodotus alterius Theodoti Coriarii, qui Christum non Deum, sed purum hominem fuisse asserebat, discipulus fuisse fertur, & una cum quodam Asclepiodoto praenarratam haeresim Melchisedechianam invexit, creato Natali, viro alioquin optimo, & poenitentia percelebri, Sectae Episcopo. Dixi autem Natalem poenitentia percelebrem; nam errorem detegens, indutus sacco, & cinere conspersus, circa proximi Saeculi initia, ad pedes non Zephyrini Romani Pontificis tantum, verum etiam universi Cleri, necnon saecularium hominum provolutus petiit, obtinuitque communionem. Neque ardua est illius haeresis deprehendere absurditatem, quam Sacrae Litterae, Patres, Iudaeorum traditio, & ratio ipsa refellunt: Scriptura, nam Melchisedech Gen. 14. & ad Hebraeos 7. dicitur Rex Salem, urbis nempe Sichimorum, iuxta Scythopolim: Patres, nam S. Hieronymus in Epist. ad Evagrium testatur, Hyppolitum, Irenaeum, Eusebium Caesariensem, & Emissenum, Apollinarium, Eustathium Antiochenum, aliosque a se perlectos asserere Melchisedechum fuisse hominem, & genere Chananaeum: Iudaeorum traditio, siquidem Iosephus lib. VI. de Bello Iud. cap. 10. ait Melchisedechum fuisse *Chananaeorum Dynastam*, quod & Rab. Abenezra, aliique Hebraei unanimi consensu fatentur: Ratio denique, Melchisedech enim Sacerdos erat, ideoque homo ad visibilem Ecclesiam pertinens. Itaque ad ea, quae opponuntur, respondemus, Salem, etsi hoc vocabulo *pax* designatur, fuisse veram urbem Sichimorum, ut liquet ex cap. 13. Gen. versu 18. & Melchisedech quoque, tametsi idem sonat, ac *Rex iustitiae*, esse in Hebraica lingua nomen proprium viri, ut Melchiel Gen. 46. Melchisuah 1. Regum 31. Melchiram 1. Paralip. 3. Abimelech. Gen. 20. unde corruit prior obiectio. Altera diluitur, quoniam Apostolus eodem cap. 7. vers. 6. seipsum explicans inquit, *Cuius generatio non annumeratur in eis;* quibus verbis ostendit, dici Melchisedechum sine parentibus, & sine genealogia, quatenus Scriptura illius genus, ac posteritatem nullibi enarrat. Quod sequitur perspicuum est, si loquamur de Melchisedech, quatenus praefigurabat sempiternum Christi Sacerdotium, de quo ibidem agit Apostolus. Proxima obiectio dirimitur dicendo, Christum appellari Sacerdotem *secundum ordinem Melchisedech*, non participatione Sacerdotii, quod Christus a Melchisedecho susceperit, sed ritu, & similitudine; quae

inter typum & antitypum, inter umbram & corpus intercedit, illud vero, quod praesignatur, esse figuris typisque excellentius. Ad postremam denique respondemus, nihil repugnantiae occurrere si dicamus, Melchisedechum fuisse digniorem Abrahamo, spectato munere Sacerdotis, Abrahamum vero digniorem Melchisedech attento familiae principatu, & generatione credentium, quorum est Pater: atque de Melchisedechianis haec tantum.

XVIII. *De tribus aliis secundi Saeculi Haereticis.*

XVIII. Reliquum est, ut de Theodoto Coriario, Artemone, & Hermogene agamus, quos num. 1. inter Haereticos secundi Saeculi ultimo loco enumeravimus. Theodotus arte Coriarius, sed litteris eruditus, fuit patria Byzantinus, atque in persecutione Severi Christum negavit. Profectus deinde Romam, apostasiae, & turpissimae defectionis a fide accusatus, excommunicatus est a Victore Papa circa annum 294. Dicitur Theodotus ab Eusebio lib. v. Hist. Eccl. cap. 28. parens & dux eorum, qui Deum abnegarunt, asseruitque impudentissime, Christum esse ψιλὸν ἄνθρωπον, *nudum hominem*, iis, qui eum arguebant, respondens, se hominem negasse, non Deum. Legite Theodoretum lib. II. Haeret. Fab. cap. 5. & Epiphanium Haer. 54. Theodoti haeresim Saec. I. in Cerintho, & Ebione praefocavimus. In Theodoti Excerptis apud Fabricium lib. v. Bibl. Graecae habetur, Theodotum postea affirmasse, Christum fuisse ante Mundum a Patre creatum, ut ab ipso deinceps Mundus produceretur; quae fuit haeresis Arianorum in Historia IV. Saeculi profliganda. De Artemone nihil aliud refertur, nisi & ipsum docuisse Christum merum esse hominem. Artemonis autem discipuli apud Eusebium lib. v. Hist. Eccl. cap. 28. aiebant, praedicationem veritatis servatam fuisse usque ad aetatem Victoris, sed a Zephyrino illius successore fuisse corruptam & adulteratam. Cur autem de Zephyrino inique nonnulli senserint, dicam Diss. I. proximi Saeculi. Hermogenes demum, instituto pictor, docuit materiam fuisse Deo coaeternam, & ex hac, non ex nihilo, Mundum fuisse conditum. De Hermogenis moribus Tertullianus lib. adv. eumdem Haeresiarcham cap. 1. ait: *Pingit illicite, nubit assidue, legem Dei in libidinem defendit, in artem contemnit, bis falsarius & cauterio, & stilo, totus adulter & praedicationis, & carnis; ab Ecclesia ad porticum, a Christianis ad Stoicos transit.* In confutando Hermogenis dogmate, quod idem est fere cum Epicureorum de inproductis, & incorruptibilibus athomis opinione, tempus non teram. Adeat qui Hermogenis errorem penitus refutatum adinvenire desiderat, Tertullianum libro nuperrime laudato, Theodoretum in 1. Haeret. Fab. cap. 29. Lactantium lib. II. Divin. Instit. Eusebium lib. VII. de Praep. Evang. & Augustinum in 1. de Genesi contra Manichaeos. Haec de secundi Christiani Saeculi Haeresibus.

DIS-

DISSERTATIO IV.

DE SCRIPTORIBUS
QUI SECUNDO ECCLESIAE SAECULO FLORUERUNT.

I. QUEMADMODUM ad perdendam Religionem Christianam, & Fidem labefactandam prodierunt secundo Christiano Saeculo Haereses illae complures, quas praecedenti Dissertatione descripsimus, & refutavimus; ita permulti Ecclesiastici Viri sapientia, eruditione, scriptorumque ad arguenda mendacia, Fidemque Orthodoxam vindicandam, illustrandamque editorum, multitudine clari & eximii extiterunt, atque plus hi Ecclesiae Christi attulerunt utilitatis & gloriae, quam Haeretici omnes dedecoris ac detrimenti. Inter viros illos clarissimos non absque laudis praeconio commemorandi veniunt gloriosissimi Martyres Ignatius, Polycarpus, Iustinus, & Irenaeus: tum viri pietate ac doctrina conspicui, Melito Asianus, Dionysius Corinthiorum Episcopus, Serapion Antiochenus, & Clemens Alexandrinus: rursus qui pro Christiana Religione adversus Ethnicos Opera Apologetica conscripsere, Aristides, Tatianus, Athenagoras, Theophylus Antiochenus, & Apollinaris Hierapolitanus; necnon alii vario eruditionis genere illustres, Papias, Quadratus, Hegesippus, Hermias, Agrippa Castor, Pantaenus: de quibus hoc potius ordine, quam habita aetatis ratione agere constituimus, quoniam de aliquibus accuratius, de aliis mediocri studio, de ceteris brevissima enarratione pertractandum esse videtur.

I. Recensentur Ecclesiastici Scriptores, de quibus agendum est.

II. S. Ignatius, quem nonnulli recentiores levissimis conjecturis innixi in Urbe Sardiniae Nora ortum putant, Antiochenus fuit, & post Evodium imponente sibi manus Petro Apostolorum principe Antiochenam rexit Ecclesiam. Θεόφορος etiam appellabatur, ex quo nomine Nicephorus, ac Metaphrastes collegerunt, Ignatium fuisse illum puerum, quem Christus, ut Evangelica narrat Historia, statuit in medio Discipulorum; quod tamen alii merum putant figmentum, quoniam Chrysostomus Orat. in eumdem Ignatium ait quidem vixisse illum cum Apostolis, ab iisque coelestem hausisse doctrinam, sed visum ab eo

II. De S. Ignatio Martyre, eiusque genuinis, spuriisque scriptis.

Dominum non affirmat. Negans est tamen ratio petita ex Chrysostomo, productamque Theophori etymologiam, causamque impositi huius nominis stabiliunt alii ex Anthologiis, Menaeisque Graecorum, ex Ritualibus, & ex Traditione vetusta, de qua in Scholiis ad VIII. Synodum Anastasius Romanae Ecclesiae Bibliothecarius. Rexit Ignatius Ecclesiam Antiochenam plusquam annis 40. atque a Traiano, qui Parthis bellum illaturus venit Antiochiam, damnatus fuit ad bestias, & missus Romam, ubi in Amphiteatro obiit a leonibus discerptus & comminutus XIII. Kal. Ianuarias. De anno Martyrii S. Ignatii discrepant viri eruditi; ad annum Christi 107. Traiani 10. illud referunt Acta Ignatiana, quae ut genuina in lucem edidit Ruinartius; ad annum proximum Eusebius in Chronico, Petavius lib. XIII. de Doctr. Temp. & alii communiter; ad annum Chr. 116. Traiani 19. Pagius, Norisius, omnesque recentiores. Praedicto igitur anno 116. die 21. Decembris, quo die Graeci celebrant Ignatii festum, gloriosus Martyr occubuit. Collegit post Ignatii obitum illius Epistolas S. Polycarpus eius discipulus, atque de iisdem Epistolis diu viri eruditi disceptarunt, posteaquam prodierunt in lucem. Nam scripsisse Ignatium quasdam Epistolas satis constat veterum omnium, & recentiorum consensu; sed illarum, quae modo extant, in dubium auctoritas revocatur. Reiiciunt illas post Calvinum & Centuriatores Magdeburgenses, Claudius Salmasius, Ioannes Dallaeus, David Blondellus, Casimirus Oudinus: propugnant vero Catholici omnes, inter quos de iisdem Epistolis prolixe agunt Dupinius in Nova Bibliotheca, & Natalis Alexander in Dissertationibus I. Saeculi, atque Nicolaus Noury in Apparatu ad Biblioth. PP. Dissert. VII. p. 3. Usserius, Vossius, Caveus, Clericus, Bullus, aliique, de quibus consulendae sunt Vindiciae Ignatianae in altero Volumine PP. Apostolicorum Ioannis Baptistae Cotelerii. Communior itaque, & verissima sententia est, inter Ignatianas Epistolas septem esse genuinas, videlicet, *Ad Ephesios, ad Magnesianos, ad Trallianos, ad Romanos, ad Philadelphenos, ad Smyrnaeos, & ad Polycarpum*. Hanc postremam duntaxat Epistolam spuriam existimavit Iacobus Usserius, cuius tamen coniecturas exsufflavit in praelaudatis Vindiciis Ignatianis p. I. cap. 6. Ioannes Pearsonius. Disputavimus de iisdem Epistolis lib. VIII. Th. Discipl. cap. I. Nunc easdem Epistolas fuisse ab Ignatio conscriptas, breviter Eusebii, & Hieronymi testimonio demonstramus. Eusebius itaque lib. III. Hist. Eccl. cap. 15. ita de Ignatio loquitur: „ Qui ut Smyrnam venit, ubi erat Polycarpus, unam Epistolam ad Ecclesiam Ephesinam scribit, in qua Onesimi, qui ibidem Pastor fuit, mentionem facit. Aliam autem Ecclesiae, quae erat Magnesiae, quae supra Meandrum sita est, misit; in qua rursus Damam Episcopum in memoriam redigit.

Eccle-

Ecclesiae item Trallianae aliam, in qua Polybium, qui ibi tum praefuit, inserit. Ecclesiae item Romanae dedit litteras, in quibus illos impense hortatus est, ne martyrium illius deprecando, ipsum optata, quam animo habebat, spe ullo modo privarent. „ Et cap. 36. „ Iam vero Smyrna longius aliquanto profectus, ex Troade scribens non solum cum iis, qui erant Philadelphiae, sed etiam cum Ecclesia Smyrnensi, & speciatim cum Polycarpo, qui illi Ecclesiae praefuit, familiariter per litteras collocutus est, &c. „ Hieronymus pariter in Catalogo Script. Eccl. ait: „ Cumque (Ignatius) navigans Smyrnam venisset, ubi Polycarpus auditor Ioannis Episcopus erat, scripsit unam Epistolam ad Ephesios, alteram ad Magnesianos, tertiam ad Trallianos, quartam ad Romanos: & inde progrediens scripsit ad Philadelphenos, & ad Smyrnaeos, & proprie ad Polycarpum, commendans illi Antiochensem Ecclesiam „. De his itaque septem Ignatianis Epistolis haesitare non possumus. Octo aliae Epistolae consensu omnium spuriae sunt, & Ignatio suppositae, idest, prima, & secunda ad Tarsenses, tertia ad Antiochenos, quarta ad Philippenses, quinta ad Heronem, sexta ad beatam Virginem Mariam, septima & octava ad Ioannem Apostolum. Quidam aiunt conscriptum ab Ignatio Opus, cui titulus, Διδαχη, seu Διδασκαλία, quo comprehenderentur Traditiones Apostolicae, seu dogmata oretenus ab Apostolis tradita; idemque Opus esse illud, quod postea distributum fuit in octo libros Constitutionum Apostolicarum: id vero nullo certo testimonio affirmatur. De Constitutionibus Apostolicis egimus in Hist. I. Saeculi Differt. IV. num. III.

III. *Agitur de S. Polycarpo, Aliisque Ecclesiae Smyrnensis.*

III. Polycarpus Ioannis discipulus fuit, patria Smyrnensis, eiusdemqe patriae Episcopus ab ipso Ioanne Apostolo & Evangelista ordinatus: ita Eusebius lib. III. cap. 3. ac S. Hieronymus de Script. Eccl. adeo, ut aperte nugetur P. Haloixius, qui Buculae Smyrnaei Episcopi Polycarpum auditorem facit, ab eoque constitutum ait fuimet in Episcopatu successorem. Quae ex Actis suppositiciis cuiusdam Pionii intrusis in recentiora Graecorum Menologia Viri clarissimi conficta esse demonstrant. Subiit Polycarpus martyrium ad rogum, de quo antea visionem habuerat, anno aetatis suae 86. ex praecitato Eusebio lib. IV. cap. 15. De anno Passionis eius Scriptores minime conveniunt. Henricus Valesius in Notis ad praecit. cap. 15. & Dupinius in Nova Bibl. passum Polycarpum censent anno 7. M. Aurelii Imperatoris, idest, anno Christi 167. idque Valesius ostendere nititur ex Chronico Eusebiano, atque ex Orationibus Aristidis Polycarpo coaevi. In annum superiorem 166. reiicit Polycarpi martyrium Theodoricus Ruinartius in Actis Sinceri Mart. pag. 26. in annum 169. Iac. Usserius, Antonius Pagius, & Ioannes Clericus; ad annum vero 147. Pearsonius & Fabricius. Legendus Bollandus ad

diem

diem 26. Ianuarii, qua Romana Ecclesia S. Martyris memoriam celebrat, etsi Graeci illius festum agunt die 23. Fabruarii. Acta illius Martyris ab Ecclesia ipsa Smyrnensi in Epistola ad Ecclesiam Philomelii parvae in Phrygia, sive in Asia minore urbis, & ad alias Ecclesias omnes fuerunt transmissa: eiusque Epistolae fragmenta ab Eusebio inserta fuerunt praecit. lib. IV. Eccl. Hist. cap. 15. eamque integram, & ex vetustis Codicibus erutam, Graece & Latine ediderunt in lucem Vsserius & Cotelerius. Habetur in eadem Epistola, Polycarpum audita defectione a fide Cointi cuiusdam Phrygii latebras primum petiisse, ubi triduo, antequam comprehenderetur, strato cubans vidit capitis sui cervical flamma ambiente circumdari, ex quo intellexit se quamprimum esse ignibus concremandum. Delatus deinde a domesticis proditoribus occurrit hostibus, eisdem iussit mensam apponi; atque in arenam tandem descendens, & confortatus ea voce e coelis emissa, *Polycarpe, habeto virtutem*, Polycarpus cingulum solvit, deposuit vestem, & convolavit ad flammam, velatoque eius corpore curvo quodam arcu divinitus apparente, inde spiritus in columbae specie processit VII. Kal. Maias, die Sabbati, hora octava. Atque haec a Caio nomine Ecclesiae Smyrnensis fuerunt litteris tradita. Accepimus ulterius ab Irenaeo, & Eusebio S. Polycarpi responsum datum Marcioni haeresiarchae, de quo supra num. XII. exemplo S. Ioannis praeceptoris sui, qui adeo haereses aversabatur, ut aufugeret e balneo, ubi se lavabat Cerinthus, ob timorem, ne praesente haeretico balnei fornix concideret, tellusque dehisceret, ut praenotavimus in Hist. I. Saeculi Diss. III. num. 6. Romae Polycarpum fuisse sub Aniceto, & cum eodem Pontifice de controversia Paschatis disceptasse, sed nihil tunc definitum fuisse, praemonuimus superiori Dissert. I. num. 10. & 13. Anicetus vero tanto honore Polycarpum prosecutus est, ut ei in Ecclesia consecrandi munus se praesente concesserit, ut idem Irenaeus testatur apud Eusebium lib. V. cap. 24. scilicet, Polycarpus etiam Romae, coram Pontifice maximo, atque in publico fidelium conventu munera obierit Pontificalia. Sed quaenam fuere Polycarpi scripta? Plures ab illo exaratae fuerunt Epistolae, quarum una nunc extat ad Philippenses. Spuriam existimarunt post Centuriatores, Dallaeus, & Albertinus, atque interpolatam Tentzelius; sed istos levissimis coniecturis inniti aperte demonstrarunt Dupinius, Caveus, Ittigius. Nos contenti erimus testimonio Irenaei, Hieronymi, & Photii. Irenaei lib. III. cap. 3. haec sunt verba: *Extat etiam Epistola Polycarpi ad Philippenses locupletissima, ex qua quicumque salutis suae curam gerunt, poterunt, si volent, & formam Fidei illius, & praedicationem veritatis cognoscere.* Exscripsit haec Eusebius Hist. Eccl. lib. IV. cap. 14. Hieronymus de Script. Eccl. num. 17. ait: *Scripsit ad Philippenses valde utilem Epi-*

Epistolam, quae usque hodie in Asiae conventu legitur: Photius vero Cod. 126. *Lecta est Polycarpi Epistola ad Philippenses, multis referta admonitionibus cum simplicitate, & perspicuitate, Ecclesiastici more Interpretis.* Supposita Polycarpo dicuntur Commentaria in Evangelia, quorum habentur quaedam loca in Catena Victoris Capuani apud Feuardentium, Tractatus de Ioannis Vnione, & Epistola ad Dionysium Areopagitam apud Suidam V. Πολύκαρπος.

IV. *De rebus gestis, scriptis, ac doctrina S. Iustini Martyris.*

IV. Iustinus Prisci filius, omnium philosophorum lectione eruditus, Platonicae tamen sectae praesertim addictus, patriam habuit Sichem Samariae urbem, quam postea Flaviam Neapolim, deinde Napelusium dixere. Romae commorans ab ignoto divinoque sene edoctus sublimiorem philosophiam, Christianam scilicet religionem amplexus est, eamque sub Philosophorum pallio docere coepit circa annum 130. Grassante autem adversus Christianos Persecutione, praeclaram pro illis edidit Apologiam ad Antoninum Pium, Romanumque Senatum, impetravitque pro iisdem Christianis Edictum, ipsomet Antonino III. & M. Aurelio Caes. Coss. anno scilicet Iuliano 185. & Vulg. Aer. 140. Profectus deinde Iustinus in Asiam, celeberrimum cum Tryphone Iudaeo Dialogum habuit; iterumque Romam reversus alteram conscripsit Apologiam: sed Crescentem quemdam Philosophum Cynicum gulae, & luxuriae deditum coarguens, ab illo accusatus apud M. Aurelium Imperatorem gladio percussus interiit. Consignatur S. Iustini martyrium a Cl. Petavio, aliisque anno 3. eiusdem Marci Aurelii, idest, anno Christi 163. Verum contigit anno M. Aur. 5. & Chistianae Aerae 165. ut constat ex Nota Consulum in Actis eiusdem Martyrii, & in Chronico Paschali apud Antonium Pagium ad Annum 163. num. 3. Nunc vero genuina Iustini Opera recensenda, & a suppositis secernenda sunt. Genuina Opera Iustini sunt *Parenaesis*, sive *Oratio Parenaetica ad Graecos*, quam sub *Elenchi* nomine laudant Eusebius, Hieronymus, & Damascenus: *Oratio* altera *ad Graecos*, cuius nunc pauca extant fragmenta: Duplex pro Christianis *Apologia*, prima Antonino Pio, eiusque filiis, & Romano Senatui nuncupata; altera Senatui Romano tantum inscripta, oblata autem M. Aurelio & L. Vero successoribus Antonini an. 164. paullo ante martyrium: Liber de Monarchia, laudatus etiam ab Eusebio lib. IV. Hist. Eccl. cap. 18. sed nunc priori parte mutilatus: *Dialogus cum Tryphone*, quem Iudaei Tarphonem dicunt, ac *Cohen Hgnascir*, *Sacerdotem divitem*; ac fertur ob rebellionem excitatam a Barcocheba ex Iudaea in Graeciam se contulisse: Epistola *ad Diognetum*, & altera *ad Zenam*, *&* *Serenum*, de qua tamen postrema dubitat Bellarminus, suppositamque putant Dupinius, & Natalis Alexander, viris tamen aliis doctissimis oppositum sentientibus. Photius inter genuina Iustini Opera recenset inscriptum, *Dubitationum contra Religionem summariae resolutiones*. Abiudican-

tur

tur communiori Eruditorum sententia Iustino hi libri. I. *Aristotelicorum quorumdam dogmatum eversio*, tametsi genuinum putant Perionius, Grabius, & Caveus. II. *Quaestiones, & Responsiones ad Graecos*. III. *Quaestiones de Incorporeo, de Deo, & de Resurrectione Mortuorum*. IV. *Quaestionum 146. responsiones ad Orthodoxos*. V. *De Providentia, & Fide* adversus Euphrasium Sophistam. VI. *Expositio Fidei*, a Leontio, & Euthymio citata. Horum Operum suppositionem redarguit stili discrepantia, & a Iustini Saeculo abhorrens varietas, inepta argumentorum, rerumque complexio, Arianae, Nestorianae, & aliarum posteriorum haeresum refutatio, aliaeque spurorum fetuum notae, de quibus plura praecitati Dupinius, & Alexander. Quantum denique ad Iustini doctrinam attinet, in eo complures reprehendunt, quod adhaeserit Millenariis, ac statuerit ex Versione LXX. Angelorum cum mulieribus contubernium; docuerit etiam, Socratem, aliosque Gentiles philosophos Christum saltem ex parte novisse. At de his erroribus, cum aliis communes fuerint, nondum veritate definita & discussa, non est, cur admodum miremur. Gravius est, quod ei Sandius, & Episcopius impingunt, negasse praecipuum Christianae Religionis dogma, aeterni nempe Verbi divinitatem. Abierunt in eam sententiam primo, quia Iustinus in Dialogo cum Tryphone ait, negandum non esse Christum Messiam advenisse, etiamsi non constaret esse illum universarum creaturarum conditorem: deinde quia in qq. & resp. ad Graecos ait, *fuisse aliquando, cum non fuerit id, quod genitum est*, nimirum aeternum Verbum: postremo quia Iustinus in Dialogo cum Tryphone superius laudato, quemadmodum fatetur, demonstratque Tom. 2. Theol. Dogm. Cl. Dionysius Petavius, non semel appellat Filium, inferiorem Patre, Dei administrum, ac Potestatem secundo loco post Parentem ipsum habendam. Nihilo tamen minus firmissime asserendum est, S. Martyrem Iustinum aperte tradidisse aeterni Verbi divinitatem. Principio enim tribuit eidem Verbo sempiternam cum Patre existentiam, scribens in 2. Apologia, *Porro filius eius, qui solus proprie dicitur filius, Verbum simul cum illo ante creaturas existens, & nascens*. Deinde in Dialogo cum Tryphone ait, Verbum a Patre genitum esse ante omnes creaturas ex propria indivisa substantia, non per eiusdem substantiae separationem, & excisionem; *Primitus*, inquit, *Deus ante creaturas omnes genuit ex se Virtutem rationalem, & non per resectionem, tanquam dispartita esset Patris substantia*. Atque in altera Apologia demonstrat Christi fideles expertes esse plurium Deorum, quos adorant simulacrorum, daemonumque cultores, propterea quod unum tantum venerantur Numen in tribus personis existens: *Fatemur*, inquit, *nos talium Deorum esse expertes, & atheos; Patrem enim, & eum, qui ab illo venit, atque nos ista, & aliorum famulantium, bonorumque Angelorum*

lorum exercitum docuit, Filium, & Spiritum Sanctum colimus, & adoramus. Iustinus itaque affirmans Dei Verbum sempiternum esse, genitum a Patre absque scissione substantiae, idem cum eodem Patre, & Spiritu Sancto Numen, eodemque cultu adorandum, apertissime profitetur ipsius Verbi divinitatem. Ad contraria itaque momenta respondendum est, Iustinum in Dialogo cum Tryphone agere de Adventu Messiae, quem Iudaei adhuc expectant, sed futurum Deum non credunt, ideoque S. Martyr concessionis figura utitur, demonstratque non proinde negari posse praenuntiatum Messiam iam advenisse, eumque esse Christum, quamvis huius divinitas non esset satis evidens & explorata. Quod secundo loco obiicitur, depromptum est ex libro omnium consensione suppositicio, atque spurio, & ideo Sandium spreta conscientia inanem illam oppositionem obtrudere. Tertium vero diluitur cum sempiternam divinarum Personarum originem, tum humanam naturam a Verbo assumptam considerando, ut fusiori stilo explicavimus differentes de SS. Trinitatis Mysterio.

V.
S. Irenaei aetas innuitur, martyrium vindicatur, & scripta recensentur.

V. Dicendum nunc de Irenaeo Lugdunensium Episcopo, ac Martyre, de quo praeter Historicos plura Richardus Simon, Feuardentius, & Massuetus, necnon Bullus, Fabricius, Caveus, Dodwellus, & Grabius. Idem Irenaeus, Asianus genere, institutorem habuit S. Polycarpum, cum quo Romam venit, deinde Lugdunum profectus eiusdem Vrbis post Pothinum obtinuit Episcopatum circa annum 178. atque in Persecutione Severi martyr occubuit anno 202. Eius Chronologiam proprio marte immutavit Dodwellus, negavitque martyrium, qua in re habuit assertorem sententiae suae Wilelmum Caveum in Saeculo Gnosticorum. Sed circa Irenaei aetatem, manifestum est ex dictis in Diss. I. num. 14. fuisse illum Lugdunensium Antistitem sedente in Petri Cathedra Victore; annus vero martyrii communi fere consensu firmatus est, cum destituti simus certis & apertissimis munimentis. At Irenaeum ut martyrem iure optimo veneramur: martyrem enim appellat S. Hieronymus in cap. 64. Isaiae; martyrem vocat Auctor Quaestionum & Responsionum ad Orthodoxos inter Opera Iustini quaest. 115. martyrem dicit Gregorius Turonensis lib. 1. Hist. num. 29. & lib. 1. de Gloria Martyrum cap. 50. martyrem denique fuisse demonstrant cum Romano Martyrologio prorsus omnia ad diem 28. Iunii, & Menologia Graecorum ad diem 23. Augusti, necnon Historici Sacri cum Baronio ad Annum 205. num. 28. Theodoricus Ruinart pag. 64. ait, a se in Archicoenobio Cistercienfium inventa fuisse S. Irenaei Martyris Acta, sed haec talia non esse, quae inter genuina & sincera locum habere debeant. Inter Irenaei Opera extant quinque libri adversus haereses, sive, de Refutatione, & Eversione falsae Doctrinae, Graece, non

ut olim visum Erasmo, Latine ab Auctore conscripti, quamquam extet ipsorum librorum Latina Versio, barbara admodum ac salebrosa, edita ante Augustini tempora, atque si cum Henrico Dodwello divinare fas est, Saeculo IV. vertente. Perierunt autem Irenaei Sermo de Disciplina adv. Gentes, laudatus a Hieronymo de Script. Eccl. cap. 35. Demonstratio Apostolicae Praedicationis ad Martianum fratrem, Liber variarum disputationum, Commentarius de Ogdoade, idest, de Octonario Aeonum numero ad Florinum, de quo Eusebius lib. v. cap. 20. Epistola ad eumdem Florinum de Monarchia, cuius fragmentum profert eodem loco Eusebius, Epistola ad Blastum de Schismate, Commentarii in Apocalypsim, & Epistola Synodica ad Victorem, cuius haud exiguam partem recenset Eusebius cit. lib. v. cap. 24. Quamquam autem de Irenaeo scribit Photius Cod. 120. interdum ab illo adhiberi spurias fucatasque rationes, nec desunt, qui notant aliquos doctrinae eius naevos, maxime quod lib. II. adv. Haer. cap. 39. aut deceptus loco Ioannis 8. 57. aut fervore disputandi adversus Gnosticos, qui autumabant Christum terris excessisse anno 31. scribit ipsum Dominum anno 50. evangelizandi munus coepisse, adstruatque insuper regnum Chiliastarum, corporeamque substantiam in Angelis; perspicue tamen Trinitatem divinarum Personarum, Verbi cum Patre aequalitatem, animorum immortalem naturam, & Apostolicarum traditionum necessitatem propugnat, addita haereseon omnium, quae aetate sua eruperant, uberrima locupletissimaque Refutatione.

VI. *De Melitone, Dionysio, ac Serapione.*

VI. Melito Sardicensis in Asia Episcopus floruit sub M. Antonino Imperatore, nam anno 170. persecutione grassante eidem Imperatori Apologeticum Opus inscripsit; decesserat vero Melito dum inter Victorem & Asianos exorta fuit controversia de Paschate circa annum 194. nam Polycrates Ephesinus in suis ad Victorem litteris meminit Melitonis tanquam vita functi. Heac perspicua erunt legentibus Eusebium lib. v. Hist. Eccl. cap. 24. & Hieronymum de Script. Eccl. num. 34. Melitonis Scripta perierunt, nonnullis tantum fragmentis exceptis. Edidit autem Melito *Apologeticum*, de quo supra, & de quo idem Eusebius lib. iv. cap. 26. Item libros duos *de Paschate*, unum *de Recta vivendi ratione*, *de Ecclesia*, *de die Dominico*, *de obedientia sensuum Fidei praestanda*, *de Anima*, *Corpore*, *&* *Mente*, *de Veritate*, *de Prophetia*, *de Hospitalitate*, *de Apocalypsi Ioannis*, aliaque Opuscula. Haec inter celebris est inscriptum περὶ ἐνσωμάτου Θεόυ, quem titulum Rufinus vertit, *de Deo corpore induto*, Tertullianus, *de Deo Corporato*, Valesius, *de Incarnatione*. Istinc orta est falsa de Melitone suspicio, quod existimaverit Deum corporeum. Memorat Eusebius inter Melitonis scripta cit. cap. 26. sex libros *Excerptorum Veteris Testamenti*, quod multum commodi affert vindicantibus Sacrarum Scripturarum Cano-

Canonem. Spurius est omnium consensu Liber *da Transitu Beatae Virginis* Melitoni attributus. Sequitur, ut dicamus de S. Dionysio Corinthiorum Episcopo, qui iuxta Cedrenum martyrio coronatus est imperante M. Aurelio, circa annum 178. percussus gladio die 29. Novembris, si fides Graecorum Menaeis sit habenda. Scripsit Dionysius plures Epistolas laudatas ab Eusebio lib. IV. cap. 23. & a Hieronymo de Script. Eccl. 37. scilicet, *Ad Lacedemonios*, *ad Athenienses*, *Ad Nicomedienses*, *Ad Amastrianos*, *Ad Gnossianos*, *Ad Soterem Romanum Episcopum*, atque ad *Chrysophoram* sororem suam. Dionysii Epistolae, quae tamen desiderantur, ipso adhuc vivente, fuerunt ab Haereticis depravatae, de qua fraude idem Dionysius conqueritur apud Eusebium citato in loco. Meretur Dionysio adnumerari invictus Montanistarum insectator, ac Praesul magni nominis Serapion, qui imperante Commodo, idest, circa annum Ch. 190. Antiochenam Ecclesiam regebat. Laudantur Serapionis ab Eusebio lib. V. cap. 19. *Epistola adversus Montani haeresim*, *Epistola ad Domninum*, qui a Christiana religione transierat ad superstitionem Iudaicam, necnon liber *de Pseudo-Evangelio Petri*, confićto ab haereticis. De Serapione Hieronymus num. 41. *Leguntur & sparsim eius breves Epistolae, autoris sui studio & vitae congruentes.*

VII. *Agitur de S. Clemente Alexandrino, & de Operibus eius extantibus, ac deperditis.*

VII. Titus Flavius Clemens, patria Atheniensis, ut nonnulli coniiciunt ex Epiphanio in Haeresi 32. Secundinianorum, & Alexandrinus post Pantaenum Episcopus, e secta Stoicorum, Neophytorum Catechistes, & Alexandrinae Scholae olim praefectus, floruit Saeculo secundo exeunte, sub Imperio Severi. Auctorum omnium, qui adversus Gentes ex illarum doctrina pugnarunt, Clemens longe praeclarissimus dicitur, & *Christianae antiquitatis Varro* a plurimis appellatur. De illo Hieronymus de Script. Eccl. ait: *Feruntur eius insignia Volumina, plenaque eruditionis & eloquentiae, tam de Scripturis divinis, quam de saecularis litteraturae instrumento:* pluraque de illo scripserunt praeter eos omnes, qui Historiam litterariam ediderunt, Barthius, Heinsius, Sylburgius, Pope-Blun, Fabricius, Richardus Simon, & alii. Clementis Alexandrini Opera quaedam simul edita omnium eruditorum teruntur manibus, quaedam vero desiderantur. Primi generis sunt, *Protrepticon ad Gentes*, sive, *Exhortatio ad Christianam Religionem amplectendam*, ubi plura habentur adversus idololatriam, profanaque Gentium Numina: *Libri tres Pedagogi*, quibus morum ac virtutum Institutio complectitur: *Stromateon Libri octo*, scripti, ut legitur lib. I. post mortem Commodi, qui occisus fuit die ultima anni 192. Vocantur autem hi libri *Stromata*, eo quod plura, variisque ex locis collecta comprehendant: unde lib. IV. idem Clemens ait, *Libri isti varietatibus pleni sunt, ut eo, quo in-*

inscripti sunt, nomine patet; στρῶμα enim, idem, ac *Stragulum*, vel *Storea* significat. Extat quoque Oratio Clementis *ad Christianos divites* in Auctario Combefisii, eiusdemque orationis fragmentum productum fuerat ab Eusebio lib. III. Hist. Eccl. cap. 23. Et haec quidem sunt Clementis Opera genuina: in quibus licet naevi quidam occurrant, praesertim historici, & chronologici; habetur tamen ubique, ut inquit Photius Cod. 110. *dictio floridior, ad attemperatam quamdam gravitatem non sine iucunditate assurgens;* plenaque & perfecta, quemadmodum lib. VI. cap. 13. addit Eusebius, *rerum sacrarum cognitio, & uberrima promiscuae eruditionis materia*. Perierunt vero, ac desiderantur Clementis Alexandrini octo Hypotyposeon, sex Institutionum libri, de quibus Photius Cod. 109. *Fragmenta Theodotiana*, quae laudat lib. V. Bibliothecae Graecae Fabricius, & in quibus Theodoti Coriarii refutabantur errores; Liber *de continentia, & de turpitudine Actionum*, quorum librorum idem Clemens meminit in 2. Paedagogi; *de uno Deo* utriusque Testamenti, & *de Anima* adversus Marcionitas, *& de Prophetia, ac de Resurrectione contra Montanistas*, quorum meminit in Stromatibus; varii demum in sacras litteras Commentarii, de quibus Cassiodorus de Institut. divin. Script. cap. 8. Quoniam vero in libris *Hypotyposeon* contineri *fabulosos sermones, & blasphemiarum portenta* affirmat Photius, duo animadvertenda sunt; primum, hos libros cum aliis compluribus ab Arianis fuisse corruptos, ut in Apologia pro Origene testatur Rufinus; alterum, sententiam esse Dupinii, Cavei, aliorumque, eosdem libros fuisse a Clemente elucubratos antequam imbueretur doctrina Evangelica, cum Platonis dogmata nondum abiecisset.

VIII.
De illustribus Christianae Religionis Apologistis.

VIII. Edidere secundo vertente Saeculo pro Religione Christiana, ut num. 1. huius Dissert. praemonuimus, illustres Apologias, Aristides, Tatianus, Athenagoras, Theophilus, atque Apollinaris, praeter Iustinum Martyrem, de quo egimus supra num. IV. Ac de Tatiano quidem, cum a fide desciverit, & auctor fuerit Encratitarum, recolenda quae diximus in Diss. III. num. 9. De Aristide nil aliud novimus, nisi fuisse Atheniensem philosophum, floruisse imperante Hadriano, nuncupasse eidem Imperatori Apologiam, qua dogmatum nostrorum, fideique in Christi Nativitatem reddidit rationem, ipsamque Apologiam, quae modo intercidit, aetate non tantum Hieronymi, sed etiam Usuardi, & Adonis Viennensis extitisse. Agunt de Aristide Eusebius lib. IV. cap. 3. ubi etiam ait consimilem Apologiam ipsimet Hadriano obtulisse Quadratum, de quo num. proximo, Hieronymus Script. Eccl. & Epist. ad Magnum, & Orosius lib. VII. Hist. cap. 13. Athenagoras quoque Apologeticos libros pro Religione nostra conscripsit, omnesque mirantur, silentio praetermitti a Hieronymo, & Eusebio. Meminit tamen

tamen Athenagorae Methodius tertii Saeculi scriptor illustris, huiusque Excerpta e scriptis ipsius Athenagorae deprompta leguntur apud Epiphanium Haer. 64. & apud Photium Cod. 234. Fuit ergo & ipse Athenagoras Philosophus Atheniensis, amplexusque fidem, dum ipsam oppugnare, ac subvertere meditabatur, Athenis profectus Alexandriam Platonicae simul Philosophiae, & religionis Christianae tradidit rudimenta. Vindicavit autem Athenagoras praecipua eiusdem religionis asserta duobus libris, quos inscripsit, *Apologiam*, seu, *Legationem pro Christianis*, & *de Resurrectione mortuorum*: ex quorum primo, cum oblatus fuerit M. Aurelio Antonino, & L. Aurelio Commodo anno Christi 168. ut visum Dodwello in Dissert. Cyprian. & Caveo in Historia Literaria, seu potius an. 166. ut cum Antonio Pagio censent eruditi Chronologi, constat aetas, qua nomen Athenagorae inclaruit. Apologeticis libris naperrime laudatis reiicit Athenagoras Atheismi, & Coenae Thyesteae impactum Christianis crimen, aliaque Fidei capita egregie vindicat. Fuere tamen, qui Athenagorae obiecere Sabellianismi dogma nefarium, cum Viro Cl. Petavio lib. 1. de Trinit. cap. 3. At strenue Athenagoram vindicavit Georgius Bullus in Defens. Fidei Nicaenae Sect. 3. cap. 5. unde plura exscripserunt recentiores Theologi. Addendus Apologistis Theophilus Antiochenus ab idolorum cultu ad Christum conversus, & ad Episcopatum Antiochensem evectus anno 169. iuxta Chronicum Eusebii. Agunt de Theophilo idem Eusebius lib. iv. Hist. Eccl. cap. 20. & 24. & Hieronymus de Script. Eccl. eique attribuunt tres libros ad Autolicum, unum adversus Hermogenem, alterum contra Marcionem, & alios, quibus, ut Eusebii verbis utar, *elementa fidei nostrae traduntur*, & quorum titulus ignoratur. Addit Hieronymus, se legisse sub Theophili nomine in Evangelia, & in Proverbia Salomonis Commentaria; haec tamen cum superiorum Voluminum elegantia & phrasi, iudicio quidem suo, non congruere. Continetur horum Commentariorum pars prima in II. Volumine Bibl. PP. Ex genuinis autem Theophili libris supersunt tantum libri ad Autolicum hostem Christianorum, sed amicitia sibimet coniunctum: atque hisce in libris, qui Apologetici sunt, demonstratur Fidem Christianam niti argumentis perspicuis, nec esse praecipitem & caecum adsensum, adstruitur fides resurrectionis, Theologia Ethnicorum subvertitur, Historia creationis Mundi, & peccati primorum parentum exponitur, atque ostenditur, Sapientiam, Scriptoresque Hebraeorum esse Graecis antiquiores. Claruit etiam M. Aurelio, & L. Vero imperantibus, idest, circa annum 170. Apollinaris Hierapolitanus: de quo affirmat Eusebius lib. iv. cap. 27. pervenisse ad sua tempora Orationem ad supradictum Imp. M. Aurelium, libros quinque adversus Gentiles, duos de Veritate, duos alios contra Iudaeos, & quos postea edidit adv. Cataphryges

ges, seu Montanistas, quorum omnium titulus tantummodo ad nos usque transmissus est. Celebratur autem Apollinaris etiam a Hieronymo de Scriptoribus Eccl. a Theodoreto lib. III. Hist. Eccl. cap. 2. a Photio Cod. 14. atque ab auctore Chronici Alexandrini. Vindicias, atque Christianae Fidei Apologiam praelaudata ad M. Aurelium Oratio comprehendebat.

IX.

Reliqui Ecclesiastici Scriptores secundi Saeculi recensentur.

IX. Iam vero Scriptores alios vario eruditionis genere conspicuos attingam. Ac primo commemorandus venit Papias Ioannis auditor, Ioannis ne Apostoli, & Evangelistae, an Ioannis presbyteri, quos Eusebius lib. III. cap. 39. distinguendos monet, incertum. Fertur Papias mille annorum Iudaicam edidisse *δευτέρωσιν*, ut inquit S. Hieronymus. Errorem illum, quo alii ex male intellecta Apocalypsi fuerunt implicati, refutavimus in Cerintho, sive in Hist. I. Saeculi, Diss. III. num. 8. Martyrio Papiam coronatum sub M. Aurelio in Urbe Pergami scribunt Stephanus Gobarus, Photius, & Auctor Chronici Alexandrini. Scripsit vero Papias libros quinque Explanationum Sermonum Domini, qui perierunt; ac dicitur ab Eusebio lib. III. cap. 39. mediocri admodum ingenio praeditus, ob pravam, ut arbitror, Apocalypsis explicationem. Sequitur Quadratus, de quo etiam superiori numero, Atheniensium, post Publium anno 125. iubente Hadriano interfectum, & coronatum martyrio, Episcopus: qui praeter memoratam orationem Apologeticam (quam tamen Henricus Valesius in Notis ad Eusebium lib. IV. cap. 23. alteri Quadrato adscribendam existimat) edidit librum, cui titulus *Syngramma*, laudatum quoque a Magdeburgensibus Centuriatoribus Cent. II. cap. 10. *Syngramma* tamen istiusmodi non videtur iudicio eruditorum distinguendum a praedicta Oratione Apologetica: quemadmodum distinguendus non est auctor eiusdem Apologiae a Quadrato Episcopo Antiocheno, & Apostolorum discipulo, prophetiae & sapientiae laudibus ornatissimo. Unum quippe, eumdemque fuisse Quadratum testatur Hieronymus in Catalogo, & in Epistola ad Magnum, comprobatque Menologium Graecorum, ut animadvertunt Caveus in Hist. Lit. & Compilator Adnotat. in Eusebium postremae Edit. Cantabrig. qui etiam levissimas Valesii, & Dupinii coniecturas explodunt. In Graecorum Menaeis ad diem 21. Sept. legitur, Quadratum Athenis impetitum saxis, ab Idolorum cultoribus fuisse expulsum; atque imperante Hadriano martyrem obiisse: ac de Quadrato haec tantum. Dicendum nunc de Hegesippo, de quo Eusebius lib. IV. cap. 22. Nicephorus lib. IV. cap. 7. Hieronymus de Script. Eccl. cap. 32. & Photius Cod. 231. Hunc ab Hegesippo, quem fertur latinitate donasse Ambrosius, contra quam senserint Trithemius, & Ludovicus Vives, diversum fuisse censet Baronius ad Annum 167. num. 15. idque ostendunt invicta argumenta producta a Gerardo Vossio lib. II. de Hist. Graecis cap. 14. quorum praecipuum illud est, quod Hegesippus iste, quem etiamnum

num Latinum habemus, narrat quae contigerunt post Imperium Constantinopolim translatum, & post tempora Constantini. Alius itaque is fuit ab Hegesippo proximo Apostolorum aetati, & Iustino Martyri, & Athenagorae aequali, de quo agitur in praesentia. Hunc elucubrasse quinque Actorum Ecclesiasticorum libros, non absque magno Ecclesiasticae Historiae detrimento deperditos, omnes affirmant qui de re litteraria pertractant. Servavit nobis quaedam illorum librorum fragmenta diligentia Eusebii, nimirum Narrationem Martyrii Iacobi fratris Domini lib. II. cap. 23. de Edicto Domitiani adversus propinquos Domini lib. III. cap. 20. de Martyrio Simeonis filii Cleophae, quem patruum Domini appellat lib. III. cap. 32. de aetate sua, quae coincidit in tempora, quibus Hadrianus Imperator in honorem Antinoi instituit agona, sive certamen sacrum, lib. IV. cap. 8. de profectione sua ad Vrbem Romam sedente Aniceto, & de Concordia Episcoporum & Ecclesiarum in eadem doctrina, citato lib. IV. cap. 22. Silentio demum pretermittendi non sunt Hermias, Agrippa cognomento Castor, atque Pantaenus: quorum primus imperante M. Aurelio, & circa annum 275. edidit Opus inscriptum, *διασυρμὸς τῶν ἔξω φιλοσόφων*, *Gentilium Philosophorum irrisio*, & male a quibusdam confunditur cum Hermia Sozomeno, qui Saeculo V. & sub Theodosio iuniore Historiam Ecclesiasticam elucubravit. Alter, idest, Agrippa appellatus ab Eusebio lib. IV. cap. 7. *Nobilissimus Scriptor*, & a Hieronymo de Script. Eccl. num. 31. *Vir valde bonus*, scripsit sub Hadriano adversus Basilidem, huius praestigias, fraudesque detexit, quatuor & viginti libros adversus Evangelium ab eo conscriptos memoravit, confictos ab ipso pseudoprophetas Barcabam, & Barcoph, horumque barbara nomina carpit. Pantaenus denique, secta Stoicus, & S. Clementis Alexandrini praeceptor, seu potius cum isto, ut scribit Eusebius lib. V. cap. 11. studiis divinarum Scripturarum incumbens, non autem Clementis discipulus, ut demonstrare nititur Dodwellus, fuit civis & Philosophus Atheniensis, sed, ut opinatur Valesius, Sicilia oriundus, vel Siculis parentibus ortus; vocat enim illum praelaudatus Clemens *Apem Siculam*. Floruit Pantaenus Commodo, & Severo imperantibus, praefuitque primum Scholae Alexandrinae, deinde a Demetrio in Indiam, extremasque Orientis partes missus ibidem Evangelium nuntiavit, sed permultos tamen a Bartholomaeo Apostolo fide imbutos, necnon Evangelium Matthaei scriptum Hebraicis litteris ibidem invenit; atque reversus in Asiam sacrum illud Volumen detulit Alexandriam. Haec de Pantaeno Eusebius citato lib. V. cap. 10. & Hieronymus de Script. Eccl. num. 46. Scripsit Pantaenus multos in Sacram Scripturam Commentarios, vetustisque Interpretibus accensetur ab Anastasio Sinaita: verum, ut inquit Hieronymus, *magis viva voce Ecclesiis profuit*. Mitto quosdam alios II. Saeculi Scriptores Ecclesiasticos, idest, Aquilam

lam Ponticum, qui sub Hadriano novam Graecam Versionem ex Hebraicis fontibus exornavit: Philippum Cretensem Episcopum, qui imperante Commodo scriptis Marcionem exagitavit: Bardesanem Syrum ex Valentiniano Gnosticorum, & maxime Marcionitarum insectatorem, qui floruit sub M. Antonino: Musanum, Modestum, & Miltiadem rethorem, qui sub M. Aurelio vixerunt: Polycratem Ephesinum, de quo egimus in Victore, num. 13. & seq. & Bachylum Episcopum Corinthiorum commemoratum ab Eusebio lib. v. Hist. Eccl. cap. 22. hos, inquam, praetereo; nam quod num. I. me executurum fore spopondi, id hac quarta Dissertatione perfeci.



DIS-

DISSERTATIO V.

DE ROMANIS IMPERATORIBVS ET DE VIRIS QVI INTER MARTYRES SANCTOSQVE CELEBRIORES HABENTVR.

I. *Caesares, de quibus agendum est, numerantur.*

I. INEVNTE secundo Ecclesiae Saeculo, cuius exornamus Historiam, Imperium tenuisse Romanum M. Vlpium Traianum, ad eam dignitatem evectum post Nervae obitum die 27. Ianuarii anno Vulg. Aer. 98. constat ex dictis in Differt. V. Saec. I. num. 12. Agebat itaque anno primo eiusdem II. Saeculi, sive anno 101. Christ. Aerae, memoratus Traianus quartum imperii sui annum, & quartum item cum Sexto Articuleio Consulatum. Post Traianum Aelius Hadrianus, deinde Antoninus cognomento Pius, tum M. Aurelius Antoninus, & Lucius Aelius Verus imperarunt; quibus successit Commodus, eoque occiso, cum paucis mensibus principatum obtinuissent Pertinax primum, deinde Didius Iulianus, rerum potitus est L. Septimius Severus, cuius imperium ad annum undecimum tertii Saeculi perduravit. Sunt itaque hi Romani Caesares, de quibus instituenda est oratio.

II. *Traiani aetas, mores, & instituta adversus Christianos persecutio.*

II. Nerva Traianus priori loco commemorandus, dum anno Christi 98. renunciatus fuit Imperator, agebat annum aetatis suae 42. atque superiori anno adoptatus a Nerva, a quo & Nervae cognomen accepit, Proconsulari imperio, Tribunitia potestate, & Caesaris appellatione fuerat condecoratus; idque testantur Dio, & Xiphilinus lib. LXVIII. ac Plinius in Panegyrico cap. 8. & 9. Decessit vero Traianus Salinunte Ceciliae urbe, quam & Traianopolim vocant, aqua intercute correptus anno aetatis suae 64. cum imperasset annis 19. mensibus 6. diebus 15. idest, anno Christi 117. Quinctio Nigro, & Vipsanio Apruniano Coss. die 10. Augusti. Romanarum Historiarum Scriptores commendant plurimum in Traiano iustitiam, fortitudinem, bonitatem: aiunt nullum perdidisse, invidisse nemini, bo-

nos omnes ornasse honoribus ac dignitatibus, nullam fidem habuisse calumniatoribus, atque ab aliena pecunia non minus, quam ab iniquis caedibus abstinuisse: narrant relatas ab illo de Dacis, Parthisque victorias, erectasque ab eo moles, & aedificia magnifica, pontem Danubii maximum, columnam in Foro sepelliendi sui causa, ingentes Bibliothecas, miramque eius praeservationem in Terraemotu, quo anno Ch. 115. Antiochiae infiniti homines, inter quos Pedo Consul, fuerunt oppressi; tradunt post Traiani obitum morem invaluisse, ut in acclamationibus non exoptaretur *Traiano melior*, *aut Augusto felicior*. In Christianos autem Traiani furor efferbuit, movitque adversus illos anno 107. cum in Oriente versaretur, persecutionem, quae a Scriptoribus Ecclesiasticis dicitur *Tertia*; nam primam Nero excitavit, alteram Domitianus. Anno 111. cum Plinius Bithyniae Proconsul ad Traianum scripsisset Epistolam, quae est 97. libri x. exponens Caesari rationem animadvertendi in Christianos, eosque afficiendi supplicio, rescripsit Caesar Traianus magnopere Plinium commmendans, ac iubens ne conquirantur, puniantur tamen si deferantur, & arguantur. In hoc Traiani Rescriptum invehitur Tertullianus cap. 2. Apologetici his verbis: *O sententiam necessitate confusam! Negat inquirendos ut innocentes, & mandat puniendos ut nocentes. Parcit & saevit, dissimulat & animadvertit, &c.* Videatur quoque Eusebius lib. III. Hist. Eccl. cap. 33. Est itaque rescriptum illud Traiani praeclarum huius persecutionis munimentum: de quo legendi Viri Clarissimi Antonius Pagius in Critica tom. 1. pag. 100. Cotelerius tom. 2. PP. Apost. pag. 179. & Gerardus Ioannes Vossius tom. 4. pag. 54. *Opusculorum*, inter quae extat egregius Commentarius in Epistolam Plinii, & Edicta adversus Christianos Caesarum Romanorum.

III. *Pertractatur de persecutione Traiani, trucidatisque in illa martyribus.*

III. Quoniam vero Henricus Dodwellus in Differt. XI. Cyprianica, quae est de paucitate Martyrum, contendit sub Traiano perpaucos martyrium fuisse perpessos, atque in Syria solum Ignatium, de quo in Diss. IV. num. 2. & Rufum ac Zozimum Philippenses; breviter vindicanda est eorumdem sub Traiano Martyrum multitudo. Quam primo demonstrat S. Ignatius M. in Ep. ad Romanos, in qua optat, ut ad se comminuendum, vorandumque concitentur bestiae, quae non audebant aliorum, qui tunc pro Christo necabantur, corpus attingere. Secundo innuit S. Polycarpus in Epist. ad Philippenses, in qua non solum recenset martyrium Ignatii, Rufi, & Zozimi, quos veritate cogente Dodwellus agnovit ut Martyres, sed ulterius alios martyrio coronatos affirmat, scribens: „ Obsecro vos omnes, ut omnem patientiam exerceatis, quam spectatis non tantum in Ignatio, Rufo, ac Zozimo, sed etiam in aliis civibus, atque inquilinis vestris. „ Tertio confirmat Tertullianus scribens

cap. 2.

cap. 2. Apolog. a Plinio, de quo superiori num. *Multos omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus* in periculum vocatos, damnatis quibusdam, quibusdam gradu pulsis, atque universa multitudine perturbata. Quarto corroborat Eusebius lib. III. Hist. Eccl. cap. 33. ubi commemorato Traiani Rescripto inquit, Valesio interprete: „ Quo facto persecutionis incendium, quod nobis violentius incumbebat, restrictum quidem aliqua ex parte videbatur; iis tamen, qui nos maligne & fraudulenter aggredi vellent, non minor opportunitas suppetebat, interdum populo, interdum praesidibus provinciarum adversus nostros insidias comparantibus; adeo, ut si non palam & publice, locales tamen in aliquot provinciis persecutiones exardescerent, & plurimi ex fidelibus martyrii certamen subirent. „ Quinto Suidas v. Τραιανος ait, etiam Tiberianum Palaestinae Proconsulem retulisse ad Traianum, *se deinceps non suffecturum enecandis Christianis, eo quod ultro illi se neci offerrent*. Quamquam ergo Traianus iusserit ne in posterum Christiani inquirerentur, sed tantum ab aliis accusati afficerentur supplicio, atque ita remissa sit aliquantulum persecutio, ut lib. II. Hist. Sacrae narrat Sulpitius Severus; tamen negari non potest, plurimos sub Traiano pro Christo sanguinem effudisse. Hos inter Auctor Chronici Alexandrini recenset S. Marcum Evangelistam, quem ait iniecto laqueo tractum ad flammas, exustumque die 1. *Pharmuthi*, quem cum Aprili componit Cl. Petavius in lib. Ptolomaei de Apparentiis Inerrantium: nec aliter docuit Dorotheus in Synopsi. Sed Marcum anno Neronis 8. e vivis sublatum ex Eusebio. lib. II. Hist. Eccl. cap. 24. & Hieronymo de Script. Eccl. num. 18. contendit Caesar Card. Baronius ad Annum Christi 64. num. 1. Certe sub Traiano dum Atticus vir consularis Syriae praeesset, cruci suffixus fuit Simeon filius Cleophae, & Ecclesiae Hierosolymitanae post Iacobum Episcopus, cum ageret annum aetatis suae 120. quamvis annus martyrii certo definiri nequeat, illud nonnullis cum Eusebio referentibus ad annum Christi 108. aliis vero, a quibus non recedit Ruinart, ad annum 104. pluribus cum Dodwello, Pagio, & Clerico ad annum 116. Martyrium item sub Traiano, eodemque anno 116. quo in Diss. IV. num. 2. damnatum diximus S. Ignatium, combustae fuerunt quinque Antiochenae mulieres, quarum cineres mandavit Traianus admisceri metallis, ex quibus lebetes in usum Thermarum fuere conflati; idque fatetur, demonstratque ad praedictum annum 116. num. 9. idemmet Ioannes Clericus cultor Dodwelli. Invenimus quoque sub Traiano martyrium consummasse Onesimum Pauli discipulum, & successorem Thimothei in Episcopatu Ephesino, anno 109. Romae lapidibus obrutum; de quo Fasti Martyrum ad diem 16. Februarii; necnon Barsimaeum Episcopum Edessae, cum multis, quos ipse Christo genuerat, & quorum no-

mina in libro Vitae scripta sunt, Traiano iubente circa eadem tempora trucidatum.

IV. *Fabula de Traiani anima ab inferis liberata expenditur, & reiicitur.*

IV. Posteaquam de Traiani persecutione, quantum patiuntur Synopsis historicae angusti limites, pertractavimus; non videtur silentio mittenda animae eius a nonnullis asserta ab inferorum cruciatibus liberatio, facta precibus atque intercessione Gregorii Magni, refutata tamen a pluribus, a quibusdam etiam irrisa. Prodigiosam illam liberationem staruminant primum testimonio Ioannis Diaconi, qui floruit imperante Carolo Calvo, & laudatur in Chronico Sigeberti ad annum 873. deinde Oratione S. Ioannis Damasceni, *de Defunctis*, atque Euchologio Graecorum cap. 96. tertio Sanctarum Birgittae lib. IV. cap. 13. & Mathildis lib. V. cap. 6. revelationibus. Vlterius S. Thomae q. 71. art. 5. Supplementi huius eventus, saltim ut probabilis, assertione: tandem consensu Cl. Virorum Vincentii Bellovacensis, Tostati Abulensis, Alphonsi Ciaconii, aliorumque apud Nat. Alex. Dissert. I. in Hist. Eccl. 2. Saeculi. Sed adhaerendum esse arbitramur eam Liberationem reiicientibus, atque inter fabulas amandantibus: atque his permovemur momentis. Principio nullam in inferno redemptionem esse, ibique sempiternum esse supplicium docet Fides Catholica adversus Origenistas, idque expressissimis Scripturarum, Patrumque testimoniis ostendimus lib. X. Th. Dogm. cap. 17. Deinde nemo unus est, qui non irrideat narratam a Metaphraste historialam Falconillae, absque lavacro regenerationis sepultae, atque a gehennae supplicio servatae precibus S. Theclae, pluriumque Ethnicorum, qui servierunt idolis, aequalem sortem, illi, quae de Traiano iactatur, ut ovum ovo, persimilem. Praeterea quamvis Gentilium aliqui, Naturae legem quodammodo custodientes, poenas damnatorum evasissent, quod nonnulli imperiti de Platone, Aristotele, aliisque fabulantur; quis tamen sanae mentis id dixerit de Traiano, quem Dio, Suetonius, Spartianus, omnesque historici afferunt fuisse crapulae ac delitiis magnopere deditum, turpissimumque puerorum corruptorem, adeo, ut Iulianus Apostata solitus fuerit affirmare exclusum Traianum a minorum Deorum numero, ne Ganimedi, quem Iuppiter deperire dicitur, vim inferret? Insuper si quid a Traiano commiseratione dignum patratum est, profecto fuit motae adversus Christianos persecutionis moderatio: quam tamen non carere crimine & iniquitate demonstrant verba Tertulliani producta supra num. II. ut mittam, in ea quoque moderatione probasse Traianum, quod Plinius exequebatur, iubens ut de Christiana religione accusati maledicerent Christo, sacrificarent idolis, ipsiusque Traiani imagini, allatae cum profanorum Numinum simulacris, thure ac vino supplicarent, quod est Martyrum caedibus aditum non occludere, sed aperire. Ad haec Gregorius lib. IV. Dialog. cap. 44. docet orandum non esse

pro

pro Diabolo, angelisque eius aeterno supplicio deputatis, neque pro infidelibus hominibus, impiisque defunctis; ideoque dicendus non est contra id, quod firmiter credidit, tradiditque in Dialogis, pro Traiani anima orasse. Demum istud de Traiano commentum fuisse ad ludibrium Christianae Fidei excogitatum, & per vulgi ora dispersum queritur Ecclesiasticorum Annalium Parens ad Annum 100. num. 17. & ad Annum 604. num. 30. atque ut putidam insulsamque fabellam reiiciunt Bellarminus lib. II. de Purg. cap. 8. Melchior Canus lib. XI. de Loc. Th. cap. 2. Possevinus in Apparatu v. *Ioannes Damascenus*, Dominicus Soto in 4. dist. 45. Silvius in 3. p. q. 71. art. 5. Natalis Alex. praecit. Dissert. I. Saeculi II. Card. Gotti de Vera Eccl. Christi cap. 2. Sect. 4. aliique permulti. Ergo ad momenta opposita respondemus, Ioannis Diaconi scripta fuisse corrupta, nam Canisius lib. VI. Antiq. Lect. ait se reperisse in Codice S. Galli Vitam Gregorii vel a Paulo Diacono, vel a Ioanne item Diacono, quem certum est a Paulo plura exscripsisse, litteris traditam, sed adeo refertam fabulis, ut qui edere in lucem vellet, charta & otio lectoris sit abusurus; & fortassis huius generis fuit MS. Vaticanum, quod Collectioni suae tom. 2. ad diem 12. Martii inseruit Laurentius Surius. Ad secundum respondemus, illam S. Ioannis Damasceni nomine vulgatam orationem esse iudicio omnium Chriticorum suppositam, quamvis sunt qui cum Sylvio reponunt in his, quae facti sunt, non Damascenum tantummodo, verum & alios accuratiores interdum fuisse deceptos. Ad tertium dicimus, non omnes Sanctarum Mulierum revelationes esse ab Ecclesia approbatas, aut ita approbatas, ut nefas sit fidem aliquibus derogare. Ad quartum dicendum est, S. Thomam more Theologorum, qui dicuntur Scholastici, facta hypothesi rei, cuius veritatem inquirere non semper in Theologicis disputationibus vacat, exponere quomodo, si revera contigit, evenire potuerit, quod nempe Deus non finaliter Traianum damnaverit, eo quod praesciret Gregorii precibus a poenis liberandum, & vitae restituendum: quae sunt verba eiusdem S. Thomae in 1. Sent. dist. 44. q. 2. art. 2. ad 5. Ad ultimum respondemus, praelaudatis Scriptoribus alios & numero, & sapientia praeclaros, & pro quorum sententia stant quoque rationis munimenta, praeferendos esse: atque haec de Traiano.

V. *Hadriani Chronologia, ac postremum Iudaeorum exitium.*

V. Fatis itaque functo Traiano die 10. Augusti anno Vulg. Aer. 117. successit in Romano Imperio Hadrianus, quem arte Plotinae Augustae idem Traianus morti proximus, liberisque destitutus adoptaverat, ut tradunt Dio, Xiphilinus, & Spartianus. Decessit autem Hadrianus apud Baias Campaniae oppidum, balneisque olim clarum, VI. Idus Iulias, Camerino & Magno Coss. idest, anno Aer. Vulg. 138. aetatis suae 62. iam exacto, siquidem natus fuerat Vespasiano VII. & Tito V. Coss. anno communis Aerae 76. IX. Kal. Fe-

Februarias. Fertur moribundus exclamasse, πολλοὶ ἰατροὶ βασιλέα ἀπώλεσαν, *Plures Medici Regem sustulerunt;* sepultusque fuit ad pontem Aelium in monumento a se condito, quod & Moles Hadriani, & Castrum S. Angeli nuncupatur. Annis igitur 20. & mensibus 10. Hadrianus tenuit Imperium. Inter res ab Hadriano gestas notanda est illata Iudaeis clades. Venerat Hadrianus anno Chr. 130. Hierosolymas, eamque urbem instauraverat, volens ut in posterum vocaretur Aelia Capitolina, atque in colle, in quo Templum fuerat, erigi aedem Iovi sacram mandaverat, quum Iudaei aegre id ferentes de bello consilia agitare coeperunt. Dio haec narrat lib. LXIX. Transacto ergo biennio, quum Hadrianus in Italia Oriente relicto reversus esset, palam irruerunt in arma, duce Barchocheba, cuius nomen *filium stellae* significat; & qui licet caedibus & latrociniis assuetus foret; specioso tamen nomine excaecatis Iudaeis persuaserat, se Messiam esse praenuntiatum Num. 24. 17. illis verbis, *Orietur stella ex Iacob*. A Tinio Rufo, qui tunc Iudaeae praeerat, crescentis in dies defectionis Hadrianus certior factus, longa obsidione Hierosolymas expugnavit, sumptoque de Barchocheba supplicio, lege, & imperatoria Constitutione sancivit, ne deinceps Iudaei in agrum Hierosolymitanum pedem inferrent, adeo, ut nec urbem e longinquo permitterentur prospicere. Tradiderunt haec litteris Aristo quidam Pellaeus Rab. Iosse in Talmude Hierosolymitano, Tertullianus in libro adv. Iudaeos cap. 15. Eusebius lib. IV. Hist. Eccl. cap. 6. Hieronymus in Caput 2. Sophoniae, aliique permulti, de quibus consule Adnotationes in Eusebium Henrici Valesii.

VI. *Quaedam ex Hadriani gestis notatu digna.*

VI. Quaedam de Hadriano narrantur, quae cum Ecclesiasticae Historiae lucem afferant, attingere deliberavimus. Primum narrantur a Spartiano quaedam ab Hadriano patrata miracula, mulieris nempe, quae in somniis Hadriani genua exosculans, & aqua, quae ex fano erumpebat, oculos abluens, visum, quo carebat, recepit; & caeci alterius a nativitate, qui e Pannonia ad Hadrianum febricitantem veniens, huius manuum contactu lumen oculorum recepit, simulque Hadrianum ipsum febris reliquit. Haec Spartianus cap. 5. Verum haec facta fuerunt fraude, ingenioque Antonini, ut Hadrianum, volentem sibimet manus inferre, morbo, insanoque consilio levaret: quam fraudem etiam Ethnici sensere, siquidem eodem Spartiano teste, *Marius Maximus haec per simulationem facta commemorat*. Deinde Lampridius in Vita Alexandri Severi cap. 43. ait, Hadrianum Templa absque idolorum simulacris Christo erexisse: „ Christo, inquit, Alexander templum facere voluit, eumque inter Deos recipere; quod & Hadrianus cogitasse fertur, qui Templa in omnibus civitatibus sine simulacris iusserat fieri: quae hodie idcirco quia non habent numina dicuntur Hadriani: quae ille ad hoc parasse dicebatur: sed prohibitus est ab iis, qui consulentes sacra repe-

reperenant omnes Christianos futuros, si id optato evenisset, & Templa reliqua deferenda. „ Meram suspicionem hanc fuisse ignorantium Hadriani consilia, scribit Ioannes Clericus ad Annum 130. num. 3. quia, inquit, Hadrianus sibi ea templa, postquam perfecta fuissent, consecrari voluit; idemque scripserat antea in notis ad Lampridium Casaubonus. Imperite tamen uterque: neque enim ait Lampridius, Hadrianum cogitasse vel sua, vel Numinum simulacra iisdem in Templis locare; sed ait, iussisse, ut sine ullis simulacris fierent, scilicet, nullis vel sui, vel aliorum idolis exornanda, ut recte animadvertit in Demonstr. Evang. prop. 3. num. 33. doctissimus Daniel Huetius. Praeterea sub Hadriano exortam quartam Ecclesiae persecutionem scribit lib. II. H. S. cap. 31. Severus Sulpitius, quamquam communior opinio sit, non fuisse sub Hadriano novam persecutionem, sed perdurasse persecutionem Traiani usque ad annum 125. aut 126. decimum Hadriani. Revera circa haec tempora, ac forte dum Hadriani celebrarentur decennalia, quemadmodum animadvertit illustris Pagius in Dissert. Hypatica cap. 3. Serenus Granius Asiae Proconsul scripsit ad Hadrianum, conari populum ingentibus clamoribus, a se caedem Christianorum extorquere; iniquum autem sibi videri eosdem Christianos, nullo obiecto crimine, ad clamores plebis damnare. Hadrianus autem rescripsit Minucio Fundano, qui post Serenum Asiae praefuit, ne provinciales adversus Christianos petitionibus, solisque clamoribus uterentur; si quis eos detulerit, ac probaverit contra leges quidquam agere, in eos poenam pro gravitate delicti statuendam; sin mehercule calumniae causa istud intenderit, dandam operam, ut pro qualitate calumniae in ipsum accusatorem Iudex animadverteret. Mitem hunc animum induisse Hadrianum ob Apologias illi oblatas ab Aristide, & a Quadrato, de quibus egimus in Diss. IV. num. 8. ideoque easdam Apologias scriptas fuisse anno 10. Hadriani, & Christi 126. probabilitate non caret. Extat Hadriani Epistola ad Minucium Proconsulem apud Eusebium lib. IV. Hist. Eccl. cap. 9. eamdem suis Apologiis inseruerunt Iustinus, & Melito, illustravitque Commentario Gerardus Ioannes Vossius.

VII. *Illustriores sub Hadriano Martyres commemorantur.*

VII. Etsi autem quae de sedata sub Hadriano persecutione diximus moverunt Dodwellum ne vel unicum sub Hadriani imperio Martyrem extitisse contenderet; aliquos tamen fuisse certis munimentis ostendimus. Enimvero priusquam Serenus Granius memoratas litteras ex Asia conscripsisset, idest, per Imperii Hadriani decennium, innumeros Christi fideles indicta causa ad Ethnicorum clamores fuisse necatos, aperte ex iisdem litteris coniicitur. Cur enim iniustitiam immanitatemque, quae non esset, auctoritate Caesaris coercere curasset Proconsul? Nemo deinde ignorat, S. Iustinum Martyrem ex Platonicae disciplinae sectatore factum Christi disci-

scipu-

ſcipulum ſub imperio Hadriani, & circa annum 130. quod & nos aſfirmavimus in Diſs. IV. num. 4. Iuſtinus autem in Apologia ad Antoninum teſtatur ſe Chriſto nomen dediſſe, quod audiret Chriſtianos caluminoſe deferri, eosque conſpiceret mortem, & terribilia adire ſupplicia, ac probe intelligeret, neminem voluptatum amatorem libenter mortem amplecti. Praeterea Hadriano *ſaevitiam fuiſſe ingenitam* ſcribit in illius Vita Spartianus, ac Dio, & Xiphilinus de eius immanitate aiunt: *In odium venit propter nefarias, & indignas caedes, quas initio, & ſub finem principatus fecit;* neque credendus eſt a nece Chriſtianorum abſtinuiſſe qui in ſectae ſuae homines inique daeſeviit. Vlterius ex Epiſtolis Dionyſii Alexandrini apud Euſebium lib. IV. cap. 2. didicimus, Publium Epiſcopum Athenienſem, cui ſucceſſit Quadratus, martyrem occubuiſſe: quod contigit anno 125. Hadriani 9. ut praenotavimus in Diſs. IV. num. 9. Sub Hadriano item, ne rurſus Evariſtum, & Alexandrum, Romanos Pontifices, Martyresque commemorem, fuderunt pro Chriſto ſanguinem, atque aeneum in taurum immiſſi ſubiectis flammis conſumpti fuere Euſtachius, Theopiſta uxor, ac filii, quum idem Euſtachius, qui ſub Traiano praefuit militibus, Romam parta victoria rediens initio principatus Hadriani iuſſus idolis ſacrificare conſtantiſſime renuit, ut ad diem 20. Septembris enarrant Eccleſiae Faſti. Refertur quoque ad Imperium Traiani martyrium Fauſtini Presbyteri, & Iovitae Diaconi, qui agente Italico Rhaetiarum praeſide illuſtre martyrium anno Chriſti 120. & Hadriani 4. die vero 15. Februarii, Brixiae munitiſſimae Caenomanorum urbis conſummarunt. Marius etiam dux militum imperante Hadriano pro Chriſtiana Fide occiſus fuit in urbe Roma, ut conſtat ex inſcriptione reperta in Coemeterio Callixti, quam vide apud Aringhum lib. III. cap. 22. & Boldettum lib. I. cap. 44. Tandem ſub Hadriano in Via Tiburtina martyrium perpeſſa fuit Symphoroſa cum ſeptem filiis, quorum memoriam agit Eccleſia XV. Kalendas Auguſti. Acta vero, quae Iulio Africano ſcriptori praeſtantiſſimo tribuuntur, illuſtravit pag. 20. Theodoricus Ruinart. In iisdem Actis aſſeritur pro Chriſti nomine pariter paſſos Getulium eiusdem Symphoroſae virum, fratremque Amantium, Hadriani Tribunos.

VIII. *De Imperio Antonini Pii, eiusque pro Chriſtianis Epiſtola.*

VIII. Adoptaverat Hadrianus anno Aer. Vulg. 136. dum Conſulatum gereret cum L. Ceionio Commodo, Aelium Verum, eumque Caeſarem appellaverat in ſpem ſucceſſionis: ſed Aelio Vero e vivis immatura morte ſublato Kalendis Ianuariis anno 138. diu anceps quid ageret V. Kal. Martias adoptavit in filium, Imperio Proconſulari, & Tribunitia poteſtate exornavit Arrium Antoninum, qui Pii gerebat cognomen. Is ergo Hadriano ſucceſſit, ac patri demortuo, ut diximus ſupra num. 5. decima die Iulii, a Senatu Antoninum reverente, & metuente milites, denegatum ob patratas caedes

des honorem fletibus precibusque impetravit. Pius vero cognominatus est a Senatu propterea quod initio principatus, multis reis actis, postulatisque nonnullis ad supplicium, neminem punivit. E vivis Antoninus excessit Coss. M. Aelio Aurelio Vero III. & L. Aelio Commodo II. nempe anno Christi 161. die septima Martii, cum a morte Hadriani imperasset annis 22. mensibus 7. diebus, 26. Haec ex Spartiano, Capitolino, aliisque Romanae Historiae Scriptoribus. Xiphilinus addit, Antoninum probum optimumque virum fuisse, nec gravem subditis, nec Christianis, quos observavit & coluit, infensum. Eusebius autem lib. IV. Hist. Eccl. cap. 13. profert Antonini Epistolam *ad Commune Asiae*, qua sancivit, ut si quis aliquem accusaret, quod Christianus esset, delatus quidem crimine absolveretur, tametsi constaret ipsum esse reipsa Christianum, delator vero ipse poenas lueret. Hanc Epistolam datam constat dum Antoninus tertium gereret cum M. Aurelio Consulatum, idest, anno Ch. 140. quo anno Phlegon Trallianus Hadriani libertus edidisse dicitur Olympiades, nisi mavis scriptam a Marco Aurelio, ut ex inscriptione infert Henricus Valesius: ac proposita fuit Antonini Epistola Ephesi in publico Conventu Asiae: debemus hanc Epistolam Apologiae, quam paullo antea S. Iustinus Martyr eidem Antonino, & Verissimo eius filio ac Philosopho, Lucio filio adoptivo, & Senatui, Populoque Romano nuncupaverat; de qua egimus num. IV. in praecedenti Dissertatione.

IX. *Num Antoninus a caede Christianorum penitus abstinuerit?*

IX. Non fuit tamen Antoninus adeo ingenio mitis, ut a caede Christianorum omnino abstineret. Nam antequam potiretur principatu, anno Christi 121. praefectus Asiae, ut aliquo modo satisfaceret Rescripto Traiani ad Plinium, de quo supra num. II. paucos ad supplicium duci mandavit, aliis innumeris omnis sexus, & omnis aetatis, ultro ac sponte sese offerentibus dicens, *ὦ δειλοί, εἰ θέλετε ἀποθνήσκειν, κρημνοὺς καὶ βρόχους ἔχετε, O miseri, si vultis mori, praecipitia, & restes habetis*. Legite Tertullianum ad Scapulam cap. 5. Principatus autem decursu clementiam in Ethnicos, quae illi Pii cognomen promeruit, minime in Christianos exercuisse, contra quam senserit Xiphilinus, aperte eruitur ex praelaudata S. Iustini Apologia, in qua ait S. Martyr, Christianos propter confessionem torqueri, illis inferri causa non iudicata supplicia, contra eos, qui nihil iniqui admiserunt, perinde atque adversus hostes poenam capitis statui, aliaque id genus; quae utique non scripsisset Sanctus Apologista, nisi Caesaris, eiusque ministrorum gladius in nostrates saevisset. Adinventa insuper fuit in Coemeterio Callixti haec inscriptio, quam refert Arringhus lib. III. Rom. Subt. cap. 22. *Alexander mortuus non est, sed vivit super astra, & corpus in hoc tumulo quiescit. Vitam explevit cum Antonino*

Imperatore, qui ubi multum beneficii antevenire praevideret, pro gratia odium reddit. Genua enim flectens vero Deo sacrificaturus ad supplicia ducitur. O tempora infausta, quibus inter sacra & vota ne in cavernis quidem salvari possumus! Quid miserius vita, sed quid miserius in morte, cum ab amicis, & a parentibus sepeliri nequeant! Tandem in coelo coruscat. Parum vixit, qui vixit IV. X. TEM. Haec inscriptio furentis postrema aetate Antonini in Christianos persecutionis argumentum est invictissimum. De Romanis Pontificibus Sixto, Telesphoro, & Hyginio sub Antonino coronatis martyrio diximus suo loco. Passionem S. Felicitatis, & septem filiorum eius, consignandam anno Ch. 150. Antonini 13. referunt genuina Acta, cum pluribus vetustisque Codicibus a Ruinartio collata: in quibus legitur, Idolorum Pontifices videntes Christiani nominis praeconia per viduam illam sanctissimam magis proficere, suggessisse Antonino, contra eius salutem illam mulierem viduam una cum filiis suis insultare Diis; Imperatorem vero mandasse Publio, ut Felicitatem, filiosque compelleret ad sacrificandum idolis, iramque numinum mitigandam; ipsam vero Felicitatem, & septem filios vario poenarum genere affectos; quod Gregorius Magnus Hom. 3. in Evangelia, & Fasti Martyrum IX. Kal. Decembris commemorant. Ex iisdem S. Felicitatis, filiorumque Martyrum Actis constat qua arte Sacerdotes idolorum mitem Antonini, Deorum suorum, ut a Capitolino appellatur, veneratoris maximi ac praecipui, animum adversus Christianos exstimulaverint.

X. *M. Aurelii, & L. Veri Imperatorum Chronotaxis definitur, & describitur Persecutio.*

X. Ubi e vivis excessit Nonis Martii anno Ch. 161. Antoninus Pius, ex Senatus consulto Imperium indeptus est M. Aurelius Antoninus cognomento Philosophus, filius Annii Veri e Domitilla Calvilla, adoptatus ab Antonino Pio decimo octavo aetatis suae anno, qui & uxorem duxerat Anniam Faustinam filiam eiusdem Antonini Pii, & Faustinae sororis L. Aelii, feminam impurissimam. Deditus autem M. Aurelius Philosophicis studiis, eiusdem anni Nonas Aprilis Augustum dixit, adscivitque in consortium Imperii L. Aurelium Verum filium Lucii Aelii ex Domitia Lucilla: unde exhibent nobis numismata hos duos Caesares gemino vultu, iunctisque dexteris, cum epigraphe, CONCORDIAE AUGUSTOR. Imperavit M. Aurelius annos undeviginti, dies XI. ex quibus 9. circiter annos regnavit cum L. Vero; obiit namque Aurelius in Pannonia, ut philosophum decet, amicos exhortans ne se morientem, sed publica mala deflerent, XIV. Kal. Apriles Coss. Fulvio Bruttio II. & Sex. Quinctilio Condiano, anno nempe 180. cum vixisset annis 58. menses 10. dies 20. iam ab anno 169. quo Sosius Priscus, & Q. Caelius Apollinaris Consulatum gesserunt, apoplexia extincto inter Concordiam & Altinum L. Vero, exeunte Decembri. M. Aurelio, & L. Vero imperantibus, exorta est Eccle-

siae

fiae Persecutio, *quinta* iuxta Severum Sulpitium, qui distinguit persecutionem Hadriani a persecutione Traiani, ut praemonui supra num. VI. *quarta* autem iuxta communiorem Historicorum opinionem. Ad annum 162. referunt huius persecutionis initia Sethus Calvisius, Dionysius Petavius, aliique viri clarissimi, eo quod censeant eodem anno editam alteram Iustini Apologiam, annoque insequenti eumdem Iustinum coronatum martyrio. Istud vero referendum ad annum 165. cum Chronologis aliis accuratissimis demonstravimus; ideoque potest initium Persecutionis ad annum 164. protrahi. Indubitatum est, eamdem persecutionem fuisse excitatam agente adhuc vitam L. Vero: nam in fragmento Apologiae Melitonis Sardiani apud Eusebium lib. IV. cap. 26. legitur: *Quod nunquam antea fuerat, persecutionem nunc patitur piorum hominum genus, novis per Asiam decretis exagitatum*. Intelligenda haec sunt de rapina omnium bonorum, quibus Christianorum delatores alienarum opum cupidissimi, diu noctuque grassantes spoliabant innoxios homines, quod nundum in Asia contigerat. Ea Melitonis verba habentur in supplici libello, sive in Apologia pro Christianis *Ad Imp. L. Antoninum Verum*; ideoque manifestum est, persecutionem Vero imperante irrupisse. Nec desunt qui ingenium M. Aurelii potius philosophicis meditationibus, quam caedibus deditum attendentes, malint persecutionem illam quartam *sub Vero*, quam *sub Aurelio* appellare.

XI. *Laudantur quidam Martyres, qui passi sunt Aurelio, & Vero imperantibus.*

XI. Modo autem Christianos Martyres in ea persecutione occisos commemorans praetereo Pium, Anicetum, & Soterem Episcopos Romanae & Catholicae Ecclesiae, necnon Iustinum, & Polycarpum; de quibus pertractatum est supra. Praelaudatus Iustinus initio Apologiae nuperrime memoratae ait, se ad illam scribendam fuisse compulsum, quod Vrbicius praefectus Vrbis (Q. Lollium Vrbicum melius dixeris) ad supplicium duci iusserit Ptolomaeum, qui mulierem lascivam revocaverat ad frugem, & Christo regeneraverat, atque Lucium, qui cum & ipse Cristianus esset, Vrbicum palam reprehendit: quorum mentionem faciens Eusebius lib. IV. Hist. Eccl. cap. 17. titulum narrationi praeposuit, περὶ ὧν Ιυστῖνος ἐν ἰδίῳ συγγράμματι μνημονεύει μαρτύρων, *De Martyribus, quorum in suis scriptis mentionem facit Iustinus*: ideoque aperte est falsum quod ait Ioannes Clericus ad annum 165. num. 4. ipsum Iustinum fuisse primum Martyrem occisum sub M. Aurelio. Apud praecitatum Eusebium lib IV. cap. 15. legimus sub idem tempus, quo Smyrnae passus est Polycarpus, idest circa annum Christi 167. martyrio coronatos fuisse duodecim Philadelphenses, atque celeberrimum inter eius temporis Martyres fuisse Pionium, & in urbe Asiae Pergamo martyrium passos Carpum, Papulum, & Agathonicam, quorum Acta circumferri testatur eo loci Ecclesiasticae Historiae Parens.

rens. Passi sunt in eadem persecutione L. Veri & M. Aurelii Martyres Lugdunenses, non anno Christi 167. ut legitur in Chronico Eusebii, sed post decennium, idest, anno 177. sive anno 17. Antonini Veri, ut idem Eusebius ait in Proemio Hist. Eccl. lib. v. Martyrum vero Lugdunensium meminerunt omnia Martirologia iv. Nonas Iunias, Gregorius Turonensis de Gloria Martyrum cap. 49. & Eucherius Lugdunensis in Serm. de S. Blandina, & leguntur etiamnum illorum Acta apud Eusebium praecit. lib. v. cap. 1. Sunt vero nonnulla, quae circa eadem Acta notanda sunt. Primo fuerunt illa nomine Lugdunensis, & Viennensis Ecclesiae scripta ad Ecclesias Asiae, & Phrygiae, quoniam Irenaeus tunc Lugdunensis Ecclesiae presbyter, & ipsorum Actorum scriptor, oriundus erat ex Asia, & Smyrnae Polycarpum audierat, ut diximus in Diss. IV. num 3. ac praeterea in eorum martyrum numero laudatur Attalus Pergamensis & Asianus, atque summopere commendatur S. Alexander in Phrygia natus, professione Medicus, & plures iam annos cum Asianis aliis commoratus in Galliis. Deinde sciendum est, hos Martyres fuisse, ut aiunt, 48. eorumque nomina in Admonitione ad ipsorum acta ex variis Martyrologiis, aliisque monumentis collegisse doctissimum Ruinart; sed iisdem in actis singillatim connumerantur Sanctus Diaconus Viennensis, Maturus Neophitus, Attalus Pergamenus; Blandina superius laudata, Biblias mulier altera, Pothinus Lugdunensium Episcopus, Alexander Medicus, Ponticus adolescens, & Alcibiades. Praeterea extat apud Eusebium Epistola ipsorum Martyrum lib. v. cap. 4. ad Eleutherium Romanum Pontificem, in qua ei commendant Irenaeum adhuc presbyterum, eumdemque laudibus suis exornant: ex qua Epistola confirmatur Chronologia Eleutherii evecti ad Pontificatum anno 177. ut diximus in Diss. I. num. 11. atque inde ulterius infertur consignandum Lugdunensium Martyrum obitum anno 17. M. Aurelii Antonini, non autem anno 7. & Christi 167. quemadmodum Dodwellus, Loydius, & Clericus opinantur, siquidem anno 167. non Eleutherius sedebat, sed Anicetus. Habetur denique in horum martyrum actis eorum corpora sub dio per sex dies exposita iacuisse, & deinde cremata, atque redacta in cineres in Rhodani alveum fuisse proiecta; quod & litteris tradidit Agustinus in Libro *de Cura gerenda pro Mortuis* num. 8. & 10. De martyrio Epipodii & Alexandri, necnon Marcelli, & Valeriani, qui non multo post Pothini, & Sociorum caedem, pro Christo mortem oppetierunt, consule Homilias Eucherii, Martyrologium Romanum die 22. Aprilis, & die 4. Septembris; Surium, & Bollandum, ac Ruinart, qui ceteros laudat pag. 62. Adde Symphorianum praecipuum Augustoduni patronum, quem passum sub Aureliano die 22. Augusti testantur Acta apud Surium, Scriptoresque laudati a Baronio in Notis ad Martyrologium Romanum. Sed Aureliani

no-

nomen pro nomine Aurelii irrepsisse vetusti Codices, & certiora monumenta commostrant. Videsis pag. 68. Ruinartium.

XII. Adversus Martyres Lugdunenses opponit Dodwellus nullam illorum Actis habendam fidem, quoniam credi non potest M. Aurelium natura ingenioque mitissimum solius religionis causa de puniendis Christianis cogitasse; quare si in Viennenses, ac Lugdunenses animadvertit non id causa fidei factum est, sed quoniam Lugduni ac Viennae commorantes fideles infanticidiorum, incestuum, aliorumque criminum convicti fuerunt servorum suorum testimonio; ideoque iussit Antoninus, ut hi tantum, non ceteri per Romanum Imperium Christiani, poenas luerent. Verum asserendum est, praelaudatos Martyres religionis, fideique causa fuisse occisos: Nam, ut legitur in Actis num. 5. Blandina in Confessionem, ob quam iugulata fuit, Praesidi respondit, *Christiana sum, & nihil apud nos mali geritur:* Sanctus item num. 6. ad omnes interrogationes Romana lingua respondit, *Christianus sum:* Pothinus Episcopus num. 9. interroganti, *Quisnam esset Christianorum Deus*, ait: *Si dignus fueris, cognosces;* atque Attalus num. 11. per amphiteatrum circumductus est, praecedente titulo, seu tabella, in qua scriptum erat Latinis litteris, *Hic est Attalus Christianus*. Igitur ad Dodwelli futiles coniecturas dicimus, utique Christianis obiecta fuisse quaedam flagitia, maxime Coenas Thyesteas, & incestos Oedipi concubitus, ut in his quoque Actis legitur num. 4. sed haec fuerunt Christianis omnibus imputata, ut diximus agentes in Alexandro Romano Pontifice, *de Disciplina Arcani*, Diss. I. num. 5. sed ob id solum, quod se profiterentur Christianos, beatos illos Martyres fuisse occisos. Constat etiam ex praeced. num., non Lugduni tantum, & Viennae Allobrogum, verum etiam Augustoduni, necnon Romae, Smyrnae, Pergami morti traditos invictissimos Christi athletas; ut mittam Martyres in Burgundia necatos, de quibus Franciscus Bosquetus lib. II. Hist. Eccl. Gallicanae cap. 26. In eo demum clementia Antonini elucebat, *Ut confitentes gladio caederentur; hi vero, qui negarent, dimitterentur incolumes*, ut liquet ex eius Rescripto in Causa ipsorum Martyrum Lugdunensium; at cum Christiani nefas sit fidem coram Praesidibus negare, consequitur non potuisse, qui de religione interrogabantur, evitare supplicium.

XII. *Contra Dodwellum Martyres Lugdunenses vindicantur.*

XIII. Contigit M. Aurelio Vero Antonino imperante res mira, quam Ethnici aeque & Christiani trahere conantur ad suae Religionis honorem. Subactis enim Marcomannis, & Iazygis Germaniae trans Danubium populis, bellum Imperator gerebat cum Quadis, quos alii Slesios, alii Moravos existimant; quando ad consilii inopiam redactus est, exercitum premente siti, & hostium qua intercludebatur multitudine: sed legione Melitina, ita a Patria appellabatur, suppliciter Deum exorante, prodigioso imbre, quem clypeis exceperunt, fuerunt milites recreati, & hostes fulmine in fugam, & exitium

XIII. *De pluvia, quae M. Aurelio imperante cecidit, Ethnicorum Scriptorum opinio.*

tium ruerunt, atque Legioni nomen Fulminatricis a M. Aurelio impositum fuisse dicitur. Quo anno id evenerit, & an militibus Christianis tribui debeat, ab Historicis controvertitur. Et quantum ad tempus spectat, contigisse rem asserimus anno M Aurelii 14. Aer. Vulg. 174. siquidem Nummi hoc anno procusi exhibent Marcum ANTONIN. AVG. TR. P. XXVIII. cum figuris dextera aut pateram, aut fulmen, sinistra hastam tenentibus, & cum inscriptionibus MARTI VICTORI, aut, DE SARM. quos nummos apud Patinum, Vaillantium, & Mediobarbum quisque offendit. Ethnicis vero prodigium illud adscribunt Dio, qui apud Xiphilinum *in M. Aurelio* ait: *Fama tenet Arnuphim quemdam, magum Aegyptium, qui in Comitatu Marci erat, evocasse cum alios Daemones, tum Mercurium Aereum, quibusdam artibus magicis, & earum ope imbrem elicuisse:* Capitolinus in eiusdem Imperatoris Vita cap. 14. scribens: *Fulmen de coelo praecibus suis, contra hostis machinamentum extorsit, suis pluvia impetrata, cum siti laborarent:* Themistius Orator in Orat. xv. ad Theodosium, ubi inquit: *Cum Antonini Rom. Imp. cui ab eadem illa pietate cognomen fuit, siti premeretur exercitus, manus ille coelum sustulit, & hac* (inquit) *ego manu te placare volui, tibique vitae largitori supplicare, qua nulli eam eripui. Quo modo Deum prece ad pudorem adegit, ita ut e serenitate aeris venerint nubes aquam militibus ferentes;* & Claudianus in Carmine de IV. Honorii Consulatu, ubi ait,

Tunc contenta Polo, mortalis nescia teli,
Pugna fuit; Chaldaea mago seu carmina ritu
Armavere Deos; seu, quod reor, omne Tonantis
Obsequium Marci mores potuere mereri.

Huc spectant illi Imperatoris Marci nummi, in quibus cernitur Mercurius stans, & dextera pateram, sinistra caduceum gerens, his verbis circumscriptis, RELIG. AVG. IMP. VII. COS. III. quibus confirmatur narratio Dionis; necnon Marci Aurelii in Columna Antoniana, quae Romae adhuc superest, gesta anaglyphice insculpta, a Baronio aliisque descripta, & etiam aere elegantissime incisa.

XIV. *Ostenditur pluviam, de qua supra, impetratam fuisse Christianorum militum precibus.*

XIV. Ea est Gentilium Scriptorum de impetrata M. Aurelii militibus pluvia, quam recensuimus, opinio. Sed Eusebius lib. v. Hist. Eccl. cap. 5. ait Scriptores nostros veritatis cultores simpliciter atque ingenue litteris tradidisse, immissam pluviam illam precibus Christianorum, laudatque Apollinarem, & Tertullianum id asserentes. De Apollinari haec memoratus Historicus: „ *Ex his est Apollinaris, qui Legionem ipsam, cuius precibus id miraculum perpetratum est, exinde congruo rei vocabulo Fulmineam ab Imperatore cognominatam esse scribit.* Ad haec elevanda Critici quidam reponunt, Legionem *Fulminatricem* iam a tempore Augusti

gusti fuisse constitutam, ut ostendunt ex Dione lib. LV. Scaliger in Animadv. Eusebianis, & Valesius in Notis ad Eusebium: atque addunt, debuisse Eusebium ipsum explicare quisnam sit Apollinaris ille, an Hierapolitanus, an alius, & quo in libro haec tradiderit; eumdem postremo Eusebium rem in dubium revocasse; subiecit enim, ἀλλὰ ταῦτα μὲν ὅπη τις ἐθέλῃ τιθέσθω, *Sed haec pro suo arbitratu quisque statuat*. Sed nullius haec sunt ponderis: etenim Dio lib. LV. ait, *duodecimam Legionem Fulminiferam* ab Augusto fuisse cognominatam *in Cappadocia*; cum vero milites legionis Melitinensis, qui pluviam precibus impetrarunt, fuerint Cappadoces, nam ex Strabone lib. XII. Melitina in Cappadocia inter Commagenem, & Cataoniam sita est, spectabant ad legionem Fulmineam, quae etiam peculiari titulo ob percussos fulminibus Quados, vel Sarmatas, potuit regnante M. Aurelio vetusta appellatione insigniri. Apollinaris autem ab Eusebio laudatus, est Apollinaris Hierapolitanae Ecclesiae Episcopus; de quo cum Eusebius egerit supra lib. IV. cap. 27. & nullum alium Ecclesiasticum scriptorem eiusdem nominis hactenus laudaverit, & ulterius scripserit, ad se pervenisse ipsius Apollinaris Orationem ad M. Aurelium Imperatorem; necessarium non erat, ut lib. V. cap. 5. repeteret quis esset, & ubi ea narrasset citatus a se Apollinaris. Ea vero Eusebii verba, *Sed haec pro suo arbitratu quisque statuat*, referuntur ad leges latas adversus Christianos, non ad miraculum illorum precibus perpetratum, ut Eusebium legentibus apertum erit. Profert deinde Historicus Tertullianum; cuius in Apologetico cap. 6. haec sunt verba: *Ceterum de tot exinde Principibus ad hodiernum, divinum, humanumque sapientibus, edite aliquem debellatorem Christianorum. At nos e contrario edimus protectorem; si litterae M. Aurelii gravissimi Imperatoris requirantur, quibus illam Germanicam sitim, Christianorum forte militum precationibus impetrato imbri discussam contestatur*. In quo testimonio non est, cur morosis Criticis scrupulum moveat particula *forte*, quae latina est, ac praesertim apud Tertullianum, ceterosque Afros idem sonat, ac *fortuito*, per *fortem*; & si velis adverbium hic esse dubitandi, ut revera est saepenumero, non ad assertum Tertulliani refertur, sed ad M. Aurelii contestationem. Restat igitur, ut Christianorum militum precibus praenarratum miraculum adscribatur. Nec audiendi sunt Dio, Themistius, & Claudianus, quoniam mirum non est, Scriptores a Christiana fide alienos non credidisse miraculum, quod & ipsi commemorant, factum precibus Christianorum; praeterquamquod eorum Scriptorum aliqui illud tribuerunt Arnuphi praestigiis, ut Dio: aliqui M. Aurelii superbae preci, ut Themistius, qui etiam Antoninum Philosophum cum Antonino Pio confundit; aliqui an magicis incantationibus, an Imperatoris precibus sit adscriben-

bendum, definire non audent, ut Claudianus: nunquam denique memoriae proditum est, *Marcum Aurelium magorum societate, aut praestigiis fuisse delectatum*, quemadmodum ait Ioannes Xiphilinus in Dionis Epitome pag. Editionis Basileensis 567. Verum de M. Aurelio actum satis superque.

XV. *De aliis, qui secundo Ecclesiae Saeculo regnarunt, Romanis Imperatoribus.*

XV. Postea quam anno Chr. 180. decima septima die Martii decessit Marcus Imperatoriis virtutibus, si Christianorum vexationes excipias, ornatissimus, Romanum Imperium indeptus est L. Aelius Aurelius Commodus illius, ut credebatur, filius, sed quem Faustina uxor capta cuiusdam Gladiatoris amore, conceperat ex adulterio. Natus erat cum Antoninus Philosophus obiit annos decem & novem, imperavitque annis 12. mensibus 9. diebus 14. ac vixit annis 31. mensibus 4. ludo potius Gladiatorio, quam Imperio dignus, scurra, improbus, turpis, ac dissimillimus Aurelio. Tanta Commodus ambitione aestuabat, ut Vrbem Romam Commodianam, exercitus Commodianos, & diem, quo decernebantur, Commodianum appellari vellet, omnesque menses suis nominibus vocaret, Amazonium, Invictum, Felicem, Pium, Lucium, Aelium, Aurelium, Commodum, Augustum, Herculeum, Romanum, Superantem. Commodo tamen imperante, ut scribit Eusebius lib. v. Hist. Eccl. cap. 21. *Res nostrae in tranquilliore statu versabantur, pace per Dei gratiam cunctas orbis terrarum Ecclaesias complexa: atque interim salutaris Dei sermo ex omni genere hominum quamplurimos ad religiosum summi Numinis cultum pertrahebat.* Factum id favore Martiae Christianorum studiosissimae, quam Commodus immodice diligebat; tametsi eiusdem Martiae conspiratione, insidiisque Laeti, & Electi Cubicularii, in Balneo a Narcisso athleta suffocatus fuit pridie Kalendas Ianuarias Anno Christi 192. Haec ex Dione, qui tunc Romae aderat, & iubente Severo historiam Commodi scripsit, quae cum omnibus maxime placuisset, ad perscribenda cetera omnia, quae spectarent ad populum Romanum, virum praeclarissimum impulerunt. Successit Commodo P. Helvius Pertinax, opera Electi, & Laeti Praefecti Praetorii, quos nuperrime commemoravimus. De Pertinace inquit Dio, *Afer erat natione, ex civitate Alba Pompeia, patre ignobili, ita in studio litterarum versatus, ut ex iis parce ac tenuiter viveret: qua de causa cum Claudio Pompeiano familiaris fuisset, obtinuissetque tribunatum Equitum, eo pervenit postea, ut eidem Pompeiano imperaret.* Alba non in Africa sita est, sed in Gallia Cisalpina ad Tanarum fluvium, nunc a Ducatu Montisferrati avulsa: & nescimus quo iure Blondus asserat patriam Pertinacis fuisse Tropaeam Augusti, excisam Liguriae Vrbem, quam incolae Torobiam vocant. Magnam de se Pertinax excitaverat expectationem, blandus enim erat, clemens, & perquam familiaris, & affabilis; sed occisus est die 28. Martii anno 193. cum vix diebus 88. imperasset. Interfecto

fecto Pertinace, imperium a militibus mercatus est M. Didius Salvius Iulianus, qui eodem anno *III. Kal. Apriles* dictus fuit *M. Didius Severus Iulianus P. M. Tr. P. Cos. II. P. P. Imp.* ut apparet ex Nummis: verum & Didius venale imperium adeptus, capite a Senatu damnatus fuit, & a gregario milite trucidatus Kalendis Iunii, & dicto anno 193. cum imperasset dies 66. vixisset autem annos 60. menses 4. dies totidem. Ab ea die Kalendarum Iunii imperium coepit L. Septimius Severus fretus auctoritate Senatus, interim tamen Pescennio Nigro in Syria, & Clodio Albino in Brittania imperii auctoritatem sibimet usurpantibus. Albinum statim sibi conciliavit Severus oblata illi Caesaris dignitate; Nigrum vero apud Antiochiam bello superavit proximo anno 194. atque fuga elapsum apud Euphratem Severiani obtruncarunt. Cinxit deinde Severus obsidione Byzantium, quae Civitas pertinacius Pescennii Nigri partes fovebat, ac tandem anno 197. urbem illam ad deditionem coactam, murisque dirutis, Perintho, sive Heracleae urbi Thraciae contribuit. Tum Severus cum Albino ad Lugdunum pugnavit, eoque occiso, & urbe direpta atque incensa, solus rerum potitus est, tenuitque principatum usque ad annum Christi 211. quo mortuus est Eboraci in Anglia pridie Nonas Februarii, cum imperasset annos 17. menses 8. dies 3. Octavo itaque anno Imperii Severi ducentesimus Aerae Vulgaris, ac postremus secundi Christiani Saeculi finem habuit.

XVI. *Martyrium, atque Senatoria dignitas Apollonii.*

XVI. Sub Commodo tranquilliorem fuisse Ecclesiae statum, diximus num. praecedenti. Romae tamen accusatus ab homine quodam perditissimo martyrium subiit Apollonius, vir appellatus ab Eusebio lib. v. Hist. Eccl. cap. 21. *in humanioribus litteris, & in philosophia eximius*; & a Hieronymo in Catalogo, *Romanae Vrbis Senator*. Apollonium accusavit, prodiditque servus eius Severus nomine, atque ob legem Traiani ad Plinium prohibentem Christianos inquiri, & iubentem puniri delatos, ut diximus num. II. Apollonius capitali sententia damnatus est: ob legem vero Antonini, vel M. Aurelii, *ad Commune Asiae*, de qua num. VIII. statuentem, ut Christianorum delatores poenas luerent, iniquissimus accusator iudicio Perennis praefecti, de quo plura Lampridius in *Commodo*, fractis cruribus occisus fuit. Referunt Apollonii martyrium Petavius ad annum 187. Ruinart ad annum 185. & nonnulli Codices Chronici Eusebiani ad annum 188. Male tamen Apollonium dici a Hieronymo *Vrbis Romanae Senatorem*, post Iosephum Scaligerum in Animadversionibus Eusebianis, effutiunt cum Ioanne Clerico ad annum 184. num. 3. recentiores Critici, in suam sententiam trahentes obtorto collo Valesium, qui in Notis ad praecit. cap. 21. Eusebii demonstrat ex legibus Imperatoriis, ad Senatum, non ad Praefectum Vrbis, qualem constat fuisse Perennem, spectasse indicium

cium ferre de Senatoribus. Et id quidem recte sapienterque scripsit Valesius: sed ulterius animadvertens, Perennem utique pronuntiasse de proditore sententiam, sed ab Apollonio petiisse, *uti coram Senatu rationem fidei suae redderet;* atque cum Martyr Deo acceptissimus id elegantissima oratione fecisset, *capitali supplicio a Senatu fuisse damnatum*, quod in Actis ab Eusebio productis exprimitur: id, inquam, animadvertens Valesius ait: *Quidni vero credamus Hieronymo, qui & in lib. de Eccl. Script. & in Epistola ad Magnum tam diserte significat, Apollonium fuisse Senatorem? Etsi enim hoc distincte non dicit Eusebius, id tamen ex eius narratione omnino colligitur, ut supra ostendi. Deinde potuit Hieronymus legere Acta ipsa passionis Apollonii, ad quae nos ablegat Eusebius.* Adde quae de Perenne scribit in *Commodo Antonino* Aelius Lampridius: *Perennis cuncta sibimet vindicavit, quos voluit interemit, spoliavit plurimos, omnia iura subvertit, praedam omnem in sinum contulit*: ex quibus probe intelligis, ludicram futuram fore Scaligeri, & Clerici oppositionem, etiamsi Perennis adversus Romani populi iura dixisset sententiam in Senatorem. Fuit itaque S. Apollonius Martyr Ordinis Senatorii, ut habetur quoque in Martyrologiis ad diem XIV. Kalendas Maias.

XVII. *Quanta fuerit in Severo crudelitas.*

XVII. De iis, qui Severo imperante martyrium perpessi sunt, agam postrema proximi Saeculi Dissertatione: *Quinta* enim Ecclesiae persecutio, sub eodem Severo exorta, erupit secundo Saeculo iam transacto. Interim qualis fuerat Severi crudelitas commonstrat Iulius Crispus tribunus praetorianorum militum, quem Severus Imperator iussit occidi, propterea quod defessus belli laboribus cecinerat versus Maronis Aen. XI.

> *Scilicet, ut Turno contingat regia coniux,*
> *Nos animae viles, inhumata, infletaque turba*
> *Sternamur campis.*

Commonstrat Laetus vir prudentissimus, & militum ductor, quem Severus occidit causam nullam habens, praeter invidiam; & ne cetera narrem, quae apud Dionem, & Xiphilinum legi possunt: commonstrat caedes Britannorum, quam iussit recitatis ad milites his versibus, ex Iliade Homeri latine redditis:

> *Nemo manus fugiat vestras, caedemque cruentam*
> *Non fetus, gravido mater quem gestat in alvo,*
> *Horrendam effugiat cladem.*

Verum in Historia secundi Ecclesiae Saeculi elucubranda, seu potius in Epitomen redigenda, satis versati sumus.

DISSERTATIONES

IN QVIBVS

TERTII CHRISTIANI SAECVLI

ECCLESIASTICA HISTORIA

COMPREHENDITVR.

DISSERTATIO I.

DE ROMANIS EPISCOPIS
QVI SEDERVNT TERTIO CHRISTIANI NOMINIS SAECVLO.

I. NONO Victoris Romani Pontificis anno, Severi Imperatoris 8. eodem Severo cum Aufidio Victorino Consulatum gerente, illuxit tertium Christianum Saeculum. Victorem enim ab anno 192. usque ad annum 201. sedisse, eodemque anno affectum martyrio VIII. Kal. Augusti diximus Differt. I. Saeculi praecedentis num. 12. Ecclesiam autem Romanam, postea quam Victor ad superos emigravit, tertio Christiani nominis Saeculo gubernarunt Zephyrinus, Callistus, Vrbanus, Pontianus, Antherus, Fabianus, Cornelius, Lucius, Stephanus, Sixtus II. Dionysius, Felix, Eutychianus, Caius, & Marcellinus: quos omnes tanquam Sanctos veneratur Ecclesia.

I. *Enumerantur Pontifices tertii Saeculi.*

II. In annis Zephyrini supputandis discrepant eximii Viri. Nam Pagius ad annum 219. num 2. contendit sedisse annos decem & novem, menses undecim, dies quinque, obiisse autem anno 217. die 10. Iulii, siquidem in eius sententia Pontificatum inierat anno 197. die 10. Augusti. Fulcitur autem haec sententia Liberiano Catalogo, aliisque monumentis, ex quibus constat, Zephyrinum obiisse Coss. *Praesente, & Extricato*, quorum Consulatus in praedictum annum 217. incidit. Neque a Pagio dissentit Cl. Blanchinus, qui in Notis Chronologicis demonstrare adnititur, assignanda esse Zephyrino viginti Paschata; id, quod novemdecim annos, & complures menses requirit. Adhaeret eidem Chronologiae in Annalibus Italiae Vir Cl. Ludovicus Muratorius. At licet horum virorum auctoritate haec Chronologia comprobari valeat; figendum tamen arbitramur Zephyrini obitum anno Christi 219. die 26. Augusti: primum quoniam id afferunt fere omnes Chronologi cum Petavio lib. XIII. de Doctr. Temp. Deinde, quia ab eadem Chronologia non dissentit Baronius consignans Zephyrini mortem anno 221. siquidem Baronianam sup-

II. *Statuitur S. Zephyrini Chronologia.*

supputationem biennio decurtandam esse diximus alibi : ulterius quoniam Zephyrino annos septemdecim, praeter menses aliquot, adtribuit Eusebius in *Chronico* : postremo quoniam in tanta auctorum discordia, illam viam sequi volumus, quae planior est, nec ab ea, quam semel arripuimus, in invia deflectit. Itaque Zephyrinus decessit Anno Christi 219. VII. Kal. Septembris. Ac de anno quidem dictum satis. De die autem nos dubitare non sinunt Martyrologia, Graecorumque Menaea, quae cum Anastasio docent, Zephyrinum *in Coemeterio suo* fuisse sepultum die 26. Augusti. Florentinius, quem & Tillemontius sequutus est, putat Zephyrinum obiisse die 20. Decembris, quoniam in Martyrologio Hieronymi, Vandelberti, & Rabani, ea die colitur eiusdem Pontificis memoria; ideoque idem Tillemontius cogitur asserere, Zephyrinum sedisse duntaxat annis 17. & falsum esse Eusebium. At non consignatur in praelaudato Hieronymi Martyrologio diei 20. Decembris Zephyrini obitus, sed memoria tantummodo, quae saepenumero ob translationem, vel ordinationem, certa die Sanctorum Fastis inseritur. Non est ergo, cur ab Eusebio, & a vulgata Chronologia recedamus.

III. *Quaedam S. Zephyrini Acta explanantur.*

III. Zephyrino in *Pontificali Romano* tribuitur, quod constituerit, *Levitas, & Sacerdotes ordinari in praesentia omnium Clericorum, & Laicorum fidelium*. Statuisse item fertur, ut Ministri *patenas vitreas* in Ecclesiam ante Sacerdotes portarent; ipsi quoque adscribuntur Decretales duae, una ad Episcopos Siciliae, altera ad Aegyptios. De priori constitutione nil est, cur in dubium revocetur. Debent enim qui ad sacra ministeria eliguntur, bonum testimonium habere, fuitque vetus in Ecclesia disciplina, ut ordinationes peragerentur in Concilio Clericorum, ac fidelium, ne deesset testimonium, ut constat ex Can. *Reliqui*, dist. 67. & Can. *Episcopus* dist. 24. Patenas vitreas Zephyrinus constituit, ut cum maiori munditia Corpus Domini distribueretur fidelibus, ut recte monet Card. Bona lib. 1. Rerum Liturg. cap. 25. Quod vero ibidem doctissimus Cardinalis negat, patenas illas vitreas Sacrificio non deservisse, nec Zephyrini decretum ad Calices, qui vitrei fuerint, extendi posse; gratis dictum opinor. Sacra enim vasa, & praesertim Calices, fuisse hac aetate vitrea, haud obscure demonstrat Tertullianus in Libro de Pudicit. cap. 7. & 10. ubi ait, in Calicibus, quos & facile frangi significat, picturas pastoris, & pecudis *perlucere*. Huius generis fuerunt Calices, de quibus Baronius in Notis ad Martyr. VII. Idus Augusti, quorum unum a Paganis fractum instauravit S. Donatus Episcopus Arretinus. Plura in Roma Subterranea lib. VI. cap. 18. Paulus Arringhus, atque in Opusculo Italico de Vitris repertis in Coemet. Rom. Cl. Florentinae Urbis Senator *Buonarrota*. Eucharistiam vitreis patenis tradendam populo appellat Liber Pontific. *Coronam consecratam*. Fuit ergo, ut modo, olim Sacra Hostia figurae circularis. Gregorius lib. IV.

lib. IV. Dialog. cap. 4. *oblationum coronas* commemorat. Praelaudatae duae Decretales censentur apocryphae, propterea quod in utraque S. Prosperi, aliorumque posterioris aetatis legantur sententiae.

IV. Num S. Zephyrinus Montanistis adhaeserit?

IV. Tertullianus libro adversus Praxeam cap. 1. ait, *Episcopum Romanum* (Zephyrinum intelligendum, aut Victorem non dubitamus) *agnoscentem iam prophetias Montani, Priscillae, & Maximillae, & ex ea agnitione pacem Ecclesiis Asiae, & Phrygiae inferentem, falsa de ipsis prophetis & Ecclesiis eorum asseverando, & praecessorum eius auctoritates defendendo, coegit & litteras pacis evocare iam emissas, & a proposito recipiendorum charismatum concessare.* His verbis, quae Tertullianus scripsit, postquam ad Montanistas defecerat, conantur nonnulli demonstrare, Zephyrinum adhaesisse Montanistis, approbasse falsas illorum prophetias, eisque pacem restituisse; quamvis navante operam Praxea, de qua re conqueritur Tertullianus, eos rursus a communione seiunxerit: urgentque hoc factum heterodoxi ad irreformabiles Romanorum Pontificum definitiones elevandas. At urgent illud imperite, & inique. Primum quia S. Optatus Milevitanus Episcopus lib. 1. de Schismate Donatistarum num. 9. testatur, Marcionem, Praxeam, Valentinum, & Cataphrygas, scilicet Montanistas, tum ab aliis, cum a *Zephyrino Urbico* fuisse devictos ac superatos: phrasi autem Optati *Zephyrinus Urbicus* nihil sonat aliud, quam *Zephyrinus Episcopus Urbis Romae*, ut Albaspineus, aliique Viri clarissimi observarunt. Deinde ex Eusebio lib. VI. cap. 14. constat, post celebrem disputationem habitam Romae inter Proclum Montanistam, & Caium Catholicae Fidei propugnatorem, Zephyrinum contra Fanaticos, idest, ipsos Montanistas pronuntiasse anathema: quod & scribit S. Hieronymus Catalogo Eccl. Script. in *Caio*. Constat etiam ex eodem Eusebio lib. V. cap. 27. Zephyrinum ad poenitentiam & communionem recepisse Natalem, seu Natalium, Melchisedecianae sectae pseudoepiscopum, & revocatum ad frugem; quod utique nunquam Montanista, fores poenitentibus occludens, praestitisset. Vide supra in Hist. secundi Saeculi Dis. III. num. 17. Praeterea idem Tertullianus de Pudicitia cap. 1. ait: *Audio edictum esse propositum, & quidem peremptorium; Pontifex scilicet Maximus, Episcopus Episcoporum dicit: Ego & maechiae, & fornicationis delicta poenitentia functis dimitto:* nimirum Tertullianus his verbis aegre fert, impendi Romani Pontificis edicto remissionem lapsis adversus scita Montanistarum. Etsi autem doctissimus Ursius in Hist. Eccl. ad annum 211. putat his verbis a Tertulliano ironice carpi Episcopum Carthaginiensem; Pamelius tamen, Baronius, aliique Viri Cl. docuerunt in Romanum Pontificem, & quidem in Zephyrinum, eadem verba ab homine Montanista effundi; quod utique perspicuum apertissimumque videtur. Nulli ergo haereticorum adhaesit

haesit S. Pontifex Zephyrinus, sed potius cum haereses omnes, sua exortas aetate confixerit, a discipulis Artemonis, ceterisque Sectariis appellabatur veritatis corruptor ac depravator, ut vidimus in Historia II. Saeculi Diss. III. num. 18. Quare ad testimonium Tertulliani petitum ex cap. 1. adversus Praxeam respondemus, primo Tertullianum Montanistam, ac de Montanistis agentem turpiter delirare; tum ex eodem loco apparere, illo quoque vetusto tempore Romani Pontificis munus fuisse in haereticos sententiam dicere, poenisque Ecclesiasticis animadvertere: postremo etsi Zephyrinus pacificas litteras dedisset Montanistis, eosque, causa penitius inspecta, a communione amovisset, quod unum litteris tradidit Tertullianus, non tamen illorum approbasset deliramenta; sed errore tantum facti, qui error circa personas versatur, non circa dogmata, fuisset deceptus, ut lib. IV. de Rom. Pontifice cap. 8. docet Eminentissimus Bellarminus. Legite Natalem Alexandrum Diss. I. Saeculi Tertii.

V.
De S. Callisto Papa ac Martyre.

V. Zephyrino, quem nuper a Montanistarum haeresi vindicavimus, in Romano Pontificatu successit S. Callistus. Huius Pontificatus ab anno 219. iuxta Baronium 221. usque ad annum 224. & iuxta Baronium 226. quo martyr occubuit, videtur definiendus; cumque ad supremum Ecclesiae regimen evectus fuerit postridie Kalendas Septembris, sederit autem annos quinque, mensem, & dies duodecim, sequitur coronatum fuisse martyrio postridie Idus Octobris, praedicto anno 224. Pagius tamen martyrium S. Callisti referendum putat ad annum 222. nam electum Pontificem censet Praesente, & Extricato Coss. idest anno 217. aliique ad sententiam Pagii accessere, quod Catalogus Liberianus, & Anastasius sedisse Callistum afferant usque ad Consulatum Antonini, & Alexandri, incidentem in annum praedictum 222. Sed alibi tertius, alibi quartus Antonini Consulatus in Pontificum Catalogis notatur, nec ubique notae Consulum accurate apponuntur. Callistum in Coemeterio Calepodii Via Aurelia fuisse sepultum pridie Idus Octobris, affirmant antiqui Catalogi: eademque die colitur eius memoria in Rom. Martyrologio. Consentit Indiculus depositionis Martyrum apud Bucherium, ubi legitur, *Pridie Idus Octobris Callistus, in Via Aurelia, milliario tertio;* necnon antiquum Kalendarium editum a Frontone, in quo habetur: *XIV. die mensis Octobris Nat. S. Callisti Pontificis.* Ex horum collatione apparet, eadem die Octobris 14. Sanctum Callistum affectum fuisse martyrio, & sepultum; tametsi in Actis editis a Mombritio narretur, ante dies septemdecim fuisse demersum in puteum, & ingestis ruderibus suffocatum. Sed haec Acta corrigenda recte sapienterque monet Blanchinus. Dicitur Callistus *Romanus, ex patre Domitio, & de regione Urbe Ravennatio.* Ea est regio Transtiberina, ubi olim Horti Domitii, & Castra Ravenna-

venna-

Vennatium. Ibidem, ac forte in fundo ad Gentem suam pertinente, Callistus Basilicam aedificavit, quam promiscue appellant S. Mariae Transtiberim, & Callisti. Conspicitur ibidem sub Ara maxima locus, unde fama est, circa tempora Dominicae Nativitatis oleum abunde fluxisse cum inscriptione, *Fons olei*. De hoc fonte Orosius lib. VI. cap. 19. & Baronius in Apparatu. Refertur tamen prodigium istud ab Eusebio ad annum tertium Triumviratus, qui est V. C. 713. & 41. ante Aeram Vulgarem. Adscribuntur Callisto Decretales duae, necnon institutio ieiunii in die Sabbati ter in anno servandi. At Decretales illae communi eruditorum consensu commentitiae censentur. Prima enim ad Benedictum quemdam Episcopum incipit verbis Epist. 9. Gelasii, qui Pontificatum indeptus est anno 492. & altera ad Episcopos Galliarum incipit verbis Epist. 1. Simplicii, qui Pontifex Maximus renunciatus est an. 467. Ieiunium vero Sabbati in memoriam Christi, eiusque Corporis in sepulcro quiescentis in Ecclesia vetustissimum esse multiplici auctoritate demonstrat in Notis ad Anastasium Sect. 17. doctissimus Altaserra.

VI. Quoniam vero laudatus Anastasius ait de Callisto, *Fecit alind Coemeterium Via Appia, ubi multi Sacerdotes & Martyres requiescunt, quod appellatur usque in hodiernum diem Coemeterium Callisti*; occasionem hinc arripuerunt nonnulli hoc in loco pertractandi de Coemeteriis urbis Romae: de quibus fusiori stilo scripserunt Panvinius, Blosius, Aringhus, Boldettus, necnon ad Annum 226 Cardinalis Baronius. Vt idem & nos praestemus, Coemeteriorum nomen, ac numerum exponemus. Coemeterium igitur, *Κοιμητήριον*, Graecum nomen est, a verbo, *κοιμᾶσθαι*, *Dormire*; unde Coemeteria idem significant, ac *Dormitoria*: congruitque maxime hoc nomen sepulcris fidelium, quorum mors ob futuram resurrectionem somno aequiparatur; unde in sacris litteris mors iustorum his verbis exprimi solet, *dormivit cum patribus suis*; & Iudaei ipsorum iustorum sepulcra appellare consueverunt: בית־חיים, Beth Haiim, *Domum viventium*. At Coemeteria urbis Romae peculiari nomine Catacumbae dicta sunt a Graeco vocabulo *Κατὰ*, & *κουμβα*, qua postrema dictione iuxta Hesychium Graecorum Grammaticorum doctissimum designatur *cavus profundusque recessus*. Eadem Coemeteria recte ornateque describuntur a Prudentio hymno XI. *περὶ στεφ*. Appellantur quoque Cryptae, & areae, a Tertulliano, Hieronymo, aliisque Patribus. Sunt autem vetusta Vrbis Romae Coemeteria supra quadraginta, nempe, Vaticanum, ubi Basilica Principis Apostolorum; Calepodii Via Aurelia: ibidem Iulii: Lucinae, sive SS. Martyrum Processi & Martiniani in eadem via: S. Felicis in Via Portuensi: S. Pontiani ibidem iuxta Tiberim: Generosae ad Sextum Philippi: Iulii Papae alterum in regione S. Pauli: Lucinae alterum Via Ostiensi, ubi Basilica S. Pauli: S. Cy-

VI. *De Coemeteriis Vrbis Romae.*

riaci in eadem via: Timothei praedicto Coemeterio Lucinae proximum: S. Zenonis ad Aquas Salvias: Callisti in Via Appia: Zephyrini eadem in Via: Coemeterium S. Caeciliae: Praetestati iuxta portam Appiam: S. Balbinae, & S. Marci Papae inter Viam Appiam & Ardeatinam: S. Petronillae & SS. MM. Nerei & Achillei in ipsa Via Ardeatina. Soteris Virginis in Via Appia: Damasi iuxta eamdem Viam: Hermetis, & Nicomedis ibidem: Aproniani Via Latina: Anastasii Papae in Exquilino: SS. Eusebii & Marcelli: SS. Tiburtii, Marcellini, ac Petri, necnon SS. Quatuor Coronatorum in Via Lavicana: B. Castuli & Zotici eadem in Via. B. Cyriacae in Agro Verano prope Viam Tiburtinam, ubi Basilica S. Laurentii: S. Alexandri Papae in Via Nomentana: SS. Primi & Feliciani ad Arcus Nomentanos: proximum S. Restituti: S. Agnetis in eadem Via magis moeniis Vrbis propinquum: Priscillae in Via Salaria: Illi continguum Ostrianum: ibidem Coemeterium S. Felicitatis, Iordanorum quoque appellatum: S. Hilariae ab Hadriano I. instauratum: Proti & Hiacinthi in eadem Via Salaria non procul ab Vrbe: Novellae eadem in Via: ad Clivum Cocumeris: SS. Valenrini M. & Iulii Papae in Via Flaminia: Crypta Nepotiana in Vico Patritii: Ad Vrsum pilearum, sive ad S. Bibianam; aliaque plura, quae tamen praedictorum Coemeteriorum fuisse partes videntur. Haec fuisse monumenta Gentilium, & a quinto duntaxat Saeculo illuc illata Christianorum cadavera Burnetus, aliique Novatores contendunt. Sed facillimum est hanc falsitatem refellere. Primum quoniam Gentiles, ac Romani praesertim, mortuorum corpora igne cremabant; quod demonstranr ollae cinerariae in Romano Agro quotidie repertae: immo Christianis Ethnici opponebant, quod cadavera consueto more non incenderent, quam accusationem diluens Minucius Felix inquit: *Nec, ut creditis, ullum damnum Sepulturae timemus, sed & veterem & meliorem consuetudinem humandi frequentamus*. Deinde consuetum semper fuit Catholicis commune cum Gentilibus & Haereticis sepulcrum damnare, & horrere. Praeterea Christiani timentes ne aliquando infidelium corpora easdem in cryptas asportarentur, caute loculos symbolo aliquo praesignarunt, ut navis, piscis, columbae, phaenicis, adiectis etiam signis martyrii monumentis eorum, qui sanguinem pro Christo fuderunt. Demonstrant insuper Ecclesiastica monimenta, ab ipsis Ecclesiae incunabulis viros, feminasque pietate celebres, ut Priscillam, Lucinam, Praxedem, Anicetum, Pastorem, sepeliendis martyrum cadaveribus dedisse operam, atque in hunc finem thermas, domorum suarum abditas cryptas, ac praedia destinasse. Demum, ut de Coemeteriis nonnullis loquamur, nonne in Coemeterio Priscillae Via Salaria tumulati fuerunt Pudens Senator, & Martyres; quorum sanguinem Praxedes spongia colligebat, ac

ac Praxedes ipsa a Pastore Presbytero? In Coemeterio Praetextati SS. Martyres Quirinus, Tiburtius, Valerianus & Maximus? In Coemeterio Callisti Pontifices Sanctissimi Anicetus, Soter, Zephyrinus, Pontianus, Antherus, Fabianus, Cornelius, Lucius, Stephanus, Sixtus II. cum ipsius Diacono Quarto, Dionysius, Eutychianus, Eusebius, Melchiades, & invictissimus Christi athleta Sebastianus? In Coemeterio demum Calepodii, neque enim per singula rursus vagabimus, annon fuerunt reconditi SS. MM. Iulius Senator & Antoninus, qui sub Commodo passi sunt, Callistus de quo agimus, & Palmatius Consul cum Filiis, atque Felix, & Blanda ab eodem Callisto baptizati; aliique permulti? Sed de Callisto, & de Coemeteriis Vrbis Romae dictum satis.

VII. *De S. Vrbani Pontificatu, rebusque ab eo gestis.*

VII. Callisto itaque, quem diximus martyrio coronatum anno Christi 224. pridie Idus Octobris, successit S. Vrbanus filius Romani civis Pontiani, seditque iuxta Baronium, Petavium, vulgarisque Chronologiae Sectatores, annos sex, menses septem, ac dies quatuor, martyrio affectus die 25. Maii an. 231. Baronio 233. ac sepultus in Coemeterio Praetextati Via Appia. At qui Pagii sequuntur Chronologiam Vrbano adtribuunt annos 8. menses 11. dies 12. eiusque Pontificatum ab anno 222. usque ad annum 230. protrahendum affirmant. Ita ad eamdem supputationem omnes paullatim accedimus, & conveniemus adamussim paullo infra in *Anthero*. De S. Vrbano litteris traditum est, fecisse *omnia ministeria argentea*, sacra scilicet vasa Altaris ministerio inservientia, quae antea, ut diximus in *Zephyrino*, vitrea erant. Quum apud Anastasium legatur numerus xxv. Cl. Blanchinus coniecit, omnia vasa argentea ab Vrbano fuisse fabrefacta in xxv. Titulis; sed non credimus tantam fuisse eo temporis Ecclesiastici Thesauri amplitudinem: amulasque argenteas, & cochlearia, quorum figuras idem Blanchinus exhibuit, tertii fuisse Saeculi non evincitur. Cardinalis Bona lib. 1. Rer. Liturg. cap. 25. ait, ante Vrbanum vasa Ecclesiae fuisse argentea, idque evinci ex facto S. Laurentii, qui eadem vasa in usus pauperum vendidit, ac distribuit: sed Laurentius anno 258. aut 259. in persecutione Aureliani post Sixtum II. cuius Diaconus fuerat, martyrium perpessus est. Commemorant recentiores quidam hoc loco post doctissimum Mabillonium vasa sacra Vaticanae Basilicae, de quibus fit mentio apud Orosium lib. vii. cap. 39. ubi agit de Vrbis direptione facta per Alaricum. Sed & haec direptio longe posterior est, atque in annum 410. referri debet. Ad Vrbanum potiori iure spectat plurium ad Christi fidem conversio: inter quos commemorandi sunt Caecilia nobilissima Virgo, cuius domum idem Vrbanus consecravit in Titulum; Valerianus eiusdem Caeciliae sponsus, Tiburtius Valeriani frater, & Maximus Cubiculo Imperatorio Praefectus. Horum omnium Corpora a

S. Paſchali Papa divinitus inventa anno 821. in ipſam ſacram Caeciliae Aedem fuerunt translata. Vide Chronicum Sigeberti, & Baronium in Notis ad Martyrologium Romanum x. Kalendas Decembris. Dixi hactenus de Vrbano.

VIII. *S. Pontiani Pontificatus, dies obitus, martyrium, & Decretalium ſuppoſitio.*

VIII. Nunc de S. Pontiano agendum eſt, qui S. Vrbano ſucceſſit, iuxta praemiſſam Chronologiam anno 231. iuxta Baronium 233. iuxta Pagium 230. ſedit autem Pontianus ab anno 231. uſque ad annum 235. quo anno Maximini iuſſu fuſtibus caeſus martyrium conſummavit eodem anno XIII. Kal. Decembris, ut affirmat Baronius, & erui videtur ex Martyrologio Romano; ſive potius, ut opinio fert noſtra, III. Kal. Octobris. Quod ut appareat, ſciendum eſt, Pontianum in Sardiniam inſulam relegatum fuiſſe imperante Alexandro Severo, qui interfectus fuit anno Chriſti 235. die 14. Martii, martyrio autem affectum a Maximino, ut mox dicebamus, in eadem inſula exilio, aerumniſque fere confectum. Loco autem Pontiani, ut infra videbimus, ordinatus eſt Antherus XI. Kal. Decembris eodem anno 235. At quommodo fieri potuit, ut Pontianus in Sardinia obiret die 19. Novembris, ac die 21. Anterus Romae adminiſtrationem Eccleſiae ſuſciperet? Animadvertenda ſunt igitur quae de Pontiano leguntur in Catalogo Romanorum Pontificum ſub Liberio, & in altero ſub Felice IV. exarato. In illo haec habentur: *Diſcinctus eſt IV. Kal. Octobris;* in iſto autem, *In eadem inſula* (Sardinia) *afflictus, fuſtibus maceratus III. Kal. Novembris.* Haec facile conciliantur, ſi dicamus, Pontianum pulſum fuiſſe in exilium, & abdicaſſe Pontificatum anno 234. die 28. Septembris, affectumque martyrio anno 235. *die* 30. *Octobris.* Conſentit Anaſtaſius ſcribens, *In eadem inſula defunctus eſt III. Kal. Novembris.* Quare memoria S. Pontiani in tabulas Eccleſiaſticas ad diem 19. Novembris relata fuit, quoniam ea die corpus eius, ſedente Fabiano, ideoque poſt obitum Antheri, atque, ut exiſtimamus, anno 236. e Sardinia translatum, ſepultum fuit in Coemeterio Calliſti. Atque ita Pontianus adinvenitur ſediſſe annos quatuor, menſeſque quatuor, ut habetur in Libro Pontificali. Martyrium Pontiani in omnibus Martyrologiis, Romano praeſertim, Bedae, Vſuardi, & quod S. Hieronymi nomen praefert, necnon in Kalendario Bucheriano, ceteriſque monimentis aſſeritur; neque illud in dubium revocare audent qui de primorum Pontificum martyrio inique iudicarunt, Dodwellus Diſſ. XI. Cyprianica, Baſnage Tom. II. Annal. pag. 311. & Auctor Hiſt. Eccl. a *Sylvagio Canturani* Italice traductae Part. II. pag. 19. Decretales duae adſcriptae Pontiano, ut inquit Franciſcus Pagius, cum ex Gregorii Magni laciniis conſutae ſint, ab omnibus viris eruditis tanquam ſuppoſititiae exploduntur.

IX. *Expungitur ex Romanorum Pontificum ſerie Cyriacus.*

IX. Nonnulli poſt S. Pontianum ſediſſe putant Cyriacum; nam & hunc eſſe inter Pontifices connumerandum colligunt I. ex Actis SS. Vrſulae & XI. M. Virginum. II. Ex revelationibus S. Eliſabeth

beth

beth Schonaugiensis, de qua Bollandiani Vol. III. mensis Iunii. III. Ex Quinto Decretalium, Notisque praestantissimi Iureconsulti Ioannis Andreae, qui exemplo Cyriaci demonstrat, posse Romanum Pontificem sese abdicare Pontificatu. IV. Ex insigni Theologo Aegidio Romano in Opere *de Renunciatione Papae*, ubi idem Cyriaci exemplum profert ad comprobandam S. Coelestini V. abdicationem. V. Ex vetustioribus Breviariis ad diem 21. Octobris, Vrsulae, Sociarumque, atque S. Pontificis Cyriaci martyrium enarrantibus. „ Verum docte sapienterque Cardinalis Baronius ad Annum 237. At non audiendi penitus recentiores quidam, qui post Pontianum introducunt Cyriacum quemdam Romanum Pontificem, cuius nulla prorsus extat mentio in serie Romanorum Pontificum a Latinis descripta, uti in Libro de Romanis Pontificibus, vel apud Optatum Milevitanum, vel Augustinum, aut Cresconium, aliosque Indices Vaticanos; nec apud Graecos, ut Eusebium, Nicephorum Chronographum, vel alios; adeout ne digna quidem sit quae pluribus confutetur sententia, quippe quae nulla penitus nitatur ratione, vel testimonio antiquorum, ex commenticiis tantum Actis Martyrii Vrsulae, & Sociarum. „ Quare ad ea, quae obiiciuntur respondemus, Acta SS. Vrsulae ac Sociarum esse supposititia, neque alia ratione recipienda, nisi ut continentur in Vaticano Codice num. 944. atque referuntur ab eodem Cardinali Baronio in Notis ad Martyr. Rom. eodem anno XII. Kal. Novembris. Deinde non sub Maximino, ac tertio Saeculo SS. illae Virgines passae fuerunt, sed sub Gauno Hunnorum pirata, anno Christi 453. iuxta Chronicum Sigeberti. Ad haec si passae quoque fuissent sedente Anthero successore Pontiani, Cyriacus una cum illis martyrio affectus, esset idem ac Antherus, ut contendit in *Vindiciis Vrsulinis* Hermannus Crambachius circa Antheri nomen ludum ludens, atque ingenue fassus, non posse Cyriacum diversum ab Anthero in Pontificum seriem intrudi. Nequit ergo ex Actis Vrsulinis statui Pontificatus Cyriaci. In Revelationibus quoque S. Elisabeth Schonaugiensis multa inveniuntur a veritate aliena, & communi opinioni adversantia, neque sunt eaedem Revelationes iudicio Ecclesiae, & auctoritate Romanorum Pontificum approbatae. Ioannes autem Andreas, seu potius Dominicus a S. Geminiano, & Aegidius Romanus, differentes de Renunciatione Papae, ex vulgari opinione, qua saepenumero Scholastici & Iurisconsulti decipiuntur, Cyriaci Pontificis meminerunt, atque ex iisdem lacunis in Breviaria, a quibus tamen abrasa fuere, pseudographa Vrsulae Acta cum Cyriaci mentione irrepserunt.

X. *Brevis S. Antheri Pontificatus describitur, Martyrium asseritur, Decretalis discutitur.*

X. Antherus igitur, non Cyriacus, Pontiano successit. De Anthero in Liberiano, ceterisque Catalogis habemus, suffectum fuisse Pontiano XI. Kal. Decembris, idest die Novembris vigesima prima. Habemus itidem apud Anastasium, praestantioresque Catalogos, sedisse

disse Antherum mensem unum, diesque nonnullos; omnesque fatentur obiisse III. Nonas Ianuarias Coss. Iulio Maximino Augusto, & Iulio Africano. Sedit ergo Antherus a die 21. Novembris anni 235. usque ad diem 3. Ianuarii anni sequentis 236. Fertur, Antherum fuisse natione Graecum, & iussisse Notariis, ut Acta Martyrum diligenter inquirerent, litterisque mandarent, eamdemque ob causam a Maximo Praefecto Vrbis fuisse interfectum. Recte monet ad Annum 238. Baronius legendum esse, *a Maximini praefecto*, cum praefectus Vrbis esset Sabinus, praefectus autem Praetorio Vitalianus; nisi mavis Antherum affectum martyrio, ut in Vitis Pontificum narrat Platina, propter Maximum, aut Maximinum presbyterum, ac martyrem, cuius acta inquirens & ipse Antherus fuerit comprehensus: quod probo quammaxime. Nam etsi modo in *Pontificali* legatur, *A Maximo Praefecto martyrio coronatus est*; in Codicibus tamen vetustioribus habetur, *Propter quemdam Maximum presbyterum, qui martyrio coronatus est*. Martyrium S. Antheri in dubium revocatur a doctissimo Ruinartio Praefat. in Acta Martyrum, propterea quod in Catalogo Liberiano nulla facta martyrii mentione legitur, *Dormit III. Nonas Ianuarii*; infirmum admodum argumentum; siquidem Act. 7. eadem phrasi describitur obitus protomartyris Stephani. Vindicant vero S. Antheri martyrium Ioannes Bollandus Tom. 1. Ianuarii pag. 127. Tillemontius Tom. 3. Adnot. in Antherum, & Benedict. XIV. lib. 1. de Canoniz. SS. cap. 3. aliique eruditione ac pietate praestantes viri; extantque de eodem martyrio in Pontificali Damasi, in antiquo Martyrologio Rosweidi, in Romano, aliisque apertissima testimonia. Eidem Anthero attribuitur Decretalis Epistola ad Episcopos Provinciae Boeticae, & Toletanae, quam eruditi viri inter spurias amandant; primum quia continet plura ex Ennodio, & Hieronymo deprompta, deinde quia idem habet cum secunda Syricii Epistola exordium; ac demum quia aetate Antheri Taletum exiguum erat oppidum, non tale, a quo aliqua denominaretur provincia. Hactenus de Anthero.

XI. *De S. Fabiano.*

XI. Post ipsum autem Antherum tenuit Romanum Pontificatum S. Fabianus ex Fabia gente inter Vrbis illustriores connumerata, vir nobilissimae memoriae, quemadmodum appellatur in Litteris a Clero Romano post eius obitum scriptis ad Beatissimum Martyrem Cyprianum. Sedit Fabianus usque ad annum Christi 250. quo Romae exorta saevissima Decii persecutione, martyrio coronatus est die 20. Ianuarii, ipso Decio II. & Grato Coss. Conveniunt in anno ipsius martyrii Catalogi Romanorum Pontificum, Martyrologium Florentinii, aliaque Vetustiora, agitque de hac Fabiani Epocha etiam Norisius Diss. III. de Epochis Syromacedonum. Anni vero, quibus Fabianus sedit in Petri Cathedra, in Liberiano, Colbertinis, aliisque Catalogis pluribus, necnon in picturis Paulinae Basilicae, enume-

rantur

rantur 13. mense uno, ac diebus decem adiectis, in aliis Ecclesiasticis monimentis 14. recensentur: quae facile conciliantur, si hunc numerum ad mortem Antheri, illum ad Fabiani ordinationem referamus. De Fabiano plura notatu digna narrantur; ac primum, quod columba super eius caput expansis alis advolante, in Pontificem Maximum fuerit electus: deinde quod regiones Urbis diviserit Diaconibus; ac septem Notariis, qui Acta SS. Martyrum colligebant, septem Subdiaconos praefecerit: tertio Romam Fabiano sedente venisse ex Africa Novatum, qui Novatianum separavit ab Ecclesia: insuper confirmatam a Fabiano sententiam in Africano Concilio xc. Episcoporum latam adversus Privatum haereticum. Adde S. Fabiani caput cum aliis Reliquiis in Sacello Excellentissimae Familiae Albanae anno 1712. magnificentissime extructo asservari ad S. Sebastianum Via Appia, ubi perantiquum sacratissimumque Coemeterium Callisti. De Philippo Imperatore, quem a S. Fabiano baptizatum referunt vetusta S. Pontii M. Acta apud Baluzium & Bollandum, agemus Dissertatione quinta.

XII. *S. Cornelii aetas, Synodus, Martyrium, & Epistolae.*

XII. Cum Martyrii itaque palma defuncto Fabiano xii. Kalendas Februarias an. 250. mensium 16. ac dierum 14. Interpontificium fuit, nullo interim electo Episcopo, *propter rerum, & temporum difficultates*, ut legitur Epistola 31. inter Cyprianicas. Profecto autem Decio ad Gothos debellandos anno 251. statim Romae Ecclesia colligitur ad successorem Fabiano constituendum; electusque, & coactus ut Episcopatum susciperet S. Cornelius, totius Cleri, & sexdecim, qui Romae forte tunc aderant, Episcoporum suffragiis. Tempus, quo Cornelius sedit, incertum: nam in Indiculo Bucherii sedisse legitur annos duos, menses tres, dies decem; Pontificale Damasi ei tribuit annos tres: duos, ac totidem menses Petavius cum aliis eruditis Chronologis; biennium quidem, sed non completum, ad Annum 255. Baronius: annum unum, menses tres, dies decem Pearsonius. Quum martyrio coronatus fuerit xviii. Kal. Octobris Gallo & Volusiano Coss. prout habetur in praelaudato Indiculo Bucheriano, idest, anno Christi 252. iis ultro lubenterque subscribimus, qui S. Cornelii Pontificatum intra biennium coarctant. Synodum Cornelius coegit LX. Episcoporum, laudatam ab Eusebio lib. vi. cap. 43. adversus Novatianum, qui contra ipsum Cornelium, Pontificatus ambitione elatus, schisma conflaverat: de quo schismate rursus Diss. III. in *Novatiano* pertractabimus. Synodum diximus, etsi duas in causa Novatiani celebratas quidam cum Baronio putant; unam solummodo habitam tum ex Epistola S. Cypriani ad Antonianum, tum ex Cornelii literis ad Fabium Antiochenum, aperte colligitur: ab iis tamen Episcopis, qui Romanae Synodo minime interfuerant, huius Decreta confirmata fuerunt, & intortum contra Novatianum, eique adhaerentes anathema, adeo, ut ex

ut ex singulorum sententiis in unum collectis coaluerit Complexio illa, quam Hieronymus appellavit Concilium Italicum in Catalogo. Quum vero anno 252. Gallo & Volusiano Consulatum gerentibus atque imperantibus, Romanum orbem saevissima pestilentia vexaret, atque pro incolumitate Reipublicae fumarent Idolorum altaria; Cornelius impia sacrificia detestatus in exilium pulsus est: fuitque exilii locus Portus Traiani, sive Centumcellae, ubi arx munitissima, cui Vrbis veteris nomen. Quo in loco propter gloriam miraculorum, & litteras ad eum conscriptas beatissimi Cypriani, ita fama eius percrebuit, ut Hostilius Gallus illum plumbatis caedi, & martyrio confici iusserit. Discrepant circa martyrium Cornelii Scriptores; nam passum sub Decio tradunt Pontificale Damasi, necnon Martyrologia Adonis & Bedae, a quibus non dissentit Romanum die 14. Septembris. At subiisse martyrium sub Gallo & Volusiano, constat ex Chronico, & Hist. Eccl. Eusebii lib. VII. cap. 2. necnon ex Hieronymo de Script. Eccl. Accedit ratio; siquidem Cornelius Decio supravixit, sive Decii interitum statuas in exitu anni 251. sive mense Martio anni proximi 252. ut in Notis ad Eusebium opinatur Valesius. Non alia ergo ratione Cornelius dicitur passus in persecutione Decii, nisi quia Gallus post Decii obitum Christianos, maxime Romanae Ecclesiae, vexare non destitit, atque in beatissimum Antistitem furor eius prorupit. Legite S. Cypriani martyris ad Lucium epistolam. Centumcellis obiisse Cornelium scribit uterque Pagius; idque asseritur in Catalogo Bucheriano, in quo legitur, *Centumcellas expulsus, ibi cum gloria dormitionem accepit*. Sed passum Romae, quo iubente Gallo aut Volusiano fuit rursum perductus, non solum illius Acta laudata a Baronio ad Annum 255. & Romanum, aliaque Martyrologia testantur, sed etiam in *Cypriano* affirmat S. Hieronymus. Restat, ut de Cornelii agamus Epistolis. Praelaudatus Hieronymus de Script. Eccl. num. 66. commemorat quatuor Cornelii Epistolas ad Fabium (Flavianum ipse vocat) Antiochenae Ecclesiae pastorem: in quibus plura de lapsis, & de Schismate Novatiani. Vnius ex iisdem Epistolis insigne habetur fragmentum apud Eusebium lib. VI. Hist. Eccl. cap. 43. ubi tamen tres tantum, non quatuor commemorantur. Scripsit etiam Cornelius plures ad Cyprianum Epistolas; quarum duae supersunt, 46. & 48. editionis Pamelii. Nescimus cur has Epistolas silentio praeterierit S. Hieronymus. Dubia est Cornelii ad Lupicinum Episcopum Viennensem Epistola; eamque ut spuriam reiiciunt cum Dupinius in Nova Bibliotheca, tum recentiores alii Critici: probant vero Baronius, ac Pagius. Certiores sunt notae suppositionis in Epistola de Translatione Corporum Petri & Pauli, quae dicitur data VII. *Idus Sept. Decio & Maximo Coss.* quoniam nullus fuit, sedente Cornelio, Decii, & Maxi-

mi

mi Consulatus, neque in nostra, neque in alia qualibet Chronologia. Tempore etiam Gregorii Magni Apostolorum Corpora nondum fuisse e Catacumbis levata, ex eiusdem Gregorii Epist. 30. Lib. III. ad Constantinam Augustam demonstrat ad Annum 221. Caesar Baronius. Quare falsum est, & ex apocryphis litteris derivatum, quod refert Pontificale perperam Damaso inscriptum, Cornelium Corpora Apostolorum e Catacumbis transtulisse; eo loci quemadmodum animadvertit Baronius, & in Notis ad Cornelium scripsere Blanchinus, ac Pagius. Sed de Cornelio dictum satis.

XIII. Cornelio Martyri in Pontificatu Romano successit Lucius patre Porphyrio editus, iuxta Pontificale Damasi. Quamdiu sederit non satis compertum. Baronius ad Annum 257. sedisse ait annum unum, menses 4. dies 12. Petavius annum 1. ac 3. menses, Catalogus Bucherianus annos 3. menses octo, dies 10. a Consulatu Galli & Volusiani, usque ad Consulatum Valeriani III. & Gallieni II. scilicet ab anno 252. usque ad annum 255. At Eusebius lib. VII. cap. 2. inquit, Lucium Pontificis munere octo mensium spatio fuisse perfunctum. Si Eusebio subscribamus, locandus erit Lucii obitus anno 253. in Consulatu Volusiani & Maximi; quod probabilius existimamus, quippe etiam in praecitato Catalogo Bucheriano ponitur in eodem Consulatu initium Pontificatus Stephani; ideoque falsum est quod paullo supra legitur in eodem Catalogo, sedisse Lucium usque ad Consulatum Valeriani III. & Gallieni II. Obiit Lucius IV. Nonas Martii, qua die in Martyrum Fastis eius memoria recolitur. Sunt qui cum Pagio negant Lucium Martyrem occubuisse, propterea quod nomen eius apud Bucherium *de Doctrina Temporum*, non in Indiculo depositionis Martyrum, sed in Indiculo depositionis Episcoporum inveniatur adscriptum. At nos vere martyrium abscisso capite consummasse arbitramur: id enim testantur cum Romano Martyrologia Adonis, Bedae, Usuardi, atque Diurnum Romanorum Pontificum, ubi legitur Lucium, dum ad martyrium pergeret omnem Ecclesiae potestatem tradidisse Archidiacono Stephano. Confirmatur Lucii Martyrium Epist. 67. Cypriani, in qua de Cornelio & Lucio haec leguntur: *Servandus est enim antecessorum nostrorum, beatorum Martyrum Cornelii, & Lucii honor gloriosus*; & infra: *Illi enim pleni spiritu Dei, & in glorioso Martyrio constituti dandam esse lapsis pacem censuerunt*. Ait Pagius, Lucium a Cypriano vocari martyrem, quoniam in exilium pulsus fuerat, ibique incommoda multa perpessus. Sed idem Cyprianus Epist. 58. qua Lucio ob reditum ab exilio gratulatur, illum geminato honore *Confessorem, & Sacerdotem* constitutum fuisse affirmat. Exilio itaque *Confessor*, & *Martyr* capitis abscissione Lucius effectus est, non Valeriano, ut visum plerisque, sed Gallo & Volusiano imperium tenentibus.

XIII. *Explicatur Lucii Chronologia, & Martyrium asseritur.*

XIV. *Illustrata Stephani, Chronologia, illius Martyrium vindicatur adversus Basnagium.*

XIV. Stephanus, cui a Lucio ad martyrium proficiscente commendata fuerat Ecclesia, in illius locum surrogatus sedit usque ad Valeriani IV. & Gallieni III. Consulatum, scilicet, usque ad annum 257. quo & ipse martyrio coronatus est IV. Nonas Augusti. Consulatus, quo decessit, expresse adnotatur in Pontificali. Male autem illic asseritur sedisse a Consulatu Volusiani & Maximi annos septem, menses quinque, dies duos: nam inter Consulatum Volusiani & Maximi, seu annum 253. die 4. Martii, quo decessit Lucius, & Consulatum Valeriani IV. & Gallieni III. die 2. Augusti, quo Stephanus martyrium subiit, quatuor anni, ac menses quinque, minus diebus duobus intercessere. Et quoniam a morte Lucii usque ad Electionem Stephani fluxerunt duo menses, diesque novem, & Stephanus creatus est Pontifex die 13. mensis Maii, sequitur Pontificatum gessisse annos 4. menses 2. dies 21. Stephani martyrium in dubium revocatur a Samuele Basnagio ad Annum 257. num. 4. primum quia Cyprianus, Pontius, & Kalendarium Carthaginense editum a Mabillonio, Stephanum inter Martyres non recensent, cum tamen Cornelii, Lucii, & Sixti martyrium commemorent: deinde quia in Indiculo Bucherii nullum passionis Stephani apparet vestigium: tertio quia in Chronico Damasi proditur, Stephanum fuisse a Consulatu Volusiani & Maximi usque ad Valerianum III. & Gallienum, ad annum scilicet 255. in quam Chronologiam descendere Auctor Chronici non potuisset, si Stephanum martyrem credidisset, quum nulla Romae anno 255. exorta sit persecutio: denique Acta Stephani, quibus martyrium eius suadetur, undique redolent falsitatem. Inquiunt enim, Coss. Maximo & Glabrione, idest anno 256. Valerianum legem adversus Christianos promulgasse, ad eumque Stephanum fuisse perductum, missum deinde ad templum Martis, quod cum Stephano orante corruisset, & idem Stephanus sese recepisset in Coemeterium Lucinae, ibique sacrificium offerret, decollatus fuit a Valeriani militibus in propria Sede: quae sunt a veritate aliena, siquidem persecutio Valeriani exorta non est ante annum 257. neque Stephanus ad ipsum Valerianum duci poterat, quoniam Valerianus tunc temporis in Oriente versabatur, ut obsisteret Persis, quemadmodum narrat Historia. Haec ex Basnagio. Verum Acta, quibus Stephani martyrium asseritur, perperam spuria censentur: nam etsi in quaedam exemplaria mendose irrepserit Valeriani tertius Consulatus, & Gallieni secundus, quo Stephanus ibidem dicitur martyrium perpessus; constat tamen, Stephanum pervenisse ad Consulatum Valeriani IV. & Gallieni III. quum ibidem passus dicatur anno sequenti a Consulatu Maximi, & Glabrionis; non autem in hoc ipso Consulatu, ut opinatur Basnagius, tempus conversionis Nemesii, Lucillae, aliorumque, quos Stephanus Christo pepererat, confundens cum tempore passionis eiusdem Stephani. Praeviderat haec

Baro-

Baronius ad Annum 260. num. 2. & Novatoris cavillulas praeoccupaverat. Praeter eadem Acta martyrium Stephani testantur omnia Latinorum Martyrologia, necnon Menologia Graecorum die 2. Augusti: confirmantque idem martyrium Sedes resperſa adhuc ſanguine, & reliquiae Stephani Piſis religioſiſſime aſſervatae. Facile est autem obiecta Baſnagii dirimere. Ad primum enim reſpondemus, nullibi Cyprianum & Pontium agere de morte Stephani, ſed tantum de illius adverſus Rebaptizantes reſcripto; in Kalendario autem Carthaginienſi, non omnes deſcribi martyres, ſed quos Africana Eccleſia peculiari cultu proſequebatur. Ad alterum reſpondemus, fractum eſſe argumentum, quod petitur ex Indiculo Bucheriano, quum ibi in depoſitione Epiſcoporum locum teneat etiam Lucius, quem Baſnagius martyrio coronatum fuiſſe fatetur. Ad tertium dicimus, in Chronico Damaſi pro III. Valeriani Conſulatu legendum eſſe IV. ut oſtendimus paullo ſupra: Baſnagius vero ſpreta conſcientia mendum illud opponit, cum & ipſe ſcribat ad Annum 257. num. 4. Stephanum Valeriano IV. & Gallieno III. Coſs. obiiſſe, id legi in Pontificale Damaſi, & hanc eſſe veram Chronologiam. Ad quartum iam diximus, in emendatioribus Stephani Actis haberi, quod pervenerit ad Conſulatum Valeriani quartum, ac martyrium ſubierit anno ſequenti a Conſulatu Maximi & Glabrionis: Valerianus autem in Orientem contra Perſas profectus eſt Fuſco & Baſſo Coſs. ideſt anno 258. altero a morte Stephani, ut e Zoſimo, & Vopiſco animadvertit Cl. Petavius lib. XIII. de Doctr. Temporum.

XV. *Quid Stephanus contra Rebaptizantes definierit & geſſerit?*

XV. De Stephano controverſia agitur, num omnium promiſcue haereticorum baptiſma probaverit: quam ut brevi definiamus, memoria repetendum eſt, ab aetate Agrippini Carthaginienſis Epiſcopi receptam in Africa & Numidia conſuetudinem iterum ſacro baptiſmate abluendi ex quacumque haereſi, vel ſchiſmate venientes, quaſi baptiſmus ab haereticis, ſchiſmaticiſque collatus irritus foret, nullumque imprimeret characterem: quem errorem ſedente in Petri Cathedra Stephano, Cyprianus Epiſcopus Carthaginienſis, & Firmilianus Caeſareae in Cappadocia Antiſtes propugnaverunt. Quamquam non defuit aetate noſtra vir peracutus & eloquens, qui memoratos Epiſcopos contra Hiſtoriae fidem ab hoc errore conatus eſt vindicare. Sane Cyprianus derivatum ab Agrippino, qui circa annum 215. claruiſſe fertur, tribus Synodis morem approbavit anno Chriſti 255. & ſequenti; extantque eae Synodi primo Collectionis Conciliorum Volumine apud Labbeum, & Harduinum. Ergo Stephanus, Apoſtolicae Traditionis Cuſtos vigilantiſſimus, baptizatos formula a Chriſto praeſcripta, ſive cum invocatione Trinitatis, extra Eccleſiam, ad hanc redeuntes iterum tingi prohibuit. Sunt permulti, maxime haereticorum, quos refutavimus lib. Theol.

Disc. XXXI. cap. 13. autumantes probatum a Stephano omnem promiscue baptismum in haeresi administratum, quamvis Evangelicis verbis, idest, praestituta forma carentem. Sed hi a veritate procul aberrant: primum, quoniam Stephani decretum, prout refertur ab ipsomet Cypriano in Epistola ad Pompeium, hisce verbis comprehenditur: „ *Si quis ergo a quacumque haeresi venerit, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in poenitentiam.* „ ideoque hoc unum contendebat Beatissimus Stephanus, ut antiquior, & ab Apostolis deducta observaretur traditio, non recens, atque sub Agrippino recepta consuetudo. Deinde hanc fuisse Stephani mentem testantur S. Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos, S. P. Augustinus lib. II. contra Gaudentium cap. 8. lib. III. contra Cresconium cap. 3. ac saepe in libris de Baptismo contra Donatistas, Vincentius Lirinensis lib. I. Commonitorii cap. 9. Facundus Hermianensis in Defens. Trium Capitul. lib. X. cap. 3. necnon Eusebius lib. VII. Hist. Eccl. cap. 2. aliique prorsus innumeri. Praeterea nullius momenti sunt quae Blondellus, Launoius, Dupinius, Basnagius, aliique obiecere. Nam quod aiunt, Stephanum indefinite locutum „ *Si quis a quacumque haeresi venerit* „ ita accipiendum est, ut idem Stephanus noluerit repeti baptismum *a quocunque, & ubicunque in nomine Trinitatis conlatum*, non autem corrupta forma, cuiusmodi fuit baptisma Paullianistarum; de quo Canon XIX. Nicaeni Concilii. Cypriani item ac Firmiliani quae obiici solent testimonia, utpote eorum, qui opposito detinebantur errore, ac opinabantur, Stephanum apud haereticos non solum baptismi adstruere unitatem; verum etiam praesentiam Christi, gratiam, ac sanctimoniam: testimonia, inquam, illa nil adversus Stephanum valere possunt. Atque idem asserendum est de praelaudatis Cypriani Synodis; quarum nullam esse auctoritatem cum Stephani decretum evincit, tum plenarium Concilium laudatum ab Augustino lib. I. de Bapt. cap. 7. sive istud Arelatense fuerit, sive Nicaenum; id, quod alibi revocabitur ad examen.

XVI. *Sixti II. Pontificatus, ac tempus martyrii.*

XVI. Post Stephanum, quem coronatum martyrio anno 257. die Augusti secunda, affirmavimus supra num. XIV. Romanae Ecclesiae Episcopatum indeptus est Sixtus II. patria Atheniensis, Romanorumque Pontificum XXV. Huius Chronologia aliquantulum videtur implexa. Enimvero in Chronico Eusebiano sedisse dicitur annis 8. in vetustiori Bibliothecae Caesareae Catalogo annis duobus, ac mensibus undecim; in aliis compluribus anno uno, mensibusque decem; apud Baronium ad Annum 260. mensibus undecim, ac diebus duodecim. Certum nobis est, Sixtum anno tantum uno Ecclesiam rexisse, passumque anno 258. octavo Idus Augusti, quo anno etiam S. Cyprianus XVIII. Kal. Octobris vitam glorioso

rioso martyrio finivit. Atque Chronologiam hanc firmissima momenta commonstrant. Primum quia Colbertini, Caesareique Catalogi, necnon Liber Pontificalis, Sixti obitum statuunt in Consulatu Tusci & Bassi ad praedictum annum 258. alligato. Deinde quia Sixtus ex Pontio in Vita Cypriani martyrium subiit paullo ante ipsummet Cyprianum, ad quem nuncius beatissimi Pontificis Romae pro Christo mactati pervenit, dum in custodia iussu Proconsulis detinebatur. At Cyprianum occisum Coss. Tusco & Basso, Valeriano imperante, testantur praelaudatus Pontius, Idatius in Fastis, & Auctor Chronici Alexandrini; neque est, qui id hac aetate in dubium revocet. Miraretur autem aliquis doctissimum Petavium lib. XIII. Doctr. Temp. ubi ex Pontio consignat S. Cypriani martyrium in Consulatu M. Aurelii Memmii Tusci, (Fuscum ille vocat) & Pomponii Bassi, referre Sixti passionem, quae ex eodem Pontio praecessit Cypriani martyrium, ad proximum annum 304. Iulianum, & Christi 259. Sed manifestum est, Consulares quoque Fastos eo loci non satis accurate describi, dum anno 260. Licinii & Valeriani Consulatum, & anno 261. Consulatum Bassi & Aemiliani Petavius consignat adversus Fastorum emendatissimas editiones.

XVII. *Acta Sixti II. & genus mortis eius incerta: Translata ab illo Corpora Apostolorum; & Haeresiarchae Pelagii in Sixto laudando temeritas, atque insania.*

XVII. Sixti autem Acta, quae Vaticano MS. Codice num. 1190. continentur, interpolata, & pluribus postea Saeculis conscripta dicuntur: & proculdubio sunt falsa, dum narrant, Sixtum Martyrem occubuisse sub Decio; quem trucidatum constat sub finem anni 251. sexennio antequam Sixtus potiretur Pontificatu. Quare huius Pontificis Acta in obscuro versantur. Affixum cruci, atque ex ea pendentem martyrium post triduum subeundum praenuntiasse Levitae suo Laurentio, tradit Hymno II. περὶ στεφ. Prudentius:

Forte haec Sacerdos dixerat
Iam Sixtus affixus cruci,
Laurentium flentem videns
Crucis sub ipso stipite:
Desiste discessu meo
Fletum dolenter scindere:
Praecedo, Frater, tu quoque
Post hoc sequeris triduum.

Verum S. Cyprianus Epist. 82. ait, *Sixtum in Coemeterio animadversum:* quibus verbis apud Latinos quaelibet punitio, apud Brissonium vero, Calvinum, aliosque Iurisconsultos percussio gladii, & decollatio significantur. Passionem quoque a Sixto praenuntiatam Laurentio, non e cruce, sed cum ad martyrium duceretur, scribit lib. 1. de Off. cap. 41. S. Ambrosius, quem genuina Acta legisse arbitramur. Praeterea in editis apud Mombritium ac Surium habetur, contigisse Sixti & Laurentii colloquium, dum ille reduceretur in carcerem. Incerta est

igitur

igitur Aurelii Prudentii de Sixto affixo Cruci enarratio. Probabilius videtur quod aiunt Pearsonius & Pagius, a Sixto corpora Apostolorum in Catacumbas fuisse translata, quoniam legitur in Indiculo Depositionis Martyrum apud Bucherium: *III. Kal Iulii Petri in Catacumbas, & Pauli Ostiense, Tusco & Basso Coss.* Nam hoc tempore sedisse Sixtum constat ex num. praecedenti. Quidam tamen cum Auctore Libri Pontificalis Translationem illam adtribuunt Cornelio. Vide supra num. XII. Ad Sixtum Epistolas dedit S. Dionysius Alexandrinus, ubi plura de haereticorum baptismate. De his agam Differt. IV. Legatur interim Eusebius lib. VII. Hist. Eccl. cap. 5. & 9. Eiusdem Sixti nomine abutebatur Haeresiarcha Pelagius, dum Sixti Philosophi Pythagorici dogmatizantis, hominem esse ex Dei substantia, & posse Deo ipsi exaequari, urgebat testimonia ad demonstrandum, posse hominem esse sine peccato, si velit, quasi essent Sixti Romani Episcopi ac Martyris. Hanc Pelagii fraudem ac temeritatem cum minime advertisset Augustinus in Libro de Nat. & Gratia, Pythagorici Philosophi verba sensu Catholico exponere conatus est: sed Pelagii dolos adnotavit, castigavitque in II. Retractationum cap. 42. uti fecit in Epistola ad Ctesiphontem S. Hieronymus.

XVIII. *De beatissimis Romanae Ecclesiae Pastoribus Dionysio, & Felice, huiusque Martyrio.*

XVIII. Sixto in Romano Episcopatu successit S. Dionysius, quem Basilius Epist. 220. ob fidem, & virtutes reliquas celeberrimum, ac Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib. VII. Hist. Eccl. cap. 17. virum eruditissimum, planeque admirandum iure meritoque appellarunt. Sedisse Dionysium puto a die 20. Iulii anni 259. usque ad 26. Decembris an. 271. Neque enim subscribere possum Pagio, ceterisque recentioribus, qui Dionysium anno 269. decessisse opinantur. Pervenisse quippe Dionysium ad tempora Imperatoris Aureliani, qui anno 270. Coss. Antiochiano & Orfito ad Imperii fastigium evectus est, constat ex Epistola Synodi Antiochenae adv. Paulum Samosatensem apud Eusebium lib. VII. cap. 30. Eo tamen loci novem annis Pontificatum Dionysii circumscribit Graecus Historicus. At si ille ad Aureliani pervenit aetatem, annum attigit 12. quod idem Eusebius adnotavit in Chronico. Comprobaret utique Pagii sententiam quod legitur in Catalogo Reginae Svecorum, & in Libro Pontificali, obiisse Dionysium Claudio & Paterno Coss. nisi Antiocheni Concilii praeferenda esset auctoritas; atque Catalogus, & Liber Pontificalis, duos tantum annos Dionysio adscribentes errorem proderent apertissimum. Apud hunc Dionysium in Romana Synodo purgavit sese Dionysius Alexandrinus, quem Episcopi Pentapolitani erroris circa Trinitatem insimulaverant, perinde ac idem, quod postea Arius, in confutanda Sabelliana haeresi tradidisset. Dionysio successit S. Felix Romanus, cui plures Catalogi, & Liber Pontificalis iuxta MS. Codicem Florentinum tribuunt 4. annos, menses 3. & dies 25. adeo ut non procul distent a vero, qui cum Panvinio, Ba-

Baronio, Petavio, aliisque compluribus aiunt coronatum martyrio III. Kal. Iunias an. 275. aut 276. Negant martyrium istud cum Francisco Pagio nonnulli; primum quia apud Bucherium Felix commemoratur in Indiculo *depositionis Episcoporum*, non in Indiculo *depositionis Martyrum:* tum quia obiit ante persecutionem Aureliani; praeterea quia ab eodem Aureliano persecutio intentata duntaxat fuit, non executioni mandata. Verum momenta haec nimium fracta sunt, & infirma. Ac primum depromptum ex Bucherianis Indiculis excutitur exemplo SS. Pontificum ac Martyrum Lucii, & Stephani, de quibus egimus num. 13. & 14. Alterum refellitur ex quo iuxta Chronologiam nostram S. Felix anno Aureliani postremo, aut sequenti, ideoque huius persecutione iam excitata, extremam obierit diem. Tertium in quinta Dissertatione, ubi de Aureliano, refutabitur. Profecto S. Felicis martyrium Catalogi praestantissimi, Liber Pontificalis, Romanum, aliaque Martyrologia testantur. Recte idcirco sapienterque Papirius ita Felicem alloquitur: „ Vir fuisti fide, vita, scientia clarus, & martyrio subeundo idoneus, ut eventus docuit. Id enim sub Aureliano, quod negari non potest, severo, truculento, utque Flavii Vopisci verbo utar, sanguinario principe, & Christiani nominis acerbissimo hoste, pro Christo constantissime subisti, ut decebat Constantii filium, hoc enim patri tuo nomen erat. Itaque non immerito Cyrillus Alexandrinus, & Vincentius Lirinensis, qui sub Coelestino primo vixere, te sanctum martyrem appellant. Et Atticus ille Episcopus te producebat testem, Romanaeque Ecclesiae Doctorem appellabat, dicens „ Sententia Felicis Sanctissimi Episcopi & Martyris Romani de Incarnatione Verbi, & Fide. „ Innuit his verbis Papirius S. Felicis Epistolam ad Maximum Episcopum Alexandrinum contra haeresim Sabellii, & Pauli Samosatensis: cuius Epistolae fragmentum extat in Concilio Ephesino, & in Apologetico S. Cyrilli pro XII. Anathematismis.

XIX. *De ritu Altaria supra Martyrum sepulcra erigendi.*

XIX. Quoniam de S. Felice, cuius nuper vindicavimus martyrium, legimus in Libro Pontificali, *Hic constituit supra sepulcra Martyrum Missas celebrari;* de hoc ritu breviter pertractabimus. Sunt enim, qui primo a Felice autumant institutum, hisce iisdem verbis innixi. Sed arbitramur morem esse vetustiorem, praedictaque verba ita esse accipienda, ut Felix antiquorum Rituum studiosissimus legem tulerit, ne alibi, quam supra memorias & sepulcra Martyrum erigerentur Altaria, ut affirmat lib. 1. cap. 19. Rer. Liturgic. Ioannes Cardinalis Bona. Etenim in ritum ipsum quadrare verba Apocalypseos cap. 6. *Vidi subtus Altare Dei animas interfectorum propter Verbum Dei*, colligitur ex Ambrosio Ep. 22. alias 54. ubi ait: „ Succedant victimae triumphales, ubi Christus hostia est; sed ille super altare, qui pro hominibus passus est, isti sub altari, qui illius redempti sunt passione „. Vide & Sermonem inter Augustinia-

nos

nos de SS. num. xi. nunc in Appendicem reiectum. Confirmat ipsius ritus vetustatem prisca Romanorum Pontificum consuetudo sacrum peragendi supra beatorum Apostolorum Petri & Pauli sepulcrum; unde Hieronymus adv. Vigilantium Sanctarum Reliquiarum contemptorem ait: „ Male facit ergo Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri & Pauli secundum nos ossa veneranda, secundum te vilem pulvisculum, offert Domino Sacrificia, & tumulos eorum Christi arbitratur altaria? „ Faciunt quoque eam in rem arcuata illa Martyrum Monumenta ad instar sacelli altarisve expolita, quae in Roma Subterranea describit Paulus Arringhius, ac Boldettus de Coemeteriis lib. 1. cap. 8. Vetustum autem illum morem, nedum fidelium pietati, sed etiam nascentis Ecclesiae angustiis, atque persecutionum temporibus congruum, & opportunum proximis Saeculis obtinuisse, demonstrant PP. sermones habiti ad Martyrum mensas: quos inter 113. Augustini De diversis, inscriptus, *Ad Mensam Cypriani*, in quo haec habentur „ Sicut nostis quicunque Carthaginem nostis, in eodem loco, ubi propter nomen Christi sanguis fusus est Cypriani, mensa Deo constructa est. Tamen mensa dicitur Cypriani, non quia ibidem est unquam Cyprianus epulatus, sed quia ibi est immolatus; & quia ipse immolatione sua paravit hanc mensam, non in qua pascat, sive pascatur, sed in qua Sacrificium Deo, cui & ipse oblatus est, offeratur. „ Huc spectant S. Paulini versus Nat. 9.

Spectant de superis altaria tota fenestris,
Sub quibus intus habent Sanctorum corpora sedem:
Namque & Apostolici cineres sub coelite mensa
Depositi, placitum Christo spirantis odorem
Pulveris inter Sancta sacri libamina reddunt.

Prudentius item Hymno xi. περὶ στεφ.

Talibus Hyppoliti corpus mandatur opertis,
Propter ubi apposita est ara dicata Deo.
Illa Sacramenti donatrix mensa, eademque
Custos fida sui Martyris apposita,
Servat ad aeterni spem Vindicis ossa sepulcro,
Pascit item sanctis Tybricolas dapibus.

XX. Ex pervetusta hac consuetudine altaria supra memorias Martyrum construendi, condi sacras Reliquias sub iisdem altaribus ab Episcopo consecrante animadvertunt praecitato cap. 19. eruditissimus Cardinalis Bona, & ad Felicem I. Emmanuel a Schelestrate, Franciscus Pagius, & Antonius Sandinus.

De SS. Catholicae Ecclesiae Episcopis Eutychiano, & Caio.

XX. Romanam Ecclesiam post Felicem I. rexit Eutychianus, qui patriam habuit Lunam, nunc dirutam desertamque Etruriae ur-

urbem. Sedit Eutychianus annis octo, mensibusque nonnullis, nempe usque ad diem septimam mensis Decembris anni 283. Id ex omnibus fere Catalogis, etiam Liberiano, perspicuum est, & firmatur nota Consulatus Cari II. & Carini, qua illius exitus praesignatur. Baronius, Petavius, Pagius, Schelestratenus, aliique in Chronologiam istam conspirant. Falsus propterea Eusebius, qui lib. VII. cap. 32. inquit: *Eutychianus in locum Felicis successit, qui vix decem mensibus in Episcopatu transactis, Caio sedem suam reliquit.* In hunc propterea locum scripsit Valesius: *Immo Eutychianus annis octo, & mensibus undecim Romanam rexit Ecclesiam, ut est in veteri libro de Pontificibus Romanis.* Contra Eusebius ibidem Caio tribuit annos quindecim, quum omnium consensu, firmato praestantioribus Catalogis, notisque Consularibus, sederit Caius usque ad diem 22. Aprilis anni 296. De Eutychiano hoc unum tradit Historia, instituisse ritum fructus, frugesque benedicendi, ac praecepisse, ne Martyres, quorum ipse permultos tumulo propriis manibus condidit, absque Dalmatica, aut Colobio purpurei coloris sepelirentur: Ipsius autem Corpus Lunam, ac deinde Sarzanam fuisse translatum: de Caio autem tradit Liber Pontificalis, constituisse, ut Clerici per septem Ordinum gradus, ut apud Latinos servatur adscenderent. Addit aliquandiu in Cryptis habitasse, saeviente persecutione Diocletiani, sed postmodum affectum fuisse martyrio. Quaedam in haec absque verborum prolixitate adnotabimus.

XXI. *De fructuum benedictione: de Colobio & Dalmatica; de Constitutione S. Caii, eiusque martyrio.*

XXI. Benedictionem novorum fructuum fieri solitam in fine Orationis Missae, quae incipit, *Nobis quoque peccatoribus*, idest, recitatis postremis verbis, *Largitor admitte*, atque ante ea, quae sequuntur, *Per quem haec omnia Domine semper bona creas*, demonstrat ex Ritualibus Libris permultis Ioannes S. R. E. Cardinalis Bona lib. II. cap. 14. num. 5. Cum itaque vetus sit institutio, ut benedictiones quamplurimae peragantur in Missa, S. Eutychianus constituit, ut consecrata Eucharistia Sacerdos fructus, & reliqua ad comestionem spectantia, Diacono posita super altare ad partem dexteram benediceret, uvas praesertim, quarum die 6. Augusti, aut cum primo maturescerent, solemnis fuit apud Latinos Graecosque lustratio. II. Quid sint *Colobium*, & *Dalmatica*, in quibus tumulandos Martyres iussit Eutychianus, exponam nunc paucis. Colobium tunica erat sine manicis, aut certe cum manicis brevioribus; quo vestis genere usos & Monachos operibus incumbentes scribunt Cassianus de Habitu Monachi cap. 5. & Palladius in Hist. Lausiaca cap. 47. Pallium virginale dicitur ab Ammiano Colobium, quod ad talos usque descendebat; agitque de Colobio etiam Servius ad illum Virgilii versum lib. IX.

„ *Et tunicae manicas, & habent redimicula mitrae* „.

Dictum est colobium, quasi κόλοβον, idest, *mutilum*, ob manicas detruncatas. Dalmatica vero, manicis constans, quali induuntur modo Diaconi, a Silvestro pro colobiis fertur inducta. Dicitur ab Almino vestimentum in modum crucis extensum: ac de illa Theodulphus in Paraenesi ad Episcopos,

Candida & extensis niteat Dalmatica rugis,
Fimbria neve erret huic sine lege levis.

Huiusmodi ergo indumentis ornata, purpurei tamen coloris, tumulabantur corpora Martyrum, feminarum quoque, ut ostendit vetus Agnetis pictura. Permulti tamen Martyres ante, & post Eutychianum candidis obvoluti linteis reconditi fuere tumulo, Calepodius a Callisto, Cyriacus a Marcello, Patroclus ab Eusebio presbytero, Susanna a Serena Augusta, Anastasius Persa ab alio Monacho, aliique sexcenti, nostri forte Reparatoris exemplo. III. Caii de septem Ordinum gradibus constitutio non fuit nova aliqua definitio, sed praecedentium innovatio: enimvero eadem distinctio adinvenitur in Epistola S. Cornelii ad Fabium Antiochenum apud Eusebium lib. VI. Hist. Eccl. cap. 43. Igitur huiusmodi sanctionibus cautum est, ne Clerici ad Ecclesiasticos Ordines promoveantur per saltum; non autem iidem Ordines primitus instituti. Ac notandum est, quod alibi monuimus, non semper in Historia Pontificum verbum *constituere* legem primo conditam significare, sed frequenter vetustae legis confirmationem. IV. Sunt, qui Caii martyrium praefracte negant, hisque adhaeret & Pagius, primum quia in Catalogo Reginae Sveciae non *Martyr*, sed *Confessor* vocatur; deinde quia apud Bucherium recensetur in Indiculo *depositionis Episcoporum*; demum quia Baronius martyrium illud evincere nititur ex Libro Pontificali, & ex Actis S. Susannae, quorum ille mendis ubique scatet, haec ab eruditis censentur supposititia. Verum S. Caium martyrio coronatum non dubito. Enimvero praeter Libri Pontificalis, & Romani Martyrologii testimonia, quae tamen aliquando errori obnoxia fatemur, ac praeter Catholicae Ecclesiae traditionem, qua triumphus Caii x. Kalendas Maias recolitur, invictum huius martyrii exhibet munimentum inventio sacri eius Corporis, facta in Coemeterio Callisti, sedente Gregorio XV. anno 1622. die 21. Aprilis, in sepulcro lateritio, cui inscriptum Caii PP. nomen, & incisa certa signa martyrii, Palma scilicet, & monogramma ☧. Quae cum ex Actis publicis Notariorum apud Caesarem Becillum Congregationis Oratorii presbyterum sint apertissima; corruunt praemissa, alioqui levia, obiectamenta. Levia dixi, nam olim *Confessores* appellabantur, tum qui Christum coram tyrannis confessi, suppliciis superstites tranquillam mortem obibant; tum qui palam fidem contestati, vario poenarum genere necabantur: atque usurpatur hoc sen-

su

tu *Confessoris* vocabulum a Ioanne Antiocheno Ep. ad Cyrillum, a Facundo Hermianensi lib. VIII. ab Ambrosio lib. II. ad Gratianum, & a Paulino Ep. 28. in secunda autem significatione occurrit saepenumero apud Sidonium, & in Epistolis Cyprianicis. De Indiculis vero Bucherianis dictum est supra non semel. Neque Actorum aliquorum falsitas, vel dubietas, sat est ad venerationem cultus, praeclarissimamque *Martyris* appellationem denegandam alicui, quando manifesta indicia perpetrati martyrii aliunde patefcunt.

XXII. Erunt fortasse qui opponant, caute procedendum esse in veneratione illorum Martyrum, quorum acta non satis sunt explorata, ipsumque martyrium in dubium vertitur, eaque obiiciant, quae de cultu Sanctorum ignotorum mandavit litteris sub nomine Eusebii Romani ad Theophilum Gallum Cl. Mabillonius. Verum nec Vir sapientissimus negat ut martyres esse colendos, *quorum corpora ex Romanis Coemeteriis eruta sunt, modo de illorum martyrio, ac sanctitate certis constet argumentis*, uti Mabillonius ipse testatur in Epistola commonitoria ad Claudium Etiennot, data Parisiis V. Nonas Iulias an. 1698. Ac revera ubi de martyrio constat, eadem ratio exhibendi cultus apparet: unde Gelasius in Concilio Romano, sive Cap. *S. Romana*, dist. 15. ait: ,, *Omnes martyres, & illorum gloriosos agones, qui Deo magis, quam hominibus noti sunt, omni devotione veneramur:* & Guibertus Abbas de Pignor. SS. lib. 1. cap. 3. *Martyres plane, etsi scripta conticeant, solius praerogativa sanguinis extulit, nec quaeritur in martyre quae vita praecesserit, cum ad vetustissimorum repurgia criminum cruor ipse satis sit.* ,, Adde in Ecclesia illorum Martyrum coli reliquias, quorum ignoratur historia, cuiusmodi sunt, qui *baptizati* appellantur. Forte dices, quantum ad Caium attinet, palmam, & Christi monogramma non esse certa & explorata indicia martyrii, ut inquit praelaudatus Mabillonius citata Epistola. Verum etsi Sacra Rituum Congregatio die 10. Aprilis anno 1668. decrevit, signum certissimum martyrii esse *vas sanguine tinctum*, aliorum autem signorum examen in aliud tempus reiecit, ut ait eo loci Mabillonius: anno tamen 1669. die 6. Iulii declaravit, *Palmam esse peculiare Insigne Martyrii;* ideoque ambigendum non est de martyrio S. Caii, in cuius Sepulcro una cum ☧ inscripta erat Palma; intus vero inventa fuere tria quoque numismata Imperatoris Diocletiani, quo imperante subiit pro Christo martyrium.

XXII. *Attingitur, ac brevi solvitur quaestio de cultu Martyrum ignotorum.*

XXIII. Caio itaque x. Kal. Maias anno 296. coronato, Pontificatum excepit S. Marcellinus filius Proiecti Romani civis. Hunc e vita exiisse VI. Kal. Maias anno 304. vulgaris opinio est: at Pagius vitam protraxisse illum putat usque ad diem 24. Octobris. Ac de anno nulla est difficultas: nam liquet ex omnibus Catalogis, Marcelli-

XXIII. *De Sancti Marcellini Pontificatu ac martyrio.*

cellinum obiisse *Diocletiano IX. & Maximiano VIII. Coss.* quae certa est nota praedicti anni 304. Dies item videtur certus ex Martyrologiis Bedae, Rabani, Notheri, Adonis, & Vsuardi. Sed cum post mortem Marcellinus insepultus iacuerit dies 36. ac postea a Marcello tumulatus in Coemeterio Priscillae Via Salaria, ut Venerabilis Beda, Actaque Vaticana testantur; dicendum cum Schelestratio, Marcellinum die 20. Martii passum fuisse martyrium, ac die 26. Aprilis sepulcro conditum. Quare si renuntiatus est Pontifex pridie Kalendas Iulias Diocletiano VI. & Constantio II. Coss. nempe anno 296. quemadmodum legitur in Catalogo Liberiano; tenuit Pontificatum annos 7. menses 8. dies 20. Hunc Marcellinum in numero Martyrum veneratur Ecclesia vi. Kalendas Maias, quem diximus esse diem depositionis illius. Verum illustris Pagius, *Eum martyrium subiisse* (inquit) *parum verisimile*. Ducitur Pagius Indiculi Bucheriani, quem fluxae fidei saepe diximus, testimonio. Addit, Marcellinum obiisse mense Octobri, ideoque post imperium Diocletiani, quem constat exuisse purpuram die prima Aprilis, dum nonum gereret Consulatum, anno scilicet 304. Marcellini Pontificis emortuali. Verumtamen nos ante Kalendas Apriles Marcellini obitum consignavimus: nec statim ac Diocletianus sese abdicavit imperio, cessavit persecutio, quae etiam sub Galerio Maximiano, & Maximino, Augustis, efferbuit. De martyrio S. Marcellini praeter perpetuam Romanae Ecclesiae traditionem extat apud Eusebium lib. vii. Hist. Eccl. cap. 26. praeclarum hoc testimonium: *Marcellini temporibus persecutio, in qua ipse martyrio occubuit, exorta est.* Ita legit in vetustis Codicibus Schelestratius; quae tamen verba occurrunt paullulum diversa in Graecis, & in Editione Valesii cap. 32. eiusdem libri; Baronius Marcellinum passum existimat Maximiano imperante, eo quod capite truncatus sit, dum Diocletianus ageret Nicomediae, ubi regimen, purpuramque deposuit. Id necessum est asseratur, si Marcellinus martyrio affectus sit vi. Kalendas Maias, non autem si in platea illius corpus iacuerit inhumatum 36. dies, ut diximus ex Actis, quae ab eodem Baronio producuntur ad Annum 304.

XXIV. *Agitur de supposito S. Marcellini lapsu.*

XXIV. Marcellinum in Persecutione Diocletiani Idolis thus adolevisse, huiusque criminis accusatum, ac testimoniis convictum in Sinuessana trecentorum Episcoporum Synodo, pervulgata fuit superioribus saeculis opinio, quam oppugnarunt viri doctissimi, Natalis Alexander Dissert. II. in Hist. Eccl. III. Saeculi, Norisius in Hist. Donatist. lib. 1. cap. 7. Pagius ad annum 322. num. 18. Tillemontius Annot. 31. in Pers. Dioclet. Benedictus xiv. de Canoniz. SS. Part. II. cap. 13. aliique plurimi, quorum argumenta praemonstraverat, lectorumque iudicio expendenda proposuerat Volumine II. Annalium pag. 701. Vaticanae Editionis immortalis Baronius. Sunt autem argumenta praecipua, quae sequuntur.

I. Acta

I. Acta memoratae Synodi Sinuessanae, quae fertur, causam Marcellini actitasse, commentitia sunt, ut ostendam proxima Dissertatione. II. Disputans Augustinus in Libro De Vnico Bapt. adv. Petilianum cap. 16. ait, Donatistas arguere Marcellinum crimine thurificationis, ac traditionis Codicum divinorum, sed hanc criminationem nulla documentorum firmitate monstrari, nec tenuiter Petilianum accusationem suam comprobasse. Vnde evincitur, thurificationem Marcellini fuisse calumniam a Donatistis excogitatam. III. Quemadmodum Donatistae traduxere Marcellinum ut in Idolorum thurificationem prolapsum, ita tradititionis Sacrorum Codicum accusarunt Marcellini Presbyteros, & in Pontificatu successores, Marcellum, Melchiadem, & Silvestrum, ut se iure vitare illorum communionem ostenderent: adeoque ut istos, ita Marcellinum pari temeritate ac falsitate sugillarunt, falsisque accusationibus vexaverunt. IV. Si sacrilegium illud a Marcellino in medio Vrbis, in templo Idolorum, in Diocletiani, procerumque conventu fuisset patratum; si lapsus Marcellini cognitus probatusque fuisset Synodali trecentorum Episcoporum discussione: quomodo Donatistae in celeberrima Carthaginiensi Collatione, in qua omnem moverunt lapidem, ut Catholicos crimine thurificationis, vel traditionis aspergerent, quamquam ad calumniandum aeque ac mentiendum promptissimi, nullam afferre potuerunt huius rei coniecturam? Iure itaque Marcellini thurificatio inter Donatistarum figmenta, atque imposturas reiicitur.



DIS-

DISSERTATIO II.

DE SYNODIS EPISCOPORUM.

I. *Concilia Africana Rebaptizantium, ac primo Carthaginiense Agrippini.*

I. PERTRACTAVIMUS secunda praecedentis Saeculi Dissertatione de iis sacrorum Antistitum conventibus, in quibus definita fuit de die agendi Paschatis controversia, atque Carlobasi, & Montani proscriptae fuerunt haereses. Acturis modo de Conciliis III. Saeculi occurrunt primo quae in caussa Rebaptizantium Africani Praesules celebrarunt. Priorem tenet locum Synodus coacta ex Episcopis Africae & Numidiae sub Agrippino Carthaginiensi: de qua S. Cyprianus Epist. 7. ad Quintum, ubi ostendere adnititur, nullum esse haereticorum baptismum, *Quod quidem* (ait) *& Agrippinus bonae memoriae vir cum ceteris Coepiscopis, qui eo tempore in provincia Africa & Numidia Ecclesiam Dei gubernabant, statuit, & librato consilii communis examine firmavit*. Habet similia Cyprianus Epist. 37. ad Iubaianum; eademque scribit Augustinus lib. II. de Bapt. cap. 8. lib. III. cap. 19. & lib. IV. cap. 6 Hinc S. Vincentius Lirinensis in Commonitorio cap. 9. inquit, Agrippinum primum omnium mortalium, *contra divinum canonem, contra universalis Ecclesiae regulam, contra sensum omnium Consacerdotum, contra morem & instituta maiorum*, rebaptizandum decrevisse. Adhaesere tamen Agrippino Consacerdotes alii, ut dictum est nuper: hisque praelusit libro de Bap. cap. 15. Tertullianus, Sunt tamen qui cum Dupinio iu Geographia Sacra praemissa postremae editioni librorum S. Optati Milevitani, contendunt librum illum de Baptismo a Tertulliano conscriptum post Synodum Agrippini: ideoque eamdem Synodum referunt ad tempora, quae initia III. Saeculi praecessere. Nam Tertullianus Librum de Baptismo edidit ante lapsum, scilicet ante annum 199. Sed communior & probabilior sententia est praedictam Synodum habitam anno 215. iuxta Baronium 217. Ita idem Baronius, & Pagius ad hunc annum, Vossius de Baptismo Disp. XIX. Petavius de Doctr. Temp. lib. XIII. & cum Harduino Collectores alii Conciliorum. Tertulliani tamen S. Cyprianus, aliique Re-

Rebaptizantium nuspiam meminere, quod cum Tertulliani nomen esset haeresi infamatum, indignum putarunt (inquit Baronius) eumdem testem in defensionem accersere, eumque demonstrare falsae opinionis auctorem.

II. Epocha Synodorum, quas S. Cyprianus eadem de causa coegit.

II. Cyprianus itaque praedecessoris sui imbutus errore, illum nonnullis Synodis confirmavit: quarum Synodorum hanc nos cum eruditissimo Monacho S. Mauri Auctore Vitae S. Cypriani eiusdem Operibus praemissae, hanc Epocham constituimus. Exorta inter Afros paullo ante annum 255. controversia de Rebaptizandis, habitus est primus synodalis congressus plurium Episcoporum ac Presbyterorum, qui decreverunt, neminem extra Ecclesiam baptizari posse, ideoque venientes ab haeresi, vel schismate, iterum esse tingendos. Huius Synodi extat Epistola inter Cyprianicas 70. ad Episcopos Numidiae, qui ad S. Cyprianum scripserant, ut de exorta controversia sententiam proferret suam, necnon Epistola eiusdem Cypriani ad Quintum, qui per Lucianum petierat quid ea in Synodo decretum fuisset. Atque haec Synodus recentiorum consensu coacta fuit praedicto anno 255. non ut quidam antea senserunt, anno 256. Paullo post primam, eodemque anno 255. vel ut Pearsonius contendit, anno 256. celebrata est altera Synodus Carthaginensis Episcoporum LXXI. qua confirmata fuit sententia antea lata de Rebaptizandis, scriptaque Epistola ad Stephanum Romanum Pontificem, inter Cyprianicas 72. in qua praecedentis Epistolae Synodicae 70. ad Numidas, & Epistolae 71. ad Quintum fit mentio. De hac secunda LXXI. Episcoporum Synodo legenda est Epistola 73. S. Cypriani ad Iubaianum. Quum autem in Africam pervenissent litterae Stephani sententiam S. Cypriani, aliorumque Rebaptizantium improbantis, eisque comminantis anathema, (quarum literarum meminimus in praeced. Diss. num. 15.) idem Cyprianus non tantum Romani Pontificis sententiam studuit refellere in Epist. 74. ad Pompeium; verum etiam coegit ampliorem Synodum Episcoporum LXXXV. ex Africa, Numidia, ac Mauritania; qui omnes pro Haereticis Rebaptizandis sententiam dixere, Kalendis Septembris praedicti anni 256. Stephano adhuc superstite. Huius vero Synodi Acta habentur cum apud Cyprianum, tum Volum. I. Conciliorum Graece & Latine cum Commentariis Zonarae. Manifestum puto iuxta hanc Chronologiam non repugnare epocham harum Synodorum cum annis Stephani, quem diximus martyrio coronatum anno 257. IV. Nonas Augusti: ideoque corruunt argumenta, quibus vir doctus ut evinceret Cyprianum immunem fuisse ab errore Rebaptizantium, antilogiam & repugnantiam illius epochae, praedictarumque Synodorum νοθείαν conabatur adstruere.

III. Iconii, & Synnadae Concilia.

III. Duo ulterius Concilia, unum apud Iconium Lycaoniae urbem sitam inter Cappadociam & Ciliciam, alterum vero cele-

bra-

bratum apud Synnadam magnae Phrygiae Metropolim, collatum ab haereticis baptismum reprobarunt. Referuntur hae Synodi a Baronio & a Binio ad annum 258. a noviſſimis Conciliorum Editoribus ad annum 256. Meminit iſtarum Synodorum in Epiſtola ad Philemonem S. Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium lib. VII. Hiſt. Eccl. cap. 7. ubi ait: *Illud praeterea didici, non ab Afris ſolis hunc morem* (rebaptizandi) *nunc primum invectum fuiſſe; ſed & multo antea ſuperiorum Epiſcoporum temporibus, in Eccleſiis populoſiſſimis, & in Conciliis Fratrum apud Iconium & Synnadam, & apud alios plurimos idem ſancitum fuiſſe.* Recte arbitratur Herricus Valeſius, has duas Synodos reiiciendas eſſe in ſuperiorem aetatem, quoniam S. Dionyſius celebratas innuit ante praenarrata Africanorum Concilia. Firmilianus quoque in Epiſtola ad Cyprianum ſcripta anno 256. Iconienſis Synodi, cui & ipſe interfuit, tanquam *iam pridem* a ſe, & a Galatiae, & Ciliciae Epiſcopis celebratae, mentionem fecit. Legite Epiſtolam Firmiliani inter Cyprianicas 75. Animadverto etiam Baronium, etſi Iconienſis Concilii meminit ad annum 258. illud tamen longe antea coactum aſſerere. Eius enim haec ſunt verba: *At non quidem, ut multi putant, in Africa hoc tempore a Cypriano tantum eiusmodi controverſia coepta eſt agitari; ſed primo tempeſtatis huius fluctus moti ſunt in Oriente, ea nimirum occaſione, quod qui ex Cappadocia, Cilicia, Galatia, aliisque proximis regionibus Iconium convenientes Epiſcopi, ſtatuerant nihil eorum, quae ab haereticis facta eſſent, ab Eccleſia Catholica recipiendum eſſe, non ordinationes, non baptiſmum, non manuum impoſitionem, nec aliud quodvis ſacrum.* Producit etiam Baronius praecitatam Firmiliani Epiſtolam, obſervatque Iconienſem Synodum collectam fuiſſe occaſione haereſis Cataphrygarum, quae utique iam pridem eruperat. Immerito itaque laudatus Valeſius Baronium arguit, quod male Epocham Iconienſis Synodi conſtituerit. Verum ex dictis conſequitur, Iconii, & Synnadae Concilia praeceſſiſſe Africanis numero ſuperiori enarratis, atque incerti eſſe temporis, ut vidit in Nova Bibliotheca Dupinius.

IV. *Quaeſtio de Baptiſmate haereticorum compendio agitatur.*

IV. Afri, aliique Patres, haereticorum baptiſma nullum irritumque arbitrantes, obtendebant cumprimis Eccleſiarum ſuarum traditionem, quam non Apoſtolicam, ſed aetate Tertulliani invectam putamus. Eis inſuper propugnandi erroris fiduciam quamdam & animoſitatem addebat haud recta quorumdam divinae Scripturae locorum intelligentia; cuius ſunt generis, Cant. 4. ubi Eccleſia dicitur *Columba*, *Hortus concluſus*, *Fons ſignatus*: Apoſtoli ad Epheſios cap. item 4. ſcribentis, *Una fides, unum baptiſma;* atque ſententia illa Eccleſiaſtici 34. *Qui baptizatur a mortuo, quid proficit lavatio eius?* Hinc enim inferebant, heterodoxos extra Eccleſiam eiectos, quemadmodum fidei, ita baptiſmatis expertes eſſe;

non

non posse a fonte illo signato aquas vivificas haurire, eorumque ablutionem inquinamentum potius, quam munditiem afferre. Adiiciebant praeterea argumentationes complures, quas in libris de Baptismo adversus Donatistas accuratissime collegit, solvitque sapientissimus Augustinus. Eo autem eae ratiocinationes collineant, ut demonstrent, haereticos, quoniam non sunt membra Christi, sed ab Ecclesia segregati ac seiuncti, nec posse eiusdem Ecclesiae administrare mysteria, & sine ipsa, quae Sponsa Agni est, gignere Sacramento regenerationis Dei filios. Quae omnia etsi videantur invicta, diluuntur tamen quamfacillime, modo attendatur, baptismum propria veritate ac sanctitate constare, nec pollui ministrantium improbitate ac perfidia: illum homines, non suamet auctoritate, sed virtute Christi conferre: eumdem Christum esse, *qui baptizat in Spiritu Sancto*, ut testatur Ioannes cap. I. nunquam denique, ut Apostolica narrat Historia, baptismum Christi repetitum fuisse, licet collatum a Iuda, ob praestantiorem, qua baptismum Ioannis, lustrationesque Iudaicas superat, efficacitatem, atque energiam. Igitur traditioni, quam Afri opponebant, praeferenda est illa inveteratae consuetudinis, quam urgebat beatissimus Stephanus Romanus Pontifex; & quam postmodum plenaria Synodus omnium Sacerdotum confirmavit consensu, quorum plerosque producit de Consecr. dist. 4. Gratianus. Nec apud Africanos universalis erat rebaptizandi traditio & consuetudo, ut Augustinus lib. II. de Bapt. cap. 9. & lib. III. cap. 12. demonstrat ex ipsomet Cypriano scribente Epist. 71. ad Quintum, *Non esse de consuetudine praescribendum, sed ratione vincendum;* necnon ex haesitatione Iubaiani, qui rebaptizatione per Synodum Carthaginensem anni 255. definita, tanquam re nova commotus ac perturbatus, litteris Cyprianum ipsum consuluit. Nullo denique vetusto Canone traditio ab Agrippino inducta firmari poterat; siquidem Canones Apostolici 45. & 46. quos obiiciunt posteriores Rebaptizantes, Eruditorum iudicio commentitii sunt, nec illos invenies apud Cyprianum, vel Firmilianum, qui tamen ad erroris sui fulcimentum undique praesidia auctoritatis, rationisve arcessere. Erat itaque, ut Lirinensis verba repetam, Rebaptizantium opinio, *contra universalis Ecclesiae regulam, & contra morem & instituta Maiorum*. Nec illi praemissa Scripturarum testimonia suffragantur: enimvero hoc unum illis evincitur, in sola Ecclesia esse sanctitatem, veramque iustitiam, sed illinc non eruitur non haberi extra Ecclesiam baptismum: qui utique unus est tum in manibus haereticorum, quam in manibus Catholicorum, sicuti invocatio Trinitatis, per quam consecratur, eadem est in ore utrorumque; fluitque salutaris aqua etiam extra Ecclesiam, quae est *Hortus conclusus, & fons signatus*, quemadmodum flumina foras de fonte Paradisi largiter manaverunt. Haeretici vero, tametsi fidem ami-

amiserint, retinent tamen baptismum, sicuti profugae & apostatae pristinas notas & characteres. Immo & qui baptismate destituti sunt, illud conferre valent, quoniam non dant aliquid sui, sed Christi, qui per ipsos baptizat. Ita quasi alieno semine filios Deo gignunt, eosque sibi Christus adoptat, tamquam Sacramento regenerationis suae procreatos, atque eosdem sibimet Ecclesia parturit quasi ancillarum suarum utero: quod Augustinus lib. 1. de Baptism. cap. 16. egregie explicat exemplo filiorum Abraham, & Iacob.

V. *De Plenario Concilio, a quo finita fuit Rebaptizantium controversia.*

V. Praecedens quaestio de haereticorum baptismate, ut Augustinus saepe affirmat in libris de Baptismate, perducta fuit usque *ad auctoritatem plenarii Concilii*, quo remotis dubitationibus firmata est sententia superiori paragrapho definita. At quodnam sit Concilium illud *Plenarium*, celebratum, ut idem Augustinus ait lib. II. cap. 9. post S. Cypriani passionem, suamque nativitatem, idest, inter annum 258. & 355. inter eruditos viros disceptatur, asserentibus aliis intelligendum esse Augustinum de Synodo Arelatensi 1. celebrata anno 314. aliis de Nicaena indicta & coacta anno 325. Pro hac sententia, quam tenent Natalis Alexander, Iacobus Bossuet, Christianus Lupus, Henricus Norisius, aliique plurimi, pugnavimus & nos lib. XXXI. Theol. Dogm. cap. 13. prop. 10. Sed ne videamur de re non magni momenti acri studio & contentione disserere, id, quod in Ioanne Launoio, & Ioanne Nicolai Dissert. XXIV. huius Saeculi carpit praelaudatus Natalis, brevissime utriusque opinionis momenta ad memoriam legentium revocabimus. Facit itaque pro Nicaena Synodo primum illius Canon 19. quo Paullianistarum tantummodo, qui baptismi adulterabant formulam, repudiatur lavacrum; ideoque ceterorum haereticorum formam servantium ratum validumque censetur: Praeterea Augustinus lib. de Bapt. cap. 7. Concilium illud appellat *Plenarium totius Orbis*: quo nomine aperte designat Synodum Oecumenicam, ex universa Ecclesia collectam. Affirmans insuper idem Augustinus caussam Caeciliani actitatam in Synodo Romana Melchiadis, & iudicio aliorum Episcoporum, eorum nempe, qui Arelatem convenerant; addens vero Ep. 43. ad Glorium & Eleusium, eamdem caussam non fuisse discussam *in Plenario Ecclesiae iudicio*, interpellantibus Donatistis, aperte indicat, Synodum Arelatensem, suo quidem sensu, dici nequaquam posse *Plenariam totius Orbis*. Contra, Augustinum de Arelatensi Concilio, non autem de Nicaeno fuisse locutum Launoius, Sirmondus, de Marca, Albaspinaeus, aliique viri doctissimi ac praestantissimi contendunt, eo quod Canone 8. praefatae Synodi Arelatensis legitimus firmusque habeatur baptismus, in quavis haeresi, invocatione Trinitatis collatus: eadem Synodus plenaria fuerit, atque *ex omnibus Mundi partibus congregata*, quemadmodum legitur Can. 18. secundi Arelatensis Concilii, sive *ex*

locis

locis diversis, & prope infinitis, ut inquit Constantinus Magnus in Ep. ad Chrestum Episcopum Syracusarum: Augustinus lib. II. de Bapt. cap. 9. Concilium illud universale appellaverit *Transmarinum*, cuiusmodi Arelatense, non vero Nicaenum est Afris; in sententia demum Rebaptizantium fuerit S. Basilius in Ep. II. Canonica ad Amphilochium Can. 47. quod egregius Doctor ausus non esset, si controversiam Nicaeno Canone finitam novisset. Postremis hisce momentis qui sententiae adhaeret nostrae satisfactum inveniet praecitato cap. 13. nam a Conciliis de baptismate haereticorum pertractantibus ad ea, quae pro Lapsis peracta sunt, historica haec narratio progreditur.

VI. *De Synodis in causa Lapsorum coactis.*

VI. Saeviente Decii persecutione, Stephano Romano Pontifice sedente excitata, quum multi poenarum formidine, suppliciisve fracti thus immolarent idolis, multi etiam ne sacrificarent pecunia exhibita libellos acciperent a Magistratibus, ut immunes fierent, nec vexarentur, nec traherentur ad mortem; quorum primi *Sacrificati* dicti sunt, alii *Libellatici*: duo opposita exorta sunt Schismata, Felicissimi, qui ab exordio Episcopatus Cypriani in eum ciere turbas, gentesque irritare non destitit, atque Novatiani sceleftissimi adversus S. Cornelium Apostolicae Sedis invasoris. Ac Felicissimus lapsis, praedictis scilicet Sacrificatis & Libellaticis, maxime si attulissent litteras Martyrum commendatitias, spreta Ecclesiastica disciplina, reconciliationem & communionem impertiebatur. Novatianus e contra iisdem lapsis, penitus Ecclesiae fores occludens, veniam nunquam dandam esse autumabat. Quamobrem necessum fuit ita Episcoporum iudicio disciplinam constituere, ut neque poenitentibus intercluderetur salutis aditus, neque in desuetudinem abirent Canones poenitentiae. Atque id primo constitutum fuit sub Cypriano in Carthaginensi Episcoporum Conventu an. 251. mense Maio; in quo Felicissimus Schismaticus, & quinque ei adhaerentes Presbyteri damnati sunt, decretumque, *Ut nec in totum spes communicationis, & pacis lapsis denegaretur, ne plus desperatione deficerent, & eo quod sibi Ecclesia clauderetur, secuti Saeculum gentiliter viverent: nec tamen rursus censura Evangelica solveretur, ut ad communicationem temere prosilirent, sed traheretur diu poenitentia, & rogaretur dolenter paterna clementia, & examinarentur causae, & voluntates, & necessitates singulorum*: quae verba sunt Cypriani ad Antonianum scribentis. Actis eiusdem Synodi ad Cornelium Romanum Pontificem missis, ab ipso quoque mense Octobri proximo Romae alia Synodus coacta est, ad quam sexaginta Episcopi convenerunt, qui & damnarunt Novatianum, & suffragio suo confirmarunt decreta Synodi Carthaginiensis de Lapsis in communionem recipiendis. Atque de hac Romana Synodo ait praecitata Epistola Cyprianus: *Ipse Cornelius cum pluribus Coepiscopis habito Con-*

 cilio

cilio in eamdem nobiscum sententiam pari gravitate, & salubri moderatione consensit. Ex hoc uno Romano Concilio, ut praemonui num. 12. Baronius ad annum 254. duo fecit. Paullo post, anno videlicet 252. Idibus Maiis, habita est altera Synodus Carthaginensis, commemorata a Cypriano in Epist. 59. ad Cornelium. Huic Synodo interfuere Episcopi XLII. eaque decretum est, ut facturis martyrium, ac morti proximis reconciliatio, etiam poenitentia non peracta, daretur; quoniam eo in casu ad pugnam paratis denegari non debent divina ac paterna solatia, & pax non datur ad quietem, sed ad aciem: non deliciis, sed armis: non dormientibus, sed vigilantibus, quemadmodum loquitur in praelaudata Epist. Cyprianus. Postremam hanc Synodum referunt quidam cum Baronio ad annum 255. falsam, ut ex dictis perspicuum est, secuti Chronologiam.

VII. *Disciplina, quae in Lapsis recipiendis tertio Saeculo servabatur.*

VII. Vt autem ea, quae de Lapsis diximus, percipiantur, quaedam adnotari oportet spectantia ad Ecclesiasticam disciplinam. I. Nunquam in Christi Ecclesia ante aetatem Tertulliani consuetum fuit in Idololatriam, aliaque scelera graviora prolapsis veniam & communionem denegare. Optime quippe Patres noverant, Paulum in 2. ad Corinthios, illos hortari, ut incestuosum communione privatum recipiant, ne absorbeatur tristitia: Ioannem, qui & fertur reconciliasse Ecclesiae latronem caedibus flagitiisque plurimis maculatum, 2. Apocalypseos Thyatirenis incestuosis remissionem poenitentia obtinendam exhibere: Irenaeum lib. 1. cap. 6. narrare exomologesin mulierum, quas Marcus praestigiator vitiaverat. Legite de veteri ea disciplina Epistolam Dionysii Corinthiorum Episcopi ad Amastrianos, Litteras S. Paciani ad Sempronianum, Hieronymum adv. Luciferianos, atque ipsummet Tertullianum cap. 7. de Poenitentia. II. Sedente in Petri Cathedra Zephyrino coeperunt aliqui negare fornicariis absolutionem, inter quos Tertullianus ad Montanistas declinans; viguitque apud nonnullos Afros istiusmodi rigor aetate etiam Cypriani, ut ipse scribit in Epistola ad Antonianum. Recte praelaudatus Zephyrinus rigorem illum damnavit Apostolica definitione, quam in Libro de Pudicitia cap. 1. praecitatus Tertullianus rodit, & vellicat. III. Cyprianus, Africana Concilia, & Synodus Romana Cornelii decrevere, lapsis omnibus absolutionem peracta poenitentia esse impendendam, idque aequissimo rectissimoque iudicio, quoniam locupletissimis divinae Scripturae testimoniis apertum sit, nolle Deum mortem peccatoris, sed conversionem & vitam. Hinc Sanctus Cornelius Trophimum Episcopum, & ingentem Thurificatorum numerum, errorem pristinum cum magna humilitate & satisfactione confitentes, in communionem recepit; atque hac de causa Novatiani de Cornelio inhonesta ac maligna iactantes, illum cum Libellaticis communicare asserebant; a qua turpi & falsa calumnia Romanum Pontificem

tificem S. Cyprianus vindicavit in praelaudata ad Antonianum Epistola. IV. Quoniam non unum erat lapsorum crimen, nec una in iis recipiendis servata est disciplina: sed Libellaticis, qui tantum consentiebant, ut sacrificasse dicerentur, libellosque precio petebant, ea simulatione se, uxores, & liberos a persecutorum furore subtrahentes, maiori indulgentia concedebatur remissio: Sacrificati absolvebantur tantummodo post diuturnam rigidissimamque satisfactionem, & priusquam immineret persecutio Valeriani, in exitu vitae, & in mortis articulo: Episcopi autem, & Presbyteri poenitentes post lapsum ita in communionem recipiebantur, ut abstinerent ab omni functione Sacerdotali, & communione duntaxat laica donarentur. Hanc rationem, qua S. Cornelius Trophimum paullo supra commemoratum receperat, servatam minime fuisse in Africa cum Fortunatiano Episcopo Assuri, atque a nonnullis Hispanis cum Basilide & Martiale quaerebatur Sanctissimus Cyprianus scribens Epist. 67. *Huiusmodi homines*, qui in Sacerdotio constituti immolaverant Idolis, *ad poenitentiam quidem agendam posse admitti, ab ordinatione autem Cleri, atque Sacerdotali honore probiberi*. V. Institutae autem circa haec tempora fuere stationes quaedam, seu gradus poenitentium, quibus gradatim ad Canonicam absolutionem, & communionem fidelium lapsi pertingerent. Neque enim istorum graduum in Ecclesiasticis praecedentium temporum monumentis ulla fit mentio, ac de iis fuse pertractat in Epistola Canonica inserta Vol. I. Conciliorum S. Gregorius Neocaesariensis Episcopus, cognomento Thaumaturgus. Quatuor praedicti Gradus enumerantur, πρόσκλαυσις, *Fletus*, quo poenitentes extra Ecclesiam sub dio commorantes, lacrymis gemitibusque ingredientes, ut pro se orarent, interpellabant: ἡ ἀκρόασις, *Auditio*, quo in gradu in interiori Ecclesiae porticu, sive in extrema templi parte, prope ianuam constituti simul cum Catechumenis orabant, & usque ad Offertorium morabantur, tunc vero eiectis a Diacono Catechumenis, discedebant: ὑπόπτωσις, *Substratio*, in parte ambonis (pulpitum nunc dicimus) postica, ubi poenitentes prostrati subiiciebant sese impositioni manuum Presbyterorum: ἡ σύστασις denique, *Consistentia*, statio nempe in qua fidelium orationibus communicantes iniunctam poenitentiam complebant. Legite lib. vi. de Poenitentia cap. 1. Ioannem Morinum. VI. Quoniam nonnulli sacrificiis Idolorum polluti, confugientes ad Martyres & Confessores, qui detinebantur carceribus, impetrabant litteras commendatitias, ne congruentem poenitentiam subirent, Sanctorumque intuitu donarentur venia, & fidelium communione; cautum fuit, ut a laudatis Martyribus lapsorum desideria solicite ponderarentur, necnon expenderentur genera delictorum: unde S. Cyprianus Epist. 10. de hac re praedictos Martyres & Confessores sedulo commonefecit, atque in Epist. 59. ad Fidum reprehendendum censuit Therapium Episcopum Bullensem in Provincia

cia Proconsulari, quoniam cuidam Victori Presbytero, antequam plenam poenitentiam egisset, pacem largitus fuerat. Ex his Epistolis Cypriani, atque ex vigente hoc Saeculo disciplina Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Indulg. cap. 3 aliique Controversiarum Fidei tractatores demonstrant adversus haereticos, esse in Ecclesia potestatem, vetustamque consuetudinem Indulgentias elargiendi.

VIII. *De Synodo Carthaginiensi in caussa Basilidis, & Martialis.*

VIII. Inter Libellaticos, de quibus supra, fuere duo Hispaniarum Episcopi, Basilides Legionensis, & Martialis Asturicensis Ecclaesiae Praesul, qui non solum in Ecclesiam recipi, verum etiam in ea, ut antea, praesidere, & Episcopali fungi munere satagebant. Id vero, ut diximus, Cornelii, Cypriani, & Romanae, atque Carthaginensium Synodorum decretis adversabatur. Quare fideles Hispani loco Basilidis, & Martialis, Episcopos substituendos curarunt Sabinum & Felicem. At Basilides nequaquam laica communione contentus, in propriam Cathedram subrogatum Sabinum videns, livore tabescens ad Apostolicam Sedem se contulit, ac Stephanum Romanum Pontificem dolis, fallaciisque circumvenit, ut sibi restitui iuberet Episcopatum. Dum vero haec causa Romae ageretur, Hispaniarum Episcopi Cyprianum quoque per litteras consuluerunt: ac Cyprianuus collegas Antistites ad Synodum Carthaginensem congregavit. In ea Synodo definitum est, Felicem & Sabinum rite fuisse ordinatos, Basilidem vero & Martialem frustra sibi usurpare Episcopatum, *Cum manifestum sit huiusmodi homines nec Ecclesiae Christi praeesse posse, nec Deo sacrificia offerre debere; maxime cum iam pridem cum omnibus omnino Episcopis in toto Mundo constitutis etiam Cornelius Sacerdos pacificus ac iustus, & martyrio quoque dignatione Domini honoratus, decreverit, eiusmodi homines ad poenitentiam quidem agendam posse admitti, ab ordinatione autem Cleri, & Sacerdotali honore prohiberi*: quae verba leguntur in Epistola Synodica ad Legionensem & Asturicensem Ecclesias inter Epistolas Cypriani 67. alias 68. Refertur laudata Synodus a Baronio ad annum 258. ab aliis ad annum 254. Cum Stephanus obierit anno 257. ut dictum est num. 14. postrema opinio censenda est priori verisimilior. Lege de hac Synodo citato in loco Baronium, Cardinalem *de Aguirre* Tom. I. Concilior. Hispaniae, & Petrum de Marca lib. IV. Concordiae cap. 5.

IX. *Quaenam Concilia tertio Saeculo congregata sint ad haereses exstirpandas:*

IX. Praeter haec fuerunt aliae tertii Saeculi Synodi ad eliminandas haereses celebratae. Quarum prior fuit coacta Lambese urbe Africae mediterranea adversus Privatum veterem haereticum, anno 240. iuxta Baronium 242. Quaenam vero fuerit Privati haeresis hactenus ignoratur, unde opinamur illum nil novi dogmatizasse, sed superiorum haereticorum erroribus adhaesisse. Ob multa & gravia delicta damnatum nonaginta Episcoporum sententia, & notatum severissime litteris S. Fabiani R. P. ad praelaudatam Synodum

nodum

nodum Lambesitanam, colligimus ex Epistola S. Cypriani 55. alibi 59. ad Cornelium. Post Fabiani mortem Privatus, homo callidus & versipellis, ab Apostolica Sede litteras pacis studuit elicere; at non potuit Romano Clero quidquam emissarius eius imponere. Circa haec tempora Gordiano imperante, ideoque ante annum 244. Beryllus Bostrorum in Arabia Episcopus in Synodo Bostrae collecta damnatus est: eiusque Synodi acta suo tempore extare affirmabat Eusebius lib. VI. Hist. Eccl. cap. 33. de Haeresi autem Berylli, quoniam notissima est, proxima agendum Dissertatione. Per idem tempus in Ephesina, aut Asiatica alia Synodo condemnatum fuisse Noetum praeceptorem Sabellii, coniiciunt Viri docti ex Epiphanio Haer. 57. Verum hinc tantum eruas, Noetum ab Ecclesiae suae Presbyteris interrogatum, eiectumque fuisse. Varias autem de Noeto opiniones referemus pertractantes paullo infra de Haeresibus. Celebriora sunt Concilia duo Antiochena habita contra Paulum Samosatenum, unum quidem anno 265. alterum anno 270. Secunda Antiochena Synodus ea est, quam Eusebius lib. I. Hist. Eccl. cap. 29. ait fuisse *innumerabilium fere Episcoporum*; & cuius Synodi Epistolam idem Historicus producit tricesimo sequenti capite. Male Baronius eam Synodum refert ad annum 2. Aureliani, & Christi 272. In superiorem annum, atque ad exordia principatus Aureliani ipsamet Synodus reiici debet: primum quia Epistola Synodi directa principaliter est ad S. Dionysium Romanum Episcopum, qui anno 270. decessit, prout num. 18. praediximus: deinde quia eodem anno 270. fuisse hanc Synodum congregatam, non Marianus tantum, Hermannus Contractus, aliique superioris aetatis viri adnotarunt, sed qui subsecuti sunt eruditissimi & celeberrimi, Petavius lib. XIII. de Doctr. Temp. Henricus Valesius in Notis ad praecitatum cap. 29. Eusebii, Dupinius Tom. I. Novae Biblioth. pag. 332. ac fere universi recentiores: ulterius, quia anno 2. Aureliani bello contra Zenobiam confecto, Byzantium, Tyana, Antiochia, & aliae Orientis Civitates hostium incursionibus patuere, neque Antiochiae congregari potuit Concilium Episcoporum: denique quia in Synodo Ephesina anno 431. lectus fuit libellus Contestationis Cleri Constantinopolitani scriptus Theodosio XIII. & Valentiniano III. Coss. idest, praecedenti anno 430. atque in eo libello asseritur, Nestorium eiusdem sententiae esse *cum Paulo Samosateno ante annos 160. ab Orthodoxis Episcopis anathemate condemnato*. Ab anno autem 430. retro enumeratis annis centum & sexaginta, pervenitur ad annum Christi 270. in quo proinde figenda est Epocha illius Synodi Antiochenae, quae Paulum nefariae haereseos convictum, & ab omnibus deprehensum falsi dogmatis reum ab universa, quae sub coelo est, Catholica Ecclesia eiecit, detrusit, eliminavit.

X. In

X. *Sinuessanum Concilium esse commentitium ostenditur.*

X. In Conciliorum tertii Saeculi numero nequaquam comprehendimus Sinuessanum, in quo aiunt discussam Marcellini Pontificis causam, posteaquam idolis thus immolaverat. In Dissert. enim praeced. num. 24. diximus illam Marcellini thurificationem esse Donatistarum, & praesertim Petiliani accusationem falsam & commentitiam. Deinde Petilianus criminis, & damnationis Marcellini nullam potuit testificationem producere, ideoque neque Acta Sinuessanae Synodi adinvenire, quum tamen foret cum ad vera perquirenda, tum ad struendas calumnias vigilantissimus ac sollertissimus. Incredibile praeterea est, saeviente persecutione Diocletiani, Episcopos ccc. Sinuessam exiguam, excisamque Campaniae urbem ad Massicum montem, haud procul a Minturna civitate, oppidoque Vulturno, atque in Cryptam Cleopatrensem, quae fortasse nuspiam extitit, capientem quinquagenos tantum viros, convenisse, simulque 30. Presbyteros, tres Diaconos, aliosque 28. testes, & ulterius amplissimi huius Consessus Acta Diocletiano bellum gerenti adversus Persas innotuisse, ut legitur in suppositiitis huius Concilii Actis. Ad haec absurda omnino sunt quae hisce in Actis leguntur, Marcellinum sacrificasse Iovi, Herculi, & Saturno in templo Isidis: lapsus sui die purpuram exuisse, & induisse coccum: convincendum, damnandumque fuisse septuaginta duorum testimonio, ut horum numerus Librae occiduae, quae septuaginta duobus solidis pendet, comprobaretur exemplo, aliaque huius furfuris ridenda potius, quam enarranda. Animadvertit insuper doctissimus Petrus Coustant in Adnotationibus ad Epistolas RR. PP. pag. 311. in Sinuessani Concilii Actis occurere praeter modum & impolitam locutionem absurda complura, secum pugnantia, neque cum obiectis Petiliani cohaerentia, putida etiam, & iterata Marcellini mendacia, quae prolata ab ipso iam iam subituro martyrium, nemo mortalium sibimet persuadeat. Perantiquum tamen, & vigente Schismate Donatistarum exortam esse thurificationis Marcellini, & Sinuessanae Synodi fabulam, praeter ea, quae diximus, in praeced. Diss. num. 24. demonstrant vetustissima exemplaria ante tempus Isidori Mercatoris conscripta, & laudata in Hist. Eccl. MS. Panvinii apud Schelestratenum Tom. 1. Antiquit. Illustratae pag. 438. aliaque commemorata a praelaudato P. Coustant, exarata Longobardicis litteris in pervetusto Codice Colbertino, necnon Epistola Nicolai I. scripta vertente Saeculo IX. ad Michaelem Imperatorem Graecorum: ex quibus munimentis fabulam in Romanum quoque Martyrologium irrepsisse minime dubitamus. At legite de hac quaestione Viros percelebres, quos de Marcellini lapsu disserens laudavi. Haec de Synodis III. Saeculi, inter quae non connummeravimus Romanam an. 263. sub Dionysio, quoniam mentionem eius fecimus in praec. Diss. num. 18. nec aliud de illa ad notitiam pervenit nostram, quam actitatam in ea causam Dionysii Alexandrini; id, quod eo loci affirmavimus, litterisque commendavit in lib. de Synodis num. 43. Athanasius.

DISSERTATIO III.

DE HAERETICORVM COMMENTIS.

I. QVod superiori Dissertatione num. IX. scripsimus nonnullos tertio vertente Saeculo habitos Episcoporum congressus ad erumpentes haereses exstirpandas, commonstrat non defuisse eodem Saeculo homines iniquissimos, qui temerario ausu inconsutilem Christi vestem, Fidem nempe Catholicam, scindere & lacerare studuerint. Fuerunt hi Praxeas a Tertulliano refutatus, Beryllus Bostrensis, Noetus Ephesius, Sabellius, Paulus Samosatenus, Novatianus, Nepos Aegyptius, & Manes Persa auctor Manichaeorum: de quibus, sicuti & de Valesianis atque Origenistis, quorum meminit in libro de Haer. Epiphanius, Dissertatio instituenda est in tertia, quam aggredimur, Lucubratione.

I. *Quinam Haeretici Ecclesiam Saeculo III. vexaverint.*

II. Praxeas, ut a priori exordium ducat oratio, Patripassianorum dux & signifer, unus olim ex Cataphrygibus seu Montanistis, & *Phrygum Doctor* a Paciano in Epist. 1. appellatus, ab ea postmodum secta desciscens, eamdem oppugnavit, & Romae, ad quam urbem venisse anno 7. Commodi, Christ. Aer. 86. una cum Pagio bene multi opinantur, proscribendam detexit; quod cap. 1. adversus ipsummet Praxeam queritur Tertullianus, scribens: *Duo negocia Praxeas Romae procuravit, Prophetiam expulit, & haeresim intulit; Paracletum fugavit, & Patrem crucifixit.* Haec Tertullianus a fide extorris, & Montanismi deliriis abreptus mandavit litteris circa annum 209. Dogmatizavit autem Praxeas, teste Tertulliano citato in loco, *Ipsum Patrem descendisse in Virginem, ipsum ex ea natum, ipsum passum, denique ipsum esse Iesum Christum;* idque autumabat, quoniam ita unicum Deum asserebat, ut Personarum reiiceret proprietatem ac distinctionem. Hunc errorem refellens cap. 5. citati Operis Tertullianus lineas aliquantulum transgressus expressione verborum, quibusdam viris doctis, ac in primis Dionysio Petavio lib. 1. de Trinit. cap. 5. num. 2. visus est Arianam haeresim impietate & absurditate superasse.

II. *Praxeae describitur haeresis, & quaeritur num hanc hauserit a Cataphrygibus.*

At quoniam non est huius loci exornare Tertulliani vindicias, hoc unum de Praxea addimus, illius haereseos, ac praesertim nominis, non meminisse Epiphanium, quod Praxeae nomen obscurum fuerit, Graecisque ignotum; tametsi ceteri, qui de Haeresibus pertractarunt, eiusdem Praxeae mentionem fecerint, ut Augustinus, & Philastrius, & Auctor Praedestinati. Hic tamen Cataphrygas, ac Montanistas adnumerans Sabellianis, sive hostibus SS. Trinitatis, ac Tertullianum reprehendens, quod in libro adversus Soterem Papam Montanum ab errore Praxeae superius recensito purgaverit, falsus omnino est, fideique subleſtae. Quod primo ostendimus, quia nec Soter adversus Cataphrygas, neque Tertullianus pro Cataphrygibus adversus Soterem aliquid invenitur scripsisse: deinde quia idem Tertullianus postquam ad Montanistas defecit, non affirmasset, plures esse in Trinitate personas, neque asseruisset, Praxeam omnium primum ex Asia hoc genus perversitatis intulisse, qua Filius cum Patre confunditur, si idem ante Praxeam commentus esset Montanus; demum quia licet secta quaedam Montanistarum, quos Tertullianus de Praescript. cap. 52. *Aeschinitas* appellat, sectarentur dogma Sabellii, ut colligimus quoque ex Epist. 54. S. Hieronymi ad Marcellam; non fuit id tamen commune Montanistis omnibus, neque assertum a Montano, nec vulgatum ante annum 177. quo Soter decessit, nec deprehensum in Cataphrygibus a Tertulliano ante annum 209. dum scripsit adversus Praxeam: de quo haec tantum.

III. *Haeresis Berylli explicatur, & quaeritur quidnam fuerint illius Philocaliae.*

III. Non ergo Praxeas institutores habuit Montanistas, sed Ebionitas potius, Cerenthianos, asseclasque Theodoti Coriarii, & Artemonis, de quibus egimus in Diss. III. transacti Saeculi num. 18. Quare S. Alexander Episcopus Alexandrinus in Ep. ad cognominem suum Antistitem Byzantinum Haeresim Sabellianam praeformatam a Praxea, filiam Ebionitanae, Arianae autem parentem vocitabat. Secuti sunt vero Praxeam Beryllus, Sabellius, qui S. Trinitatis Personas tria duntaxat nomina dixere. Ac Beryllus quidem Bostrorum in Arabia Episcopus, ut inquit Eusebius lib. VI. Hist. Eccl. cap. 33. *Ecclesiasticam pervertens regulam, nova quaedam, & aliena a Fide Catholica inducere conatus est, ausus asserere, Dominum Servatorem nostrum, antequam inter homines versaretur, non substitisse in propriae personae differentia; nec propriam, sed paternam duntaxat divinitatem in se residentem habere*. Ab Origene Beryllum refutatum fuisse, & disputationibus in Ecclesia habitis in viam veritatis perductum, eiusque errorem a plurimis Episcopis damnatum in Synodo, de qua egimus in praeced. Diss. num. IX. tradit eodem in loco Eusebius. Valesius Adnot. ibidem apposita ait Berylli errorem in eo situm, quod negaret Dei Filium ante Incarnationem personaliter substitisse, ipsique abrogaret divinitatem: de quo errore praelaudatus Origenes in Epistola ad Titum, *Sed & eos*, inquit,

inquit, *qui hominem dicunt Dominum Iesum praecognitum, & praedestinatum, qui ante adventum carnalem, substantialiter & proprie non extiterit, sed quod homo natus Patris solam in se habuerit Deitatem, ne ipsos quidem sine periculo Ecclesiae numero sociari*. Et quidem hanc fuisse Berylli mentem affirmat, etiam Gennadius lib. de Dogmat. Eccl. cap. 3. Meminerat eiusdem Berylli ipsemet Eusebius citato lib. VI. cap. 20. ubi ait asservatas in Bibliotheca Aeliae Vrbis Berylli Epistolas, Lucubrationes, variasque Philocalias. Postremum hoc vocabulum vertit Chrystophorsonus, *libellos ex variis Scriptoribus excerptos tanquam flosculos*; & consimili Versione utitur ad Annum 229. Baronius: sed Valesius Philocalias διαφόρους interpretatur *elegantis ingenii monumenta*, cuiusmodi sunt poemata, & hymni. Sane Philocaliae sunt florida & selecta ex aliquo Scriptore deprompta, ut quatuor Libri *Floridorum* Apuleii, & quem *Philocaliam* inscripsit Origenes, nomine a φιλέω *amo*, & κάλον *pulchrum* derivato. Hinc Augustinus lib. II. contra Academicos cap. 3. ait, Philocaliam, & Philosophiam germanas esse, eodemque parente procreatas, tametsi animadvertens *Philocaliam* interdum sumi in malam partem, ut dum Socrati Philocalia, quasi paederastia obiiciebatur, quod scripserat adversus Academicos, lib. 1. Retract. cap. 1. tanquam prorsus ineptum & insulsum reprehendit. Verum ad Haereticos revertamur.

IV. Vestigia Berylli sectatus est Noetus, quem S. Epiphanius Haer. 57. appellat Asianum & Ephesinum, quamvis Theodoretus lib. III. Haeret. Fabularum tradat fuisse patria Smyrnensem, & cuiusdam Epigonii discipulum. Erupit Noeti haeresis circa annum 245. nam Epiphanius qui Panarium, seu Opus adversus Haereses inchoavit anno Christi 374. Impp. Valentis & Valentiniani undecimo, ait Noetum extitisse *ante hoc tempus centum triginta plus, minus annis*. Tanto elatus erat Noetus fastu, tantaque dementia, ut se Moysen, Aaron vero fratrem suum fuisse iactaret; immo & cum Elia communem se habuisse parentem ambitiosissime assereret, si fides habenda sit Philastrio ad Haeresim 53. Noetus ab Orco Praxeae revocavit errorem, dogmatizans unam in Trinitate personam, & negans Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum esse subsistentia & hypostasi, sive personali proprietate discretos. *Noetiani* (inquit Aug. de Haeres. num. 36.) *a quodam Noeto, qui dicebat, Christum eumdem ipsum esse Patrem, & Spiritum Sanctum*.

IV. *Noeti patria, ambitio, doctrina.*

V. Hausit imo pectore errorem Noeti, suoque nomine reddidit notiorem Sabellius e Lybia oriundus, natus Ptolemaide Civitate Pentapoleos, ita a Ptolomaeo rege eius conditore appellata. Ac Sabellium *Noeti discipulum fuisse quidam perhibent*, ut inquit cit. lib. de Haer. num. 41. Augustinus. Sabellianam autem haere-

V. *Sabelliana explicatur impietas.*

haeresim ortam Ptolemaide tempore Sisti Romani Pontificis, qui obiit anno 258. die 6. Augusti, ut ostendimus in prima huius Saeculi Diss. num. 16. constat ex Epistola Dionysii Alexandrini ad eumdem Sistum, apud Eusebium libro VII. Hist. Eccl. cap. 6. in qua Epistola Alexandrinus Episcopus Romanum Antistitem reddens de Sabelliano dogmate certiorem, ait nuperrime illud apud Ptolemaidem Pentapolitanam exortum, plenissimumque esse *impietatatis & blasphemiae erga Omnipotentem Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi, incrudelitatis erga unigenitum eius Filium, Primogenitum omnis creaturae, Verbum quod inter homines versatum est, stuporis denique adversus Spiritum Sanctum*; additque Dionysius se adversus Sabellium Epistolas quasdam fusius more Tractatoris scripsisse, quarum exemplaria ad ipsum Sistum transmiserit. Atque hinc Sabellii aetatem, genus, erroremque deprehendimus. Fuit ergo dogma Sabellii idem, quod Praxeae, & Noeti, unam scilicet esse in Trinitate hypostasim, unamque personam, tribus distinctam nominibus. Etiam Ariani apud Athanasium in Libro de Synodis num. 16. aiebant, Sabellium praedicare αὐτοπάτορα, quod S. Hilarius de Trinit. lib. IV. num. 12. ita latine explicavit, *Ipsum dixit Filium, quem Patrem*. Epiphanius Sabellianorum haeresim num. 62. hisce verbis describit: *Horum haec opinio est, eumdem esse Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, ut ad eamdem hypostasim tres appellationes conveniant; aut perinde atque in uno homine corpus & anima & spiritus inest, ita ut corporis instar sit Pater, animae Filius, Spiritus denique in ipsa divinitate humani spiritus instar habeatur*. Fere eadem de Sabellio tradunt Greg. Nazianzenus Orat. 1. Basilius Epist. 64. Theodoretus lib. III. Haer. Fab. apud Illustrem Petavium lib. 1. Theol. Dogm. cap. 6. Addimus quae leguntur in Confessione Fidei Catholicae, quam S. Damasus Papa misit ad Paulinum Episcopum Antiochenum: *Anathematizamus quoque eos, qui Sabellii sequuntur errorem, eumdem dicentes Patrem esse, quem Filium*. Verbo dicam, a Sabellio inducta est divinarum personarum confusio; & recte S. P. Augustinus praecit. num. 41. ait, Sabellianos, *qui & Patripassiani dicuntur*, antea Praxeianos a Praxea, & Noetianos a Noeto fuisse appellatos.

VI. *An revera Sabelliani iidem fuerint ac Patripassiani.*

VI. Aliquod tamen discrimen Sabellianos inter, ac Noetianos adstruit praelaudatus Epiphanius cum in Synopsi 2. libri, tum in Anacephalaeosi, seu brevi descriptarum haereseon repetitione, ubi ait Sabellium, quamvis in plerisque cum Noeto consentiat, ab illo tamen eo in capite discrepare, quod non, ut ille, Patrem passum, & suffixum cruci arbitretur: unde tam ipsemet Epiphanius, quam alii quidam haeresim Noetianam a Sabelliana secernunt, & Sabellii gregarios a Patripassianis differre putant. Videtur discrimen illud agnovisse etiam Liberius Papa Epistola 15.

ad

ad Orthodoxos Episcopos Orientis; in qua de iis, qui omnes Arii blasphemias reiicere, & anathemate damnare noluerint, inquit: *Sciant se pariter cum Ario, eiusque discipulis, & reliquis serpentibus, sive Sabeltianis, seu Patripassianis, aut quibuslibet aliis haereticis, extraneos esse & alienos a communione Ecclesiae, quae adulterinos filios non admittit.* Verum Sabellianos idem cum Patripassianis dogmatizasse nullus dubito. Etenim id asserit S. Basilius praecitata Epist. 64. & Hom. 96. id rursus tradunt Hilarius lib. II. de Trinitate, Athanasius in libro de Synodis, Augustinus de Haer. ac Tract. 36. in Ioannem, Fulgentius in libro contra Sermonem Fastidiosi, atque ne percenseam singulos, Marius Mercator in Dissert. de XII. Anathematismo Nestoriano. Quorum communis assertio est, Sabellianos Catholicum de Trinitate dogma funditus evertisse, in solo Patre propriam asseverasse hypostasim ac subsistentiam, illum pro rerum opportunitate nunc Patrem dici, nunc Filium, nunc Spiritum Sanctum, eumdemque legem Moysi dedisse sub titulo Patris, tum assumpta carne gessisse Filii nomen, appellatumque Spiritum quando descendit super Apostolos, aliaque istiusmodi deliramenta fuisse commentos; eos demum, quos a sectae principe Graeci nominant Sabellianos, a dogmatis perversitate Patripassianos vocari a Latinis. Vlterius Epiphanius iis, quae de Sabellianis affirmat Haer. 62. & ex ratione inde petita revincitur. Si enim Sabellius unam in Deo hypostasim solummodo distinctam tribus appellationibus, ut ait Epiphanius, praedicabat, consequens manifestissimum est, uti Patrem, ita personas reliquas carnem mortemque e Sabelliano dogmate subiisse. Subscribendum itaque Augustino, cuius praecit. Tract. 36. haec sunt verba: *Sabelliani dicti sunt quidam haeretici, qui vocantur Patripassiani, qui dicunt ipsum Patrem passum fuisse.* Nec urgent quae paullo ante obiiciebantur. Enimvero de Epiphanio dictum est modo; nec repetam aliud, praeter ea, quae scripsit idem Augustinus de Haeresibus: *Vnde ergo sit factum, ut Noetianos & Sabellianos, non unius haeresis duo nomina, sed tanquam duas haereses supradictus Epiphanius poneret, liquido invenire non potui.* In Epistola autem Liberii Sabellianos a Patripassianis appellatione sola secerni, evincit vel ipsa Latina phrasis.

VII. *Pauli Samosatensis res gestae, haeresis, & proscriptio.*

VII. Adhaesit Sabelliano dogmati Paulus, Samosatis Syriae ad Euphratem urbe, ac patria Luciani Fidei desertoris, & a canibus dilaniati, natus, nomenque sortitus, atque ad Episcopatum Antiochenum, defuncto Demetriano, evectus potentia & auctoritate Zenobiae uxoris Odenati regis Palmyrenorum. Ipsa enim Zenobia, quamvis orta Iudaico genere, primum Graecorum litteris Longino praeceptore, deinde Christiana disciplina tradente Paulo Samosatensi erudita, hunc iudaizantem, & denegantem Christi ante Incarnatio-

nem

nem praeexistentiam, atque divinitatem, patrocinio fovit, Praesulisque honoribus decoravit. Eusebius lib. VII. Hist. Eccl. cap. 27. ait, Paulum suscepisse Episcopatum Antiochenum per idem tempus, quo in Romano S. Dionysius Pontifici Sisto successit: quod iuxta Chronologiam nostram praemissam in Prima Diss. num. XVIII. referendum est ad annum Christi 259. Celebrata adversus Paulum duo Antiochena Concilia anno 265. & 270. dictum est in praeced. Diss. num. IX. Atque in priori quidem Synodo haeresiarcha damnatus fuit unanimi Patrum consensu, inter quos praelaudatus Historicus connumerat Firmilianum Caesareae in Cappadocia, Gregorium Thaumaturgum, eiusque fratrem Athenodorum in Ponto, Hymenaeum Hierosolymorum, & Maximum Bostrensem, Antistites doctrinae & sanctitatis laude clarissimos. Paulus damnata eius haeresi occultare studuit dogmatis sui novitatem, & callida Christianae fidei simulatione anathema & damnationem elusit. At eius fraude, atque tergiversatione detecta a Malchione Presbytero Viro disertissimo, & apud Antiochenses Sophisticae Scholae praefecto, alterius Synodi, a qua proscriptus, & Episcopatu deiectus fuit, sententiam evitare nequaquam potuit: Quum vero ex Ecclesiae aedibus excedere, & Domno in eius locum substituto administrationem Episcopatus cedere nollet; necessum fuit interpellare Imperatoris Aureliani auctoritatem: atque ita per potestatem saecularem cum maiori dedecore fuit e Sede Episcopali exturbatus. Haec autem fuere Samosatensis dogmata pestilentissima. Primum cum Artema, seu Artemone, cuius haeresim descripsimus in Diss. III. Saec. II. num. 18. dogmatizavit, Christum nudum esse hominem, neque ante Mariam extitisse, quod in Encyclica Epistola apud Eusebium lib. VII. cap. 30. testantur Patres Antiocheni. Eam ob rem psalmos hymnosque in honorem Domini cantari solitos abolere, aliosque, in suimet laudem conscriptos illorum vice ad canendum in Ecclesia proponere ausus est temeritate sacrilega. Negavit & Paulus, quod praecedentis blasphemiae consectarium est, Filium tamquam Deum habere hypostasim a Patre distinctam, ut colligitur ex eadem Encyclica, ex Athanasio in Oratione de salutari Christi adventu, atque ex Epiphanio Haer. 65. Qui enim negant Christi ante Virginem existentiam, necessum est, ut vel illius personam ante assumptam humanitatem cum persona Patris confundant, quae est haeresis Patripassianorum, sive Sabelliana; vel inter Patrem, Filiumque statuant naturae discrimen, quae est posterior haeresis Arianorum. Ita Christi divinitatem, triumque personarum divinarum distinctionem, ut olim Ebion, Cerinthus, Artemon, tum Praxeas, Beryllus, & Sabellius, & aliis omissis, posterioribus quoque Saeculis Sociniani omnium haereticorum deterrimi effutierunt, Samosatensis usus est denegare. Ex quibus duo obiter notanda sunt; unum quidem non alia ratione Paulum Samosa-

mosatensem in Deo adstruisse unitatem τῆς οὐσίας, nisi ut eliminaret τρισυπόστατον; ideoque perperam Arianos repudiasse Ὁμοούσιον, obtendentes eo vocabulo Pauli Samosatensis revocari atque instaurari perfidiam: alterum vero, hunc haereticum minime negasse veram Christi ex Virgine Nativitatem, sed Christi tanquam personae a Patre distinctae existentiam, priusquam conciperetur ex Virgine; & consequenter frustra Nestorius quinto vertente Saeculo in sua ad Coelestinum Papam Epistola aiebat, se dictionem illam χριστοτόκον usurpare, quoniam removeret blasphemiam Samosateni.

VIII. *Christum ante Mariam praeextitisse demonstratur.*

VIII. Ex hactenus dictis apertum est, duo esse Catholicae Ecclesiae dogmata adversus praenarratas haereses propugnanda, certissimaque fide tenenda: primum, Christum ante temporalem conceptionem, ac nativitatem suam, quoad personam propriamque hypostasim in sempiterna divinitatis substantia praeextitisse: secundum autem, in substantia divinitatis plures, ac tres suamet proprietate discretas reperiri personas. De priori autem dogmate ad Christi praeexistentiam spectante, & quod oppugnatum ab Ecclesiae incunabulis fuisse a perditissimis heterodoxis, nequaquam nos haesitare patitur cum veteris, tum novi Testamenti auctoritas. Etenim Psalmista num. 89. Dominum nostrum fuisse testatur, *priusquam montes fierent:* Michaeas vers. 2. ait repetendum esse egressum eius *ab initio, & a diebus aeternitatis:* eique Apostolus ad Hebraeos cap. 13. attribuit divinitatem, itemque Ioannes in 1. Apocalypsis eumdem Christum *primum & novissimum, principium, & finem appellat*. De iis vero, quae leguntur initio Evangelii Ioannis, necnon de celebri illo testimonio Cap. 8. eiusdem Evangelii, *Antequam Abraham fieret, ego sum;* quod ineptis, insulsisque cavillulis novi Ebionaei, seu Transylvani haeretici adnituntur excutere, dictum est alibi. Nunc locis istis divinarum Scripturarum, traditione etiam, & perpetuo Patrum consensu corroboratis, hoc unum addimus, sublata a Christo ante Conceptionem suam Virgineo in sinu existentia, tolli quoque divinitatem ipsius, hac autem denegata subverti mirabilis Oeconomiae, sive Incarnationis mysterium, omniaque Catholicae Fidei (quod summopere sacrilegum, nefandum, ac perniciosum est) fundamenta corruere.

IX. *Agitur breviter de ineffabili SS. Trinitatis mysterio.*

IX. Sequitur dogma alterum, & primum fidei Christianae mysterium, quo tres hypostases in unitate substantiae profitemur. Illud vero licet humanae mentis superexcedat acumen, nec habeat in creatis rebus imaginem aliquam, nisi disparem admodum, & subobscuram; divinarum tamen litterarum auctoritate, & unanimi Sanctorum Patrum consensu, fulcitur & comprobatur. E divinis litteris eas nunc praetermittimus, in quibus an arcanum lateat, an phrasis occurrat Hebraica, solent Theologi disceptare; cuiusmodi sunt Capitis 1. Geneseos versus 1. & 26. necnon Cap. 29. versus 24.

nec-

necnon loca alia complura, quae petuntur ex Psalmis, & ex Prophetis, in quibus expendendis opus est subtiliori discussione, atque ratiocinationibus Theologicis. Nam in veteri Testamento expressum, & aperte traditum non fuisse Trinitatis mysterium, nec huius fidem, ut aiunt Scholastici, explicitam necessariam fuisse ad salutem, universi sacrarum disciplinarum Institutores consentiunt. In Lege Gratiae, in qua non amplius egenis elementis serviendum est, & Vnigenitus, qui est in sinu Patris, nobis incomprehensibilia narravit, perspicue ineffabilis Trinitas enuntiatur. De hac enim legitur Matthaei 18. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti;* & in 1. Ioannis Epistola cap. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in Coelo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.* Mitto nunc omnia, quae tum secundae, tum tertiae personae divinitatem invicte demonstrant, ne ea, quae adversus Arianos & Macedonianos sunt producenda, pluries non urgente causa exscribantur. Traditionis vero Patrum locupletissimos testes habemus Iustinum in Dialogo cum Tryphone, Athenagoram in Apologia exhibita M. Aurelio, & Lucio Vero, Irenaeum lib. v. adv. Haereses, Dionysium Romanum Episcopum in sua celebri adversus Sabellianos Epistola, Tertullianum in libro contra Praxeam, ceterosque Patres Antenicaenos; quorum fidem adversus Sandium & Episcopium, tum Catholici bene multi, tum Georgius Bullus Anglus, exquisitissime vindicarunt. De iis enim Patribus, qui post Nicaenam Synodum floruerunt, quin tres in Divinitate hypostases propugnaverint, nemo unus in dubium revocat. Sabellianorum cavillulae partim Scripturis sanctis unum Deum depraedicantibus, partim ratiocinationi humanae innitebantur. Scripturarum divinarum loca istiusmodi sunt: Deut. 6. legitur, *Audi Israel, Dominus Deus noster Deus unus est.* Esaiae 44. *Ego primus, & ego novissimus, & absque me non est Deus.* Ioannis 17. *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum*; & Apostolus in 1. ad Corinthios 8. *Vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum. Et unus Dominus eius, per quem omnia, & nos per ipsum.* Quae vero e ratione promunt, sunt huius generis: Personarum in eadem substantia pluralitatem excedere intelligentiam mentis nostrae: unamquamque *οὐσίαν* unica subsistentia contentam esse: hypostasim Patris cum infinitae perfectionis sit, totam divinae naturae, quamvis infinitae, exaequare & explere capacitatem: Semel praeter unam hypostasim admissa altera, ad innumeras confingendas aditum aperiri; everti demum inscrutabile illud arcanum pervulgato philosophorum proloquio, *Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem & inter se.* Ad ea vero, quae ex Sacris promuntur Litteris, non est perdifficile respondere.

Quum

Quum enim unum modo Numen depraedicent, modo Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum commemorent, necessum est, ut unitas in substantia divinitatis, numerus & pluralitas in personalibus proprietatibus agnoscatur. Igitur in Deuteronomio, in Esaia, ac passim in reliquis Scripturae Libris Deus dicitur *unus* ad excludenda a consortio & communione Divinitatis profana Gentilium numina, non autem Personas illas tres, quas nos credimus & adoramus, sibi coaeternas & coaequales, quae cum una sint Deitas, unus consequenter Deus apud omnes imbutos Christiana fide dicuntur. Quamobrem saepe Iudaeis ad idololatriam pronis Deus unus annuntiabatur, ne reciperent, neque colerent fictitia ea numina, quae Aegyptii, Moabitae, Chananaei, & Gentiles alii venerabantur. Nec aliud significant verba illa Christi, *Vt cognoscant te solum verum Deum*; quibus verbis Crellius Socinianus plurimum cavillatur. Observarunt enim viri docti, haberi in Graeco Codice *ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν*, ubi articulus *τὸν* evidenter demonstrat adiectivum *solum*, non cum praecedenti pronomine *Te*, sed cum sequentibus dictionibus esse iungendum. Quare non ita Salvator Patrem allocutus est, *Haec est vita aeterna ut cognoscant te solum esse verum Deum*, quibus sane verbis tam suam, quam Paracleti personam esse verum Deum denegasset: sed inquit, *Vt cognoscant Te esse illum verum Deum, qui solus est;* quibus verbis non excludit suam, aut Paracleti personam a communione Deitatis; sed ostendit a Deitate ipsa unica atque individua alienos esse universos Gentium Deos. Testimoniis Ignatii martyris scribentis ad Magnesianos, & Clementis ad Conversos ex cultu Idolorum, responsionem hanc nostram confirmat in Commentariis ipsemet Hugo Grotius Tom. II. pag. 557. Ad haereticorum obiectionem ex Apostoli verbis petitam duplici occurrimus responsione; prima nuper tradita, quod nempe Pater dicitur *Deus unus* ad exclusionem inanium Deorum, quae responsio eruitur ex verbis immediate praecedentibus, *Si quidem sunt Dii multi, & Domini multi*; altera autem, quod sicut Filius dicitur *Dominus unus* absque exclusione Patris a communione Dominii: ita Pater dicitur *Deus unus* absque exclusione Filii a communione Divinitatis; tametsi peculiari quadam ratione Filius a nobis *Dominus* appellatur, quoniam ab illo empti sumus magno pretio, eique omnis potestas, etiam tanquam homini, tradita est in coelo & in terra, ut loquamur Scripturarum Sanctarum phrasi. Nunc ad ea, quae ratiocinationi nituntur, breviter respondentes, praemittimus quod in II. ad Corinth. 10. monet Apostolus, oportere, ut in captivitatem redigamus omnem intellectum in obsequium Fidei, eo quod ignorat nemo, eamdem fidem esse sublimiorem omni Graecorum philosophia. Nec tamen imprudenter nos gerimus, dum arcanis assentimur mysteriis quum

mens nostra sit praeformata pluribus credendi rationibus, ac certa praesertim persuasione, a Deo neminem falli, nec errori subesse quae certo ac perpetuo magisterio Ecclesiae traduntur. Vt autem patitur ingenioli nostri imbecillitas, subsistentiam non esse a natura divinitatis reipsa secretam, sed tantum perceptionis nostrae figmento, quo aliud communem substantiam, aliud singularem proprietatem imaginatione comprehendimus: quum tamen idem sit substantia, & hypostasis, hoc duntaxat excepto, quod illa ut in se est, haec autem, ut ad alium refertur, apprehenditur. Neque enim distinctionem ullam in re, & extra mentis nostrae conatus possumus excogitare, quae aut a finita rerum creatarum limitatione, aut a relativa oppositione divinarum Personarum non sit repetenda. Atque hoc infirmae mentis excursu quodammodo intelligimus, Patrem eamdem rem esse cum divina substantia, quoniam haec cum infinita sit, omne id, quod ei non opponitur, perfectionis suae complectitur amplitudine; secerni tamen ipsum Patrem a Filio, eo quod Genitorem inter & genitum intersit relatio quaedam & oppositio, quae sine distinctione & discrimine personarum percipi nequit. Vna vero hypostasis Patris non exhaurit, si ita loqui fas est, incomprehensibilem divinitatis naturam, neque est omnis modus, quo subsistere potest, atque, ut loquuntur Theologi, incommunicabilem reddi; propterea quod illa singularis hypostasis uno duntaxat titulo communem substantiam contrahit, constituitque solummodo personam unam; cum tamen alii duo subsistendi modi, seu duae aliae hypostases valeant excogitari, quarum una Filius, altera Spiritus Sanctus constituitur in suae personalitatis proprietate. Neque semel data unius Filii origine a Patre, percipi potest aliorum filiorum generatio & nativitas, quia sicut Pater cum sit perfectissimus semel generat, & unus est Pater; ita Filius, cum pariter perfectissimus sit, semel nascitur, & unus est Filius: eademque ratione duorum, Patris scilicet & Filii Amor, cum perfectissimus esse debeat, non accidentaria quaedam affectio, sed Deus subsistens, nec multiplex, sed unus Spiritus est. Quare ipsa divinitatis perfectio pluribus generationibus, pluribusque, ut aiunt, spirationibus praecludit aditum: & quemadmodum ob perfectionem substantiae unus est Deus, & ob perfectionem generationis unus est Pater; ita ob perfectionem nativitatis unus est Filius, & ob perfectionem spirationis unus Spiritus Sanctus. Praetermitto, utpote subtiliorem & abstrusiorem explicationem Theologorum de processione, ut ipsi loquuntur, per intellectum, & per voluntatem divinam prolixa ratiocinatione differentium. Solent autem iidem Theologi ad Philosophicum proloquium, *Quae sunt eadem uni tertio, &c.* reponere, valere illud in iis, quae sunt eadem uni tertio incommunicabili, non autem in iis, quae sunt eadem uni tertio communicabili: obscurum utique subterfugium!

gium! Nam omnipotentia, iustitia, aliaque divina attributa sunt eadem cum essentia communicabili, & sunt quoque eadem inter se, cum relative non opponantur. Itaque dicendum est, aut pronunciatum illud philosophorum de rebus creatis, non autem de rebus divinis verificari; aut locum non habere in iis, quae cum uni tertio identificentur, invicem relative opponuntur: quod in Altercatione Sociniani & Catholici, Tom. II. Theol. Discipl. pag. 47. explicavi exemplo actionis, & passionis, quae licet sint realiter cum motu, & spectata eiusdem motus natura sint idem inter se, tamen ratione terminorum, quos connotant, ab invicem secernuntur. Verum tunc altitudinem huius mysterii scrutabimur, quando Deum, quem nunc videmus per speculum & in aenigmate, uti in se est intuebimur. Quare Antitrinitariis reiectis, & Sophismatum vanitate neglecta, progrediamur ad Schisma, & haeresim Novatianorum.

X. *Novatus a Novatiano secernendus est.*

X. De Novatianis modo dicturi, praemittimus Novatum inter, ac Novatianum discrimen, quoniam Graeci imperite utrumque confundunt, & Novatum haeresiarcham, & Catharorum principem faciunt cum Eusebio lib. VI. Eccl. Hist. cap. 43. quamvis Beveregius existimet in Codice Eusebiano, ubi nunc legitur Novatus, Hieronymum legisse Novatianum. Itaque Novatus fuit presbyter Carthaginensis, & factionis illius, quae lapsis, spreta disciplina Ecclesiastica, facile impendebat absolutionem; cuius factionis diximus in praeced. Diss. num. VI. antesignanum & auctorem fuisse Felicissimum. Flagitiosos Novati mores describit S. Cyprianus in Epistola ad Cornelium 7. alias 49. scripta anno 251. Eo loci S. Martyr appellat Novatum rerum novarum cupidum, inexplebili avaritiae rapacitate furibundum, arrogantia & stupore superbi tumoris inflatum, quasi perfidum haereticum omnium Sacerdotum voce damnatum: narrat eumdem Novatum, priusquam Romam adiret, in Africa discordiae & Schismatis incendia excitasse, Felicissimum fuisse illius Diaconum & satellitem, commisisse maiora & graviora Carthagine antequam navigaret ad urbem, exspoliatos ab eo pupillos, fraudatas viduas, denegatas Ecclesiae pecunias, non sepultum ab eo patrem suum, qui fame in vico perierat, atque uterum uxoris ab illo calce percussum, & abortione properante partum expressum in parricidium. Inter cetera Novati flagitia illud Cyprianus exaggerat, quod ut in Africa Felicissimum adversus Ecclesiam *Diaconum fecerat*, ita Romae Novatianum *fecit Episcopum*; non quod praeditus esset potestate ordinandi, sed quoniam per iniquas pravasque molitiones effecit, ut Novatianus ordinaretur. Ipse Novatianus, Stoicus antea Philosophus, tum catechumenus, dum obsessus a daemone ab Exorcistis adiuvaretur, in gravissimum morbum prolapsus, in lecto, quo iacebat, baptismi lavacro perfusus

fusus est, non tamen confirmatus, & Spiritus Sancti munitus signaculo. Ii, qui hoc pacto baptizabantur, *Clinici* dicti sunt a Graeco vocabulo κλίνη, quod *lectum* significat. Haesitabat olim Magnus apud Cyprianum Epist. 76. num hac ratione regenerationis aqua perfusi vere baptizati censendi forent; quod praelaudatus Martyr affirmat, ac statuit quoque anno 314. Synodus Neocaesariensis can. 12. quamquam inhibuerit, ne in aegritudine tincti ordinarentur in presbyteros, quoniam necessitate potius urgente, quam electione, in Ecclesiam videbantur adsciti. At Novatianus, etsi eo modo initiatus baptismate, nec signaculo chrismatis consummatus, quod etiam a morbo liberatus neglexit, ut in Epistola ad Fabium Antiochenum scripsit S. Cornelius; attamen presbyterio cohonestatus est per gratiam & indulgentiam Episcopi, universo Clero, multisque ex Laicis contestantibus, fas non esse eum in lectulo perfusum assumi in Clerum. Exorta anno 250. Decii persecutione, qua Rom. Pontificem Fabianum martyrio coronatum diximus in Diss. I. num. 11. Novatianus ne fratribus succurreret, presbyterum se esse negavit, eumque Diaconis rogantibus indignabundus respondit, se alterius philosophiae amore ac studio teneri. Diu etiam Apostolica Sede vacante, tremendis Sacramentis affirmavit se Episcopatum non concupiscere: sed ubi ad Sacerdotii sublime fastigium cunctis religionis gradibus adscendit Cornelius, Clericorum pene omnium testimonio, plebis, quae tunc aderat, suffragio, & de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio, ut verbis utar Cypriani LV. ad Antonianum Epistola: praedictus Novatianus tumidus ambitione atque invidia, ac stipatus Novati factione, rapuit Episcopatum a Deo nequaquam sibi concessum. Describens autem S. Cornelius in Ep. ad Fabium ordinationem Novatiani ait, missos ab illo duos deploratae salutis homines in exiguam ac vilissimam Italiae partem, atque illinc accitos tres Episcopos rudes ac simplices fuisse ab illo fraudulenta molitione deceptos, inclusosque, temulentos, & crapula oppressos fuisse coactos, ut adumbrata quadam, & inani manuum impositione traderent nullo sibi iure competentem Episcopatum. Hinc intelligimus, Novatianum non fuisse ordinatum a Novato, huiusque molitiones tantum, fraudesque, ut paulo supra animadvertimus, insinuasse beatum Cyprianum, dum ait Novatianum factum Episcopum a Novato. Ad imitationem quoque verborum Cypriani expressa illa Catalogi Bucheriani, *Novatus extra Ecclesiam ordinavit Novatianum in Vrbe Roma, & Nicostratum in Africa*, animadvertit Petrus Coustant in Epistolas Rom. Pontif. pag. 142. Quae idcirco minime evincunt in Novato, ut quidam commenti sunt, characterem Episcopalem. Novatianus autem ludicra illa manuum impositione inauguratus, ut suos execrando facinore sibi obstringeret, oblatio-

ne

ne facta singulis Eucharistiam distribuens, illorum manus ambabus manibus suis comprehensas retinens eos ad Sacramentum cogebat, dicens: *Iura mihi per Corpus & Sanguinem Domini nostri Iesu Christi, te nunquam meas partes deserturum, nec ad Cornelium esse rediturum*. Fratribus tamen eum deferentibus ab Episcopis, qui Romam anno 251. mense Octobri convenere, Novatianus damnatus est, cum ad schismatis pravitatem, qui se undequaque opponeret Cornelio una cum Cypriano ceterisque Orthodoxis pacem lapsis elargienti, addidisset haeresim dogmatizantem, nunquam poenitentes ad veniam patratorum scelerum esse admittendos, nec penes Ecclesiam esse illos reconciliandi facultatem, sed occulto iustissimoque Dei iudicio relinquendos esse: appellatus idcirco a Cypriano in suis ad Cornelium litteris *desertor Ecclesiae*, *misericordiae hostis*, *interfector poenitentiae*, *doctor superbiae*, *veritatis corruptor*, *proditor charitatis*. Mitto autem brevitatis gratia legatos a Novatiano Carthaginem missos, ut in suas partes traherent Africanos; qui, licet ostiatim per domos, & oppidatim per civitates discurrissent, non potuere tamen perniciosa dissensione Christi membra discindere; quamquam initio schismatis, & nondum illius pravitate comperta, Confessores nonnulli eiusdem Novatiani factioni adhaererent. Atque ex his, quae ex Epistolis Cypriani & Cornelii, atque ex Eccl. Historia Eusebii lib. VI. cap. 43. adiectisque eruditorum virorum notis, unicuique sunt obvia, manifestum est Novati a Novatiano discrimen, plerisque Graecorum prorsus ignotum. Enimvero Novatus fuit Presbyter Carthaginensis, Novatianus autem Romanus, & olim Presbyter simul cum beato Cornelio confidens: Novatus nunquam inter Episcopos cooptatus est, & Novatianus Romanum Pontificatum sibimet arrogavit; Novatus denique adhaerens factioni Felicissimi, lapsis ante poenitentiam peractam statim pacem dandam esse putabat; at Novatianus affectans quandam speciem puritatis, unde eius sectae nomen Catharorum accessit, lapsis etiam poenitentibus sustulit spem omnem pacis & remissionis. Quare non disciplinae, dogmatisque consensio, sed par studium, eademque solicitudo concitandi in Ecclesia turbas, debitasque flagitiis suis poenas evitandi, Novatum arctissimo foedere Novatiano coniunxit.

XI. *Explicatur in quo revera sita fuerit haeresis Novatianorum.*

XI. Quaenam revera fuerit Novatianorum haeresis, non omnes Scriptores conveniunt; ac sunt permulti, qui putant, nequaquam omnes homines, in quodvis crimen post baptismum delapsos, privatos fuisse ab illis spe veniae, & impetrandae salutis: sed tantummodo exclusos fuisse a communione Ecclesiae, quam Salvator sine macula, & sine culpa instituerit, eos, qui novis se criminibus polluerunt; nec omnibus criminibus, sed gravioribus duntaxat, cuiusmodi sunt, idololatria, homicidium, & fornicatio, denegatam a Novatianis relaxationem. Videatur Bellarminus lib. III.

de

de Eccl. milit. cap. 2. & Iuvenin de Poenit. cap. 1. q. 1. Albaspinaeus quoque lib. II. Observat. Eccl. cap. 21. Iof. Augustinus Orsi de Criminum capitalium inter Veteres Christianos absolutione pag. 254. necnon Ioan. Laur. Moshemius Instit. Hist. Eccl. Saec. III. parte 2. §. 14. Puto ego tamen id verum esse, si loquamur de Novatianis & Catharis, qui una cum Donatistis initio quarti Saeculi vexarunt Ecclesiam; non autem si sermo instituatur de prioribus Novatianae haeresis sectatoribus. Sanctus enim Epiphanius Haer. 59. de Novatianis inquit, affirmare illos, qui post baptismum delinquunt, nullam posse consequi misericordiam: quod & asserit S. Philastrius Haer. 82. S. Eulogius Alexandrinus apud Photium cod. 182. Ambrosius quoque lib. 1. de Poenit. cap. 2. ait, Novatianos Stoicorum more omnia peccata *paribus aestimasse mensuris*: Hieronymus in Epistolis ad Marcellam, ad Pammachium, & ad Oceanum ait, a Novatiano, & a Montano *ad omne pene delictum obserari fores Ecclesiae*; atque Augustinus de Haeresibus absolute pronunciat de Catharis: *Poenitentiam denegant*. Quare etsi postea animadvertentes nimium odiosam esse illam omnium prorsus criminum aequalitatem, & denegatam peccatoribus singulis veniam, haeresim quodammodo temperaverint, & quaedam quotidianae incursionis, uti appellebant, scelera condonaverint; principio tamen peccata omnia post baptismum patrata Novatianos existimasse irremissibilia nullus dubito. Valet autem sententia haec nostra ad conciliandas discrepantes de haeresi Novatianorum opiniones; & proculdubio fulcitur apertissimo illo testimonio Ambrosii cit. lib. 1. de Poenit. cap. 3. *Sed aiunt* (Cathari) *se exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus. Non hoc quidem auctor vestri erroris Novatianus, qui nemini dandam poenitentiam putavit.* Quidquid autem censeas de hoc vario statu haeresis Novatianae, certissimum est, illam in eo sitam esse, *ut servis Dei poenitentibus & dolentibus, & Ecclesiam lacrimis & gemitu & dolore pulsantibus, divinae pietatis, & lenitatis paternae solatia & subsidia claudantur, nec ad fovenda vulnera admittantur vulnerati, sed fine spe pacis & communicationis relicti, ad luporum rapinam, & praedam diaboli proiiciantur*: haec enim sunt verba S. Cypriani in Epistola ad Stephanum Rom. Pontificem scripta labente anno 253. Atque hinc est, quod Novatianorum haeresis ab Eusebio lib. VI. Hist. Eccl. cap. 43. appellatur *abhorrens a fraterna charitate, atque inhumanissima*; a praelaudato Cypriano in Tractatu ad Novatianum, & a Hieronymo initio Epistolae ad Oceanum dicitur *haeresis Caina*, quoniam nonnisi occidere gestit, & similis Caino desperanti, & dicenti, *Maior est iniquitas mea, quam ut veniam merear, dicit esse peccata, quae Christus non possit purgare sanguine suo.*

XII. Igi-

XII. Igitur adversus Novatianorum haeresim firmissime tenendum est, nullum dari inexpiabile crimen, nullumque scelus, quod nequeat relaxari ab Ecclesia, si impoenitentiam finalem cum damnatione coniunctam excipiamus. Quod non tantum ex Dei maxima pietate cunctis poenitentibus veniam promittente Is. cap. 1. vers. 16. & 18. Ierem. cap. 24. vers. 3. Ezechiel. cap. 18. vers. 21. aliisque testimoniis innumeris apertum est; quod forte Novatiani negare non audebant, asserentes non a Deo, sed ab Ecclesia posse peccata dimitti: verum etiam ex potestate eidem Ecclesiae collata, nec ad aliqua peccatorum genera coarctata, sed amplissimis expressa verbis, ea nempe phrasi, *Quaecumque solveritis, &c.* Matth. 16. & *Quorum remiseritis peccata, &c.* Ioan. 20. Ex quibus locis concessam Sacerdotibus solvendi & relaxandi quodcumque commissum scelus tum verba ipsa demonstrant, tum eloquenti atque robusta oratione evincunt quotquot adversus Novatianos stilum exercent, ac praesertim Ambrosius lib. 1. de Poenit. cap. 2. Cyprianus Epist. 52. ad Antonianum, ac S. Pacianus Barcinonensis Episcopus ad Sempronianum Epistola 1. & 3. aliique apud Theologos omnes differentes de Poenitentia, necnon apud Natalem Alexandrum in Panoplia adv. Haer. III. Saec. Differt. 22. Si vero his addamus commemoratas superius Synodum Romanam Cornelii Episcoporum sexaginta, collectas ab eodem Pontifice sententias aliorum Antistitum per Italiam, Africam, ceterasque provincias, ipsius Cornelii Epistolam ad Fabium Antiochenum, Synodosque celebratas in causa Lapsorum a Cypriano, variasque huius praeclarissimi Martyris litteras, hac, & praecedenti Dissertatione laudatas: si, inquam, ista addamus, perspicuum erit, dogma Novatianorum immanissimum & crudelissimum, sacris litteris summam Dei misericordiam, plenissimaeque veniae exhibitionem amplissimam contestantibus, facta Ecclesiae administris facultate nullis limitibus constricta, obviis, atque hinc depromptis Theologorum rationibus, documentis Sanctorum, plurimisque Ecclesiasticis definitionibus, invicte refutari, meritoque proscribi. Sunt tamen quaedam Scripturarum SS. loca, quae primo adspectu videntur Novatianorum inhumanitati non adversantia. Istiusmodi sunt, quae habentur Amos cap. 1. & 2. *Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non convertam eum*: 2. Macch. 9. de Antiocho: *Orabat autem hic scelestus ad Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus*: Matth. 12. *Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc Saeculo, neque in futuro*: Apostoli Pauli ad Hebr. cap 7. *Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt & do-*

Novatianae haereseos impietas, & inhumanitas redarguitur.

num

num coeleste , *& participes facti sunt Spiritus Sancti* .... *rursus renovari ad poenitentiam* , *rursus crucifigentes sibimetipsis filium Dei* , *& ostentui habentes* : & cap. 10. *Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis*, *iam non relinquitur pro peccatis hostia* ; atque cap. 12. de Esau, *Non enim invenit poenitentiae locum* , *quamquam cum lacrimis inquisisset eam* : Ioannis demum Epist. prima cap. 5. *Et peccatum ad mortem* , *non pro illo dico* , *ut roget quis* . Haec tamen , & , si extant alia iis consimilia , non patrocinantur Novatiano . Etenim Amos id unum significat , repetita scelera Dei iustitiam provocare , & quodammodo compellere ad punitionem ; nisi mavis asserere cum Hieronymo Comment. in hunc locum , quartum scelus esse *non agere poenitentiam* , *& in suo sibi complacere delicto*. Antiochus vero non propter scelerum atrocitatem , sed propter corporis cruciatus , fetoremque suum , quem ferre non poterat , gemebat , orabatque , ut ostendit Serm. 343. Sanctus P. Augustinus : Quae autem sit apud Matthaeum *blasphemia in Spiritum Sanctum* , Interpretes ac Patres explicando non conveniunt : at si dicamus cum Augustino Serm. 71. & Epist. 185. ad Bonifacium , blasphemiam illam esse , velle remissionem peccatorum extra Ecclesiam , & nunquam redire ad unitatem Corporis Christi , quod Spiritus Sanctus vivificat , plana videtur nobis expositio textus , alioqui perdifficilis , nullamque iuxta Augustinianam explicationem obiectio Novatianorum vim habet , quoniam frustra separati ab Ecclesia agunt poenitentiam , si redire ad unitatem recusent . Alii tamen Patres aiunt blasphemiam in Spiritum Sanctum , esse manifestae veritatis impugnationem , & Daemoni tribuere Christi miracula ; quod propter peculiarem malitiam , atque pervicacitatem , non quidem absolute & in se , sed moraliter , & spectata cordis perversitate , & nequitia , dicitur peccatum irremissibile . At Apostolus ad Hebraeos cap. 3. loquitur adversus illos , qui purificationibus Iudaeorum assueti , identidem usurpabant baptismum , quasi regenerationis Sacramentum esset baptismus poenitentiae , qualem praedicaverat Ioannes , existimantes illo se renovari & sanctificari : ideoque Apostolus recte monet , semel Christum fuisse crucifixum , semel nos cum illo sepeliri in baptismate , neque posse repetito lavacro obtineri renovationem Spiritus , animique munditiem . Sunt tamen qui Apostolum exponunt de crimine apostasiae , quod perraro & difficulter dimittitur , asserentes dici impossibile quod arduum est , nec frequenter contingit , nam phrasi Scripturarum divinarum *impossibile* etiam dicitur quod plurimum non fit , ut Matth. 5. *Non potest civitas abscondi supra montem posita* , *necnon id* , *a quo iusta de causa voluntas est aliena* ; ut Marci 6. *Non poterat ibi virtutem ullam facere* , *propter incredulitatem eorum* . Cap. autem 10. non ait Apostolus , non esse amplius poenitentiam , non esse amplius

plius remissionem; sed non esse aliam hostiam, aliam crucem, aliud redemptionis pretium, excludens alterum lavacrum, non eam, quae per poenitentiam fit, placationem, inquit Hom. 20. in eamdem Epistolam S. Ioannes Chrysostomus. At Esau, de quo ibidem Apostolus cap. 12. de amissa hereditate, non de patratis sceleribus dolorem expertus est, & in fratrem odio, & invidia contabuit; quemadmodum ait Hom. 30. Chrysostomus nuperrime laudatus; ac praeterea innuit Apostolus non potuisse ipsum Esau lacrymis consequi benedictionem illam, hereditatemque paternam, cuius potissimum causa contristabatur. Demum peccatum ad mortem, de quo Epist. 1. Ioan. *est fidem, quae per dilectionem operatur, usque ad mortem deserere*, idest, impoenitentia finalis, ut in lib. de Corrept. & Grat. cap. 12. ait Augustinus. Haec de Novatianis.

XIII. Nunc de Nepote Aegyptio, eiusque dogmate paucis agendum est: recoxit enim Nepos errorem Millenariorum, de quibus pertractatum est in Hist. I. Saec. Diss. III. num. 8. in *Cerintho*, & rursus in Hist. II. Saec. Diss. IV. num. 9. in *Papia*. Dicitur Nepos Arsinoites, idest, Episcopus Civitatis Arsinoe in provincia Arcadia, atque in intimo recessu Sinus Arabici. De Nepote legimus apud Eusebium lib. VII. Hist. Eccl. cap. 24. affirmasse futurum fore in hac terra nescio quod mille annorum spatium corporalibus refertum deliciis: conatum fuisse opinionem suam stabilire ex Apocalypsi Ioannis: de hac quaestione edidisse librum, quem inscripsit ἔλεγχον ἀλληγορίστων, *Confutationem allegoristarum*: hunc vero librum acriter fuisse impugnatum a S. Dionysio Alexandrino in Opere περὶ ἐπαγγελλιῶν, *de promissionibus*. Hoc in Opere ita Dionysius de Nepote loquitur apud Eusebium cit. cap. 24. Valesio interprete: *Sed quoniam librum quemdam proferunt Nepotis, quo quidem magnopere nituntur, quasi in eo certissimis argumentis demonstratum sit, regnum Christi in terris futurum: in pluribus aliis quidem rebus laudo Nepotem ac diligo, cum propter fidem, tum ob diligentiam & studium Scripturarum, postremo ob Psalmorum cantus multiplices, quibus plerique ex fratribus etiamnum magnopere delectantur: magnoque honore ac reverentia hominem prosequor, vel ob id maxime, quod ex hac vita migravit, sed veritatem magis diligo, cunctisque praeferendam censeo.* Ex his plura historica consectaria eruuntur. Primum, Nepotem fatis cessisse ante S. Dionysium, qui ex eodem Eusebio cit. lib. VII. cap. 28. extremum diem obiit anno Imperii Gallieni 12. nempe Ch. 264. Secundum, revera Dionysium scripsisse adversus Nepotem, non autem adversus S. Irenaeum, ut existimavit Hieronymus Proem. lib. XVIII. Comment. in Isaiam: nec tamen est, cur de hac re miretur in Notis ad Eusebium cit. cap. 24. Valesius, cum etiam Irenaeus adhaeserit Millenariis. Tertium consectarium est, S. Dionysium

XIII. *De Nepote Aegyptio, eiusque haeresi.*

nysium non existimasse Nepotis errorem expresse fidei contrarium, quum fateatur se illud diligere τῆς τε πίςεως καὶ τῆς φιλοπονίας, καὶ τῆς ἐν ταῖς γραφαῖς διατριβῆς. Quartum, non demonstrari testimonio Dionysii scribentis se honore ac reverentia prosequi Nepotem, maxime quod e vita migraverit, non posse aliquem ob prava & haeretica dogmata damnari post mortem, ut in causa trium Capitulorum, dum ageretur de anathematizando Theodoro Mopsuesteno, contendebat exemplo Dionysii parcentis Nepoti demortuo Benignus Heracleensis; siquidem Nepos non propugnaverat errorem eo tempore ab Ecclesia proscriptum. Consequitur tandem, vetustissimum esse morem psalmos hymnosque in Ecclesia recitandi, editosque a Nepote commendari a Dionysio, ideoque non fuisse ἰδιωτικοὺς, eiusque generis, quales fuere compositi a Paulo Samosateno, ut diximus supra num. 7. aliique consimiles prohibiti Canone penultimo Concilii Laodiceni. Dubitatur autem a viris doctis, num Hymni & Psalmi a Nepote compositi, & qui omnino perierunt, sint Nepotis Opera reiecta decreto Gelasii inter libros apocryphos. Hactenus de Nepote.

XIV. *De Manete, a quo denominati sunt Manichaei.*

XIV. Sequitur ut dicamus de haeresi Manichaeorum, quam erupisse putamus circa annum 280. seu potius anno 277. Probi Imperatoris secundo, ut in Animadversionibus ad Epiphanium Haer. 66. demonstrat Dionysius Petavius. Haeresis ista a Manete appellationem sortita est. Hunc Manetem dixere fere omnes cum Eusebio lib. VII. Hist. Eccl. cap. 31. cum sermone, tum moribus barbarum, & suopte ingenio furiosum ac daemoniacum: sed post Isaacium *de Beausobre* vocat illum Moshemius doctum, ingeniosum, Philosophum, Medicum, Astronomum, magnum Pictorem, ceterisque artibus, quibus Persae delectabantur, egregie instructum, licet emotae mentis, ac vaferrimum. Sane deliramenta eius insulsissimum fuisse demonstrant, suoque dignissimum nomine. Μανὶς enim ab aoristo ἐμάνην, seu a vocabulo μανία, insanum delirumque significat apud Graecos, tametsi Persae illum Manen appellaverant honestiori significatione ob asseclarum multitudinem ad eum confluentem: est enim *Manes* Persis idem, ac *adunatio*. In Graecia Manetis discipuli declinantes nomen insaniae, & geminata littera ν Mannichaeum a μάννα, & χέω *fundo*, idest Mannafundentem appellavere. Cubricus (male apud Augustinum de Haer. num. 46. in editionibus pluribus legitur *Vrbicus*) fuit primum propriumque nomen Manetis. Is Scythiani cuiusdam hominis praedivitis, & omnibus Gentilium disciplinis imbuti, ac Terbinthi, seu Buddae, qui Scythiani fuerat discipulus, libros, & hereditatem, necnon viduam, que Scythiani uxor fuerat, cum mancipium esset, assecutus, nefariam illinc doctrinam hausit, coepitque in vulgus disseminare. Scythianus enim in superiorem domus suae partem

partem conscendens aereos Daemones invocaturus illinc cecidit, sive, ut aliis placet, domus suae oppressus ruina miserrime interiit. Terbinthus abreptus a Satana in solitudinem, ab illo strangulatus fertur. Neque Manetis, seu Cubrici felix exitus: nam iussu Saporis Persarum regis vivo pellis detracta fuit, membrisque canum voracitati proiectis, eadem pellis oppleta palleis, ante urbis ianuam appensa. In causa fuit, quod Manes in Persidem accersitus ut aegrotanti filio regis mederetur, id capitis sui periculo perficiendum temere suscepit, sed accelerata temerariis medicamentis pueri morte, primum in carcerem coniicitur, tum in Mesopotamiam e custodia elapsus fugit; demum in Saporis potestatem rursus adductus supplicium subiit paullo ante narratum. In Mesopotamia degens ab Archelao sapientissimo Episcopo habitis in omnium conventu disputationibus Manes non semel superatus est, & facile a concitata in eum multitudine fuisset occisus, nisi id praelaudatus Antistes inhibuisset. Plura de Manichaeis Maimbourg lib. 1. Hist. S. Leonis, Lambertus Danaeus in librum Augustini de Haeresibus, Gerardus Vossius in Addit.' ad Historiam Pelagianam, Petrus Bayle in Dict. Verb. *Manicheens*, & in dilucidationibus Dictionario adiectis, Caveus in Saeculo Novatiano, & quem caute legendum moneo, praecitatus Beausobre in Opere inscripto *Histoire Critique de Manichée, & du Manicheisme*.

XV. Quaenam autem fuere Manetis dogmata? Principio, ut cit. cap. 31. inquit Eusebius, seipsum Christum fingere instituit, necnon se Paracletum & Spiritum Sanctum interdum nominavit, ac praeter insaniam intolerabili superbia elatus duodecim discipulos dogmatum suorum consortes elegit. Addit Eusebius, Manetem ex variis haeresibus iampridem extinctis falsa & impia dogmata consarcinasse, quae e Perside in Orbem Romanum effudit. Haec ita intelligenda sunt, ut Manes dogma duorum Principiorum inter se oppositorum, quorum unum bonorum omnium, alterum vero omnium malorum sit causa, traditum a Gnosticis, a Cerdone, & a Marcione, necnon a Magis Persidis, instauraverit, & sui nominis appellatione vulgaverit, quod Pearsonius in Exposit. Symboli Apostol. Pagius ad an. 277. & Vossius, Caveus, Beausobre, aliique superius citati, recte sapienterque observarunt. Ex praedicta duorum Principiorum doctrina manant Manichaeorum circa Mundi productionem insulsissima asserta. Aiebant enim universa ex commixtione boni & mali, utraque natura inter se pugnante, & utriusque parte aliqua in unum coalescente fuisse condita: in homine idcirco duas inesse animas asserebant, bonam unam ex adventitia Dei, sive boni Principii parte; malam alteram ex parte tenebrarum & primae causae malorum: a bona anima necessario actiones bonas prodire, a mala anima actiones malas necessario effici autumabant: hinc repetebant certamen spiritus & carnis, pugnamque concupiscentiae & rationis.

XV. Manichaeorum dogmata describuntur.

Dd 2 Nul-

Nullum inter animas hominum, bestiarum, plantarumque agnoscebant discrimen, quod singulas esse crederent substantiae bonae portionem, unde aeque ac ab homicidio, ab esu carnium, ab animalium mactatione, atque ab agricultura, ne caedes committrerent, abstinebant; neque panem edebant, nisi hac oratione praemissa: *Ego te neque messui, neque molui, neque expressi, neque in clibanum misi: sed alius fecit, & attulit mihi: ego sine culpa comedo:* a vino quoque abhorrebant, tanquam a sorde principis tenebrarum. Ab eodem principe tenebrarum Vetus Testamentum; a Deo, seu a principio bonorum, Testamentum Novum fuisse editum autumabant: cibos omnes, Eucharistiam quoque, sacramque oblationem turpissima ceremonia purgabant, quasi boni substantiam a partis adversae mixtura separantes. Asserebant Christum mediatorem solam animam redemisse, nec vere, sed imaginarie suffixum cruci: eius Corpus in globo Solis residere putabant, alia his similia effutientes, quae Cyrillus Hierosolymit. Catech. 15. Epiphanius Haer. 66. Theodoretus lib. 1. Haeret. Fabul. & Augustinus amplissimis contra Faustum, ceterosque Manichaeos voluminibus enarrant & vellicant. Refutarunt Manichaeorum deliramenta praeter Patres nuperrime laudatos, & Archelaum, de quo num. superiori, Eusebius Caesariensis, & Emisenus, Serapion Thmuensis, Dionysius Alexandrinus, Didymus, Georgius Laodicenus, aliique permulti, de quibus in Praef. ad Serapionem Iacobus Basnagius. S. Epiphanius recenset num. 21. inter Manichaeorum oppugnatores etiam Origenem: quod Caveus in Saec. Novatiano reprehendit, propterea quod Origenes obierit annis plusquam viginti ante exortam Manetis haeresim. Et quidem sub expresso Manichaeorum nomine Origenes hanc haeresim refutare non potuit; bene tamen in se, & spectata dogmatum suorum substantia, quod fortasse significare voluit Epiphanius.

XVI. *Manichaeorum haeresis vetusta origo, magnaque propagatio.*

XVI. Praedictae haereseos propagatorem, at non institutorem fuisse Manetem, & illius originem altius esse repetendam evincunt momenta plura. Ac primum eruitur ex dictis, siquidem Manes e Terbintho & Scythiano illam hausit, eamque disseminaverat II. Saeculo Marcion, atque Marcioni praeluserat Cerdon: ut diximus Diss. III. eiusdem Saeculi num. 12. & 13. Cerdonem vero a Gnosticis edoctum non dubito. Deinde ante Scythianum eumdem errorem fovit Bardesanes Syrus, qui iuxta Chronicum Eusebii coepit asserere fato dirigi hominum conversationes circa annum 163. adoptatis reliquis omnibus Valentinianorum figmentis: inter quae ab Augustino illud recensetur de Haer. num. 11. malitiam non arbitrio tribuendam esse, sed naturae Mundi, & generi Diabolico. Gnostici vero insana ea dogmata didicerunt ex Stoicorum philosophia, ceterisque Gentilium libris: veteres namque philosophos & poetas tradidisse, universum non ab uno Deo, sed a duobus principiis

piis contrariis fuisse productum, atque hinc pendere huius Mundi harmoniam; tamquam lyrae cuiusdam dissonis vocibus personantis, narrat in Iside & Osiride Plutarchus productis testimoniis Heracliti, atque Euripidis. Zoroastes quoque Magorum omnium vetustissimus, quem vixisse ferunt ante Cyrum Persarum regem, Deum Oromasdem effectricem causam bonorum, & Arimanium malorum omnium auctorem Aegyptiis, Persisque tradidit, ut affirmat cit. loco Plutarchus. A Persis vero Scythianum corruptum fuisse arbitror. Atque haec est perantiqua haeresis huius origo. Dicam modo quam longe lateque sit propagata. Ex Aegypto ac Perside per totum fere orbem a Manetis discipulis dispersa fuit; invaluitque in Africa, ubi anno 287. Diocletianus & Maximianus illam proscripserunt: in urbe Roma, in qua anno 389. damnata est Valentiniani & Theodosii Imperatorum rescripto, necnon anno 444. a Concilio Romano opera S. Leonis Magni celebrato: in Perside ineunte Saeculo sexto, quando Manichaei, quorquot inveniri potuerunt, a Cabade rege fuerunt trucidati: in Sicilia eodem Saeculo desinente, & ineunte septimo, quemadmodum constat ex Epistolis Gregorii Magni, atque ex libro xv. Historiarum Pauli Diaconi: per universum fere Orientem post annum octingentesimum, ac praesertim an. 845. quo Theodora Augusta ad ipsos Manichaeos extirpandos integrum conscripsit exercitum. Ad haec viguisse Manichaeorum dogma apud Sclavos Germaniae populos, qui ab Hamburgo urbe usque ad mare Scythicum varias regiones incoluere, scribit Helmoldus cap. 53. Chronici Sclavorum, qui ait malum illorum Deum vocatum fuisse *Zeevuboch*, idemque scribit de aliis Germaniae populis lib. 1. de Origine Idololatriae cap. 8. Gerardus Vossius, inter quos Germanos populos Saxones ante tempora Caroli Magni malum Deum, quem atrum aiebant, ne eis noceret adorabant, teste Georgio Fabricio lib. 1. Originum Saxonicarum. In provincia etiam Africae, quam Geographi Fetum vocant, sita in Guinea ad promontorium Corsum, Manichaeorum viguisse haeresim Guilelmus Mullerus, aliique apud Petrum Bayle Verb. *Manicheens* testantur. Imo etiamnum apud aliquas Asiae nationes, quas *Gurdes* appellant, duo principia, bonorum unum, & malorum alterum credi, narrat Vincentius Maria a S. Catharina *in Itinere ad Indias Orientales* vernacula lingua conscripto: nec iudicio nostro alieni sunt ab haeresi Manichaeorum Calviniani, & Novatores alii asserentes Deum esse effectricem causam peccati. Ex quibus colligitur nullam haeresim fuisse ampliorem, absurdiorem, atque diuturniorem haeresi Manichaeorum.

XVII. *Brevis Manichaeismi refutatio.*

XVII. Paucis refellenda sunt modo haereticorum istorum dogmata praeced. num. xv. recensita. Nam admitti non posse duo suprema principia, bonum unum, alterum malum, ostendimus refutantes


tantes haeresim Marcionis in Hist. II. Saec. Diss. III. num. 13. tum quia summum malum dici nequit, quod existit, & vim, atque energiam habet suam; tum quia necessum foret inter principia illa duo, coaeterna, & aequalis virtutis, talem semper committi pugnam, ut numquam ab uno aliud separaretur; nec percipi potest quomodo valeat in eis iniri concordia, ut efficientia utriusque producantur res habentes nequitiam cum bonitate permixtam. Delirant insuper qui primum Principium bonum tale sibi fingunt, quod necessitate effectus adeo bonos producat, ut nequeant suapte natura deficere: siquidem rerum creatarum conditio est, ut obnoxiae sint mutationi, non tantum particulis inter se dissolutis, verum etiam iis qualitates oppositas subeuntibus. Debet quoque principium illud libertate, iustitia, ceterisque praeditum esse perfectionibus, ideoque quidquid ei lubet, operatur, ut demonstret se esse liberrimum, & peccata fieri permittit, ut vel misericordiam parcendo, vel iustitiam suam puniendo manifestet, nobisque, quod cultum religionemque decet quam maxime, inspiret spem, reverentiam, timorem. Hinc vero consequitur denegata a Manichaeis hominum, Angelorumque libertas, qua sublata, nec potest excogitari culpa, quam puniat iustitia, nec meritum quod gratia coronet. Eiusdem vero libertatis indicia sunt iudicii & electionis potestas, tum bonorum commutabilium genera, quae diligere aeque possumus, atque adspernari; ipsaque Dei promissa, praecepta, comminationes, & hortamenta, quae frustra nobis inculcarentur, nisi penes nos foret libera obtemperandi, & reluctandi facultas. Cum huius generis anima careant plantae, ac bruta animalia, eaque sint propter homines condita, atque ratio ipsa demonstret, in recto rerum ordine imperfecta subiici perfectioribus; nemo non videt fas nobis esse arborum fructus discerpere, eisque, & animantium carnibus vesci: unde legimus cap. 9. Geneseos, *Omne, quod movetur & vivit, erit vobis in cibum:* & quoniam Manichaei Vetus Testamentum, tanquam opus principis tenebrarum reiiciunt; habetur in Novo, idest, in 1. ad Timoth. cap. 4. spiritum esse erroris, & doctrinam Daemoniorum, *prohibentium, nubere, abstinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis, qui cognoverunt veritatem.* At de iis, ceterisque Manichaeorum deliramentis, recolenda sunt quae diximus de haeresibus Valentini, Basilidis, & Marcionis Diss. III. secundi Saeculi.

XVIII. *De reliquis haeresibus n. I. enumeratis.*

XVIII. Postremo loco inter haereses tertii Saeculi connumeravimus errores Valentis cuiusdam Arabis, a quo *Valesii*, & Origenis, a quo *Origenistae* sunt appellati. De Valesiis scribit S. P. Augustinus ad Quodvultdeum num. 37. *Valesii & seipsos castrant, & hospites suos, hoc modo existimantes Deo se debere servire.*

Alia

Alia quoque haeretica docere dicuntur & turpia; sed quae illa sint, nec ipse commemoravit Epiphanius, nec uspiam potui reperire. De Origenianis item (non qui Origeni Adamantio adhaesere, de quo Dissertatione proxima agendum est, sed qui alterius & obscurioris Origenis turpem consuetudinem sectabantur) inquit idem Augustinus cit. lib num. 42. *Origeniani cuiusdam Origenis discipuli, turpis autem sunt operationis: isti sunt nefanda facientes, sua corpora corruptioni tradentes.* De his itaque, quemadmodum & de *Angelicis* in Angelorum cultum declinantibus, *de Apostolicis* a sua communione arcentibus eos, qui utuntur uxoribus, & si qui tertio Saeculo extiterunt alii pravis opinionibus imbuti, quoniam obscurissimi sunt nominis, aut non instituerunt peculiarem aliquam sectam, non est cur stilo prolixiori pertractemus.



DIS-

DISSERTATIO IV.

DE SCRIPTORIBVS

QVI PRAE CETERIS SAECVLO III. FLORVERVNT.

I. *De quibus in hac quarta Dissertatione sit pertractandum.*

I. PRAETER Romanae Vrbis Episcopos, Rectoresque universalis & Apostolicae Ecclesiae, quos non sanctitate tantum, & corona Martyrii, verum & conscriptis Epistolis celeberrimos esse, Cornelium praesertim, ac Stephanum, Dissertatione prima enarravimus, alii tertio vertente Saeculo doctrina & eruditione clarissimi viri extitere, de quibus in praesentia disserere constituimus. Sunt autem hi Tertullianus, Hippolytus Portuensis, Minutius Felix, Ammonius Alexandrinus, Iulius Africanus, Origenes, Firmilianus Dionysius Alexandriae Antistes, Cyprianus, Gregorius Thaumaturgus, Commodianus, & Victorinus.

II. *Tertulliani aetas incerta, Opera varia, & Veterum de illo iudicia.*

II. Non ideo in Chronologia nos peccasse arbitramur, quoniam Tertullianum, a pluribus inter Scriptores II. Saec. recensitum, in tertio, cuius Historiam persequimur, referre voluimus. Id enim fecimus primum ob ampliorem Scriptorum, qui praecedenti floruere, numerum: tum quia Tertullianus, ut Hieronymus scribit de Viris illustribus, floruit sub Severo Principe, & Antonino Caracalla, labente nimirum II. Saeculo, & Tertio inchoato; ac demum quoniam ab ipso Tertulliano plura conscripta fuisse Volumina, scilicet, de Spectaculis, de Idololatria, de Cultu feminarum, de Corona, de Pallio, & adversus Marcionem, & Praxeam, cum Saeculum istud iam illuxisset, consentire videntur Historici. Ceterum exacte Tertulliani aetatem definire arduum est opus. Probabile est natum fuisse paullo ante medium Saeculum secundum, defunctum vero circa annum 220. senectute decrepita. Se Gentilem fuisse testatur ipsemet cap. 18. Apologetici. In provincia Africae Proconsulari, & probabiliter in Vrbe Carthagine in lucem editus est, patre Centurione. Peritissimus legum Romanarum, atque inter Romanos Scriptores admodum clarus dicitur ab Eusebio lib. II. Hist Eccl. cap. 2. sed Eusebius Romanos appellat, quos Latinos fuisse novit, uti lib. IV. de

de Vir. Constantini cap. 32. Latinam linguam *Romanam*. Quare non infertur ex verbis Eusebii Tertullianum fuisse natum Romae, quum Hieronymus in Catalogo Scriptorum, & in Chronico, asserat illum fuisse Carthaginiensem, idque non obscure innuat ipse Tertullianus cap. 9. Apologetici. Notat Dupinius Pamelium, quod innixus testimonio solius Trithemii recentioris auctoris scripserit, Tertullianum fuisse Iureconsultum, & Advocatum: sed Pamelio suffragatur praecitatus Eusebii locus, ut mittam quae aiunt in Saeculo Gnostico Caveus, & in Bibliotheca Fabricius. Nomen ei Q. Septimius Florens Tertullianus, quae interdum nomina sunt coniungenda, ubi nempe necessum sit illum Tertullo Consule, a Tertulliano Martyre sub Valeriano, a Tertulliano Episcopo Bononiensi, atque a Tertulliano, seu Tertyliano Iureconsulto secernere. Quidam ad Christianam Fidem conversum putant circa ea tempora, quibus scripsit Librum *de Pallio*, post annum 208. sed plura extant Tertulliani opera antea conscripta, quae religionem illustrant nostram. Ad annum 196. Tertulliani conversionem refert Fabricius, ad annum 170. Oudinus, ad annum 185. Caveus, haesitanter tamen, & solis coniecturis innixi: Vxorem duxit, num Gentilis, num Christianus, incertum. Circa mediam aetatem, invidia & contumeliis Clericorum Romanae Ecclesiae, cum aliquandiu presbyter permansisset, in Montani dogma delapsus plures libros adversus Ecclesiam texuit. Ita in Catalogo S. Hieronymus. Libri itaque Tertulliani ante lapsum editi sunt, de Baptismo, de Poenitentia, de Oratione: alii post lapsum scripti fuerunt; pro Montanistis autem, & contra Ecclesiam Catholicam, de Pudicitia, de Fuga in Persecutione, de Monogamia, & de Ieiuniis. Praeter scripta complura edidit adversus Gentes, nimirum Apologeticum, Ad Nationes, de Idololatria, de Testimonio Animae, ad Scapulam proconsulem Africae in Christianos saevientem: adversus haereticos item permulta edidit, scilicet libros quinque contra haeresim Marcionis, adversus quam haeresim scripsit etiam Opus de Carne Christi: rursus adversus Praxeam ducem Patripassianorum; pariter contra Hermogenem adstruentem materiam Deo coaeternam: item adversus Valentinianos, necnon Scorpiacum contra Cainianos insectatores Martyrii, atque perutile Opus de Praescriptionibus, cui a cap. 45. usque ad finem Catalogus Haereticorum aliena manu adiectus est. Adde librum de Resurrectione Carnis contra haeresim Sadducaeorum, & contra Iudaeos alterum. Sunt alia Tertulliani opuscula, ex. gr. De Spectaculis, de Cultu Feminarum, Ad Vxorem, de Virginibus Velandis, de Corona militis, de Pallio. Varia, quae Tertulliani Operibus subiiciuntur poemata, sunt spuria, eique immerito afficta, quamvis ab ipso iuniore edita arbitretur Pamelius. In illustrandis Tertulliani libris operam locarunt Franciscus Zephyrus Florentinus, Bildius ab

oppido Rhenaco Rhenanus dictus, Ioannes Mercerius Iurisconsultus Parisiensis, Cl. Albaspineus, Claudius, Salmasius Divionensis, Iacobus Pamelius, Nicolaus Rigaltius, Io. Ludovicus de la Cerda S. I. atque ut alios omittam, Augustinenses duo Christianus Lupus, & Carolus Moreau. Sane Tertullianum summopere laudant Eusebius, Rufinus, Hieronymus, Cyprianus, Augustinus, Lactantius Firmianus, Vincentius Lirinensis, aliique permulti, tanquam virum inter Latinos Scriptores nobilissimum, omnium Ecclesiarum sermone percelebrem, praeditum mira mentis capacitate, & ingenio tam gravi & vehementi, *ut nihil sibi ad propugnandum proposuerit, quod non aut acumine irruperit, aut pondere eliserit*; quae sunt verba Vincentii in Commonitorio, cap. 24. Aliorum iudicia vide apud Popeblount pag. 178. Fabricium tom. 1. pag. 160. & Dupinium in Nova Biblioth. Vol. 1. pag. 174. Illud tamen in Tertulliani Operibus notandum est, praeter eruditionem ac doctrinam, quae illic elucet maxima, offendi salebrosam orationem, stilumque minus comptum atque obscurum; & quamquam Scaliger in eo miretur, praeter disciplinarum & literarum omnium cognitionem, *exquisitam linguae Romanae proprietatem*, nova tamen & peregrina ubique in eo occurrunt vocabula, quae vix intelligant assueti poetarum lectionibus, & abstrusioribus tropis. Satyra excelluit, lepore, salibus, mordacitate.

III. *De Paradoxis doctrinae Tertulliani adscriptis.*

III. Complura a viris doctissimis observata fuere in Tertulliano Paradoxa, quae post Pamelium collegit Oudinus tom. 1. pag. 219. de quibus iudicium nostrum proferendum est. Primum, inquiunt, Tertullianus opinatus est, Angelos desertores libidine in feminas peccasse, in lib. de Idolol. cap. 9. de cultu Femin. cap. 10. aliisque in locis. Haec non fuit solius Tertulliani opinio, siquidem in ea fuerunt quoque Ioseph Hebr. lib. 1. Antiq. cap. 4. Clemens Alexandrinus lib. 1. Pedagogi cap. 2. Athenagoras in legatione pro Christianis &c. quibus fucum fecit, quod legitur cap. 6. Gen. 2. *Videntes filii Dei filias hominum*; quae verba in Graecis versionibus ita leguntur, *Videntes Angeli Dei, &c.* Sed hebraica phrasis, *Bene Helohim*, qua significantur filii Patriarcharum, Iudicum, aliorumque, quibus divina Scriptura nomen Dei Helohim non semel tribuit, difficultatem omnem eliminat. II. Asseruit Tertullianus lib. III. contra Marcionem cap. 9. Angelos in vera humana carne Abrahamo, ceterisque Patriarchis apparuisse: sed veram carnem appellasse videtur, quae, ut eiusdem Tertulliani utar phrasi, non erat putativae carnis phantasma, sed vera quaedam substantia sensibus subiecta; quod & scopus refellendi Marcionem commonstrat. III. Affirmavit non uno in loco, praesertim cap. 21. Apolog. & cap. 26. adversus Praxeam, Christum esse Dei Spiritum: quibus tamen verbis existimamus non personam

nam tertiam individuae Trinitatis significasse, sed illud idem, quod Ioannes cap. 3. ubi ait, *Spiritus, ubi vult spirat*, & *Quod natum est ex Spiritu, Spiritus est*; id nempe, quod corporeum non est, neque extensum. IV. Fertur quoque, Tertullianum dogmatizasse tam Dei substantiam, quam rationalem animam corpore, licet propriae qualitatis, suique generis, circumscriptam. Et quantum ad animam spectat, non videtur posse excusari, cum scribat inesse illi dimensiones, quibus philosophi metantur corpora, necnon effigiem, & corpulentiam ex densatione solidatam: scribat quoque ex uno homine agi totam hanc animarum redundantiam, & in ipso animali semine esse animae distillationem, aliaque lib. de Anima cap. 9. 22. & 27. unde haec exscripsimus, proculdubio absurdissima, & quae adstruunt animas carnali ex traduce propagari. Quantum vero attinet ad Deum corporeum; sunt inter Theologos bene multi, qui Tertullianum ab haeresi Anthropomorphitarum strenue vindicant, asserentes ab ipso dici *corpus*, quidquid est, & opponitur nihilo; siquidem ait in libro de Carne Christi cap. 11. *Omne quod est, corpus est sui generis*: & cap. 2. adversus Praxeam; *Quis negabit Deum corpus esse, etsi Spiritus sit? Spiritus corpus sui generis in sua effigie*. Ex quibus inferunt a Tertulliano appellatam fuisse per metaphoram corpus omnem sive extensam, sive spiritualem substantiam. Qua in re opinionem nostram lib. II. Th. Discipl. cap. 2. expressimus. V. Insimulatur ulterius Tertullianus haereseos, quam postea propagavit Arius, negantis Verbi divinitatem; propterea quod in II. lib. contra Marcionem ait, solum Patrem esse *invisibilem*, & Filium ab initio conversatum cum Patriarchis. In cap. 3. contra Hermogenem inquit, Deum non semper fuisse *patrem, ac iudicem*; & cap. 11. affirmat *tres* in Deo reperiri, *non statu sed gradu, non substantia sed forma, non potestate sed specie*: quae utique videntur primo adspectu redolere Arianam & Macedonianam perfidiam. Verum demonstratum est a Viris doctissimis, Patrem a Tertulliano, non Filium dici invisibilem, quatenus ad Filium spectat legis dispensatio & Oeconomia, mundique redemptio: in refutatione Hermogenis ipsum Tertullianum adserere, advenisse in tempore Deo patris, iudicisque denominationem respectu rerum creatarum, quarum nulla extitit ab aeterno; nomine autem gradunm, quos adstruit in Deo, intelligere personarum, seu relationum pluralitatem, quum sit eiusdem perspicua & orthodoxa sententia cap. 7. contra Hermogenem, *Divinitas gradus non habet, utpote unica*. VI. Notatur Tertullianus, quod in libro de Carne Christi, & in 3. & 4. contra Marcionem scripserit, Mariam Virginem peperisse Christum communi lege patefacti corporis: Verum his in locis dura quidem, & non temere usurpanda loquendi formula Africanus scriptor ait, Christum per ner-

vum umbilicalem, quasi folliculi traducem fuisse avulsum, explicatque avulsione illa quod legitur in Psalmo 21. *Tu es, qui extraxisti me de ventre*, ut adversus Valentinianos evincat Domino fuisse veram, non umbratilem carnem, quum vera caro illa dicenda sit, quae utero adhaeret, atque illinc avellitur: sed nequaquam describit avulsionem quamdam violentam, quae violatis Virginalibus claustra pudoris confregerit. VII. Quum hactenus ea, quae *Paradoxa* Tertulliani dicuntur, excusare, & emmollire studuerim; cetera, quibus veniam lapsis concedendam esse negavit, secundas nuptias abominatus est tanquam stupra, Catholicos Psychicos, videlicet, animales esse nuncupandos, Ecclesiam in tribus laicis consistere, & quae attinent ad exstases, prophetias, & quadragesimas Montanistarum, nulla ratione tutari possum, & propugnare. VIII. Quid vero de Tertulliani circa Eucharistiam doctrina dicendum erit? An revera putavit, quemadmodum Heterodoxi contendunt, Eucharisticum panem esse meram Corporis Christi figuram? Dubitandi ingerunt suspicionem, quae habet in IV. adversus Marc. cap. 40 *Acceptum panem & distributum discipulis corpus suum illum fecit: Hoc est Corpus meum dicendo, idest figura corporis mei*. Attamen *figura & signum* dicitur Eucharistia Corporis Domini, quatenus idem corpus sub speciebus Eucharisticis latitans, nobis in mentem revocat illius mortem; ac Symbolum & figura est sui ipsius in cruce pro Mundi reparatione immolati. Quare non semper imago & similitudo excludit rei veritatem, quemadmodum Tertullianus ipse demonstrat lib. quinto contra eumdem Marc. cap. 20. ex verbis Apostoli de Christo scribentis ad Philippenses, *In similitudinem hominum factus*. Hinc non meliori ratiocinio inferunt Valentiniani ex hisce Apostoli verbis Christum non esse verum hominem, quam Calvinistae ex praelaudato Tertulliani loco consequi existiment in Eucharistia verum Christi Corpus non contineri. Adite Estium in IV. Sent. dist. 8. § 15.

IV. *Quaedam aliae in Tertulliani doctrinam adnotationes.*

IV. Sunt quaedam alia, licet levioris momenti, quae in libris Tertulliani animadversionem aliquam promerentur. Praelaudatus enim Pamelius inter Tertulliani paradoxa num. 14. recenset, quod Dominum suffixum cruci tradiderit anno XV. Tiberii Caesaris, & in duorum Geminorum Consulatu. Id vero Pamelius eum oppositum Evangelio Lucae asserentis Christum praedicto anno baptizatum fuisse, tum repugnans Chronologiae, & annorum Domini exactae supputationi arbitratur, quoniam Consulatus Geminorum incidit in Annum Christianae Aerae 29. At Tertullianus revera passionem Domini statuens in Libro contra Iudaeos cap. 8. in XV. anno Tiberii Caesaris, & in Rubellii Gemini, & Rufi Gemini Consulatu, egregie potius confirmat Chronologiam illorum, qui Nativitatem Domini figunt in anno V. C. 749. initia Vulgaris Aerae in anno V. 754. Passionem Chri-

Christi in anno huius Aerae 29. & distinguunt imperium Proconsulare Tiberii ab imperio ipsius Augustali; quorum vestigiis & nos adhaerentes negamus Tertullianum, ceterosque Patres asserentes Dominum affixum cruci Coss. duobus Geminis, in temporum ratione peccasse. Illud potius dignum spongia videretur, ut putat Fabricius Tom. I. Hist. Bibl. pag. 160. quod Tertullianus ait lib. IV. ad Marcionem cap. 19. censum indictum a C. Augusto tempore Dominicae Nativitatis, actum fuisse in Iudaea per Sentium Saturninum, quum ex cap. 2. Lucae manifestum sit, eumdem censum fuisse peractum a Praeside Syriae Quirino. Et quidem potius congruit, ut Tertullianus auctoritate Evangelii, quam Evangelium auctoritate Tertulliani, quod nonnulli temere ausi sunt, emendetur. Ita vero castigata Tertulliani lectione, nullum inde petitur argumentum, quo Salvatoris nostri Nativitas referatur ad annum V. C. 748. in quo Saturninus Syriae praefecturam absolvit: quamquam retenta etiam Tertulliani lectione, non una suppetat via nodum hunc extricandi. Non hinc tamen inferri debet, nunquam Tertullianum a recta temporum ratione aberrasse. Nam citato cap. 8. contra Iudaeos ait passum Dominum dum ageret annum tricesimum; ubi ex Hieronymo Tom. III. pag. 1116. Edit. Martin. restituendum est, *quasi XXXIII.* In Apologetico etiam cap. 19. Hieronymum Aegyptium Phoeniciae, & Syriae praefectum, quem Flavius Iosephus in primo contra Apionem laudat inter alios Gentium Scriptores, Tertullianus confundit cum Hiromo, aut Hiram, Tyri rege, cui Salomon fuit familiaris: quod observatum a Io. Gerardo Vossio lib. I. de Historicis Graecis cap. 11. Tandem nos superiori Dissertatione pertractantes de errore Rebaptizantium, hunc aetate Tertulliani viguisse affirmavimus: ac Tertullianus ipse in Libro de Baptismo cap. 15. de Pudicitia cap. 19. & de Praescript. cap. 21. aperte tradit, haereticos nullum consortium habere nostrae disciplinae, sicut veram fidem, ita verum baptismum nobis commissum esse, & neminem posse ab illis illuminari, a quibus contenebratur. Fleurius lib. IV. Hist. Eccl. num. 47. ait locutum fuisse Tertullianum de Haereticis, qui vel alia baptismi forma utebantur, vel a fide Trinitatis erant alieni. Id vellicans auctor Observationum in eamdem Historiam inquit, videri istic asseri nullum esse baptismum collatum ab Haereticis, & Claudium de Fleuris imperite admodum & cavillose reprehendit. Iste enim Tertulliani mentem, non quid ipse sentiat, caute prudenterque significat; nec primus est qui eidem Tertulliano errorem Rebaptizantium adscripserit: immo Fleurius advertens loqui Tertullianum de his haereticis, qui ut plurimum adulterabant formam baptismi, eumdem Tertullianum quodammodo excusat. Verum de Tertulliano dictum satis, superque.

V. Agen-

V. *De S. Hippolyto Portuensi: cuias fuerit, & quo tempore vixerit.*

V. Agendum nunc de Hippolyto, cuius patria plurimum controvertitur. Nam Eusebius lib. vi. cap. 20. mentione facta Berylli Bostrensis, ait, *Hippolytus alterius cuiusdam Ecclesiae Episcopus*; & Hieronymus in Catalogo, *Hippolytus cuiusdam Ecclesiae Episcopus, nomen quippe Vrbis scire non potui*. At fuisse Hippolytum Episcopum Portus Romani in Arabia, idest, Adenae civitatis, ob celebre emporium a Romanis mercatoribus frequentatum, appellatae etiam nomine Portus Romani, opinantur Caveus, Dupin, Oudinus, post Stephanum Moynium, qui in Prolegomenis ad Varia Sacra id non levi coniectura affirmavit. Nam tradunt Hippolytum auditorem fuisse Origenis, & Clementis Alexandrini discipulum, tametsi Photius Cod. 121. asserit illum fuisse discipulum S. Irenaei. Fulcitur haec opinio auctoritate S. Gelasii, qui in lib. de Duabus Naturis contra Eutychetem inquit, *Hippolyti Episcopi Martyris Arabum Metropolis in memoria haeresium*. Passim tamen asseritur, S. Hippolytum fuisse Episcopum Portuensem, scilicet, Portus Augusti Civitatis ad Ostia Tiberis sitae, nunc excisae, & procul ab urbe Roma 16. milliariis. Hoc tradunt non solum nostrates cum Baronio ad Annum 229. & in Notis ad Martyr. Rom. die 22. Augusti, sed etiam Nicephorus lib. iv. Hist. Eccl. cap. 31. Leo Byzantinus Lib. de Sectis Aet. III. Germanus Constantinopolitanus in Theoria Eccl. haud repugnantibus Magdeburgensibus Cent. 3. cap. 10. Veram esse hanc opinionem arbitramur primo ob Martyrologiorum fere omnium testimonia: deinde ob hymnum Prudentii xi. de Coronis, quem in laudem S. Hippolyti Portuensis Episcopi ac Martyris conscriptum demonstrat in Actis Sinc. Cl. Ruinartius: tum ob marmoream S. Hippolyti Cathedram repertam an. 1551. in Agro Verano haud procul a Basilica S. Laurentii, & a Marcello Cervino S. R. E. Card. Bibliothecario, postea Pontifice Maximo, in Bibliotheca Vaticana collatam; quam Cathedram ex Arabia translatam non adeo facile credam: insuper ob Acta Sanctorum Ostiensium in Annal. ad praedictum annum 229. a Baronio laudata; ob puteum, qui etiamnum in Portu Romano visitur, in quem demersus Hippolytus dicitur perantiqua & vetustissima traditione consummasse martyrium; ac demum ob facillimam solutionem oppositorum argumentorum, quae corruunt penitus, si dicamus primum in aliqua Arabiae urbe, postmodum in Italia Hippolitum fuisse Episcopum. Neque enim Gelasius cit. loco appellat Hippolytum Episcopum Portus Romani in Arabia, ita ut locus sit suspicioni Stephani *Le Moyne* ex aequivocatione huius vocabuli *Portus Romani*, creditum fortasse Hippolytum Episcopum Portuensem apud Ostia Tiberis: sed Gelasius illum appellat Episcopum *Metropolis Arabiae*, qualis non fuit emporium, seu civitas Adenae ad Arcyram montem, dicta a Ptolomaeo, aliisque vetustioribus *Cabubara*. Claruisse Hippolytum imperante

perante Alexandro, qui regnare coepit anno 222. & obiit anno 235. tradunt cum Eusebio, & Hieronymo vetustiores Historici, & sub eodem Alexandro coronatum fuisse martyrio antiqua testantur Martyrologia. Gregorius tamen Turonensis, & alii apud Du-Cangium, & Schelestratium putant, Hippolytum perpessum fuisse martyrium sub Decio, qui septimam movit in Christianos persecutionem anno 250. a qua sententia alienus non est Ruinartius existimans Hippolytum obiisse an. 252. Et quidem Hippolytus Chronicum suum, de quo infra, protraxit usque ad annum 13. Alexandri, Christianae Aerae 234. ideoque passus non est anno eiusdem Alexandri VI. sive Aerae Vulgaris 227 ut in Annalibus inquit Caesar Cardinalis Baronius. Quidquid sit de anno passionis Hippolyti, illum floruisse sub Alexandro, ut Eusebius & Hieronymus inquiunt, compertum est. Sed ad Hippolyti scripta progrediendum.

VI. *S. Hippolyti scripta, & quaedam in ea notationes.*

VI. De Hippolyti scriptis inquit praelaudatus Eusebius lib. VI. cap. 22. Inter plurima alia ingenii sui monumenta, librum de Pascha composuit, in quo temporum seriem describens, & Canonem quemdam Paschalem per sexdecim annorum circuitum exhibens, anno primo Imperatoris Alexandri computationem temporum circumscribit. Ex reliquis autem ipsius scriptis haec sunt, quae ad notitiam nostram pervenerunt: In opus sex dierum: In ea, quae post sex dies consecuta sunt, adversus Marcionem: In Cantica Canticorum: In capita quaedam Ezechielis de Pascha: Adversus omnes haereses. Sed & alia plurima apud alios asservata licet reperire. Haec Eusebius. Quae sint alia plurima partim intelligimus ex Hieronymo, qui inter Opera Hippolyti connumerat alia in Vetus Testamentum, & in Apocalypsim Commentaria, necnon Libros de Saule, & Pythonissa, de Antichristo, variasque Homilias habitas in Ecclesia praesente Origene: partim vero ex marmorea ipsius Hippolyti Cathedra superius laudata, ex qua eruitur illum ulterius scripsisse de Charismatibus, Chronicum, Protrepticum ad Severinam, de Deo, atque de Carnis resurrectione, de bono & unde sit origo mali, & adversus Platonem, & de Vniverso. In haec Hippolyti scripta observationes quasdam addentes animadvertimus primo, Canonem Paschalem & Chronicum diversa fuisse Opera; siquidem Canon, seu Cyclus Paschalis exaratus est anno 1. Alexandri & Chronicum conscriptum fuit anno 13. eiusdem Imperatoris. II. De hoc Paschali Canone, non autem de Chronico, aperte loquitur S. Hieronymus, dum ait, *Rationem Paschae, temporumque canones scripsit usque ad primum annum Alexandri Imperatoris, & sedecim annorum circulum*, quem Graeci *ἑξκαιδεκαετηρίδα* vocant: quae cohaerent cum laterculo statuae Hippolyti insculpto, cuius initium est, *Anno 1. Alexandri Imperatoris contigit dies 14. Paschae Idibus Aprilis, in Sabbato: sequentibus annis continget,*

sicut

ficut in Tabula fubiectum eft. Vnde conftat illos errare, qui cum dicto Du-Gange in Praefatione ad Faftos Siculos producta Hieronymi & Eufebii verba de Chronico Hippolyti intellexere. Sane Chronicum non effe Cyclum, feu Canonem Pafchalem, conftat ex ipfomet Chronico edito primum a Canifio Tom. 2. Antiquarum Lect. poftea a Du-Cange ad finem Chronici Alexandrini, tum a Schelestratio Volum. I. Antiq. Eccl. pag. 521. atque ex Canone a Scaligero libro VII. de Emendat. Temp. a Petavio lib. II. de Doctr. Temp. cap. 61. ab Aegidio Bucherio, qui Canonem ipfum latinitate donavit, in Commentario *de Doctrina Temporum* ad Victorii Aquitani Canonem Pafchalem, a Ioanne Vignolio in fingulari Differtatione *De Anno* 1. *Imperii Alexandri*, aliisque viris eruditiffimis illuftrato. III. Quoad Hippolyti marmoreum fimulacrum cum laudati Cycli infcriptione adinventum in Agro Verano legendus Baronius in Notis ad Martyrol. Rom. XI. Kal. Septembris, ubi ait in ftatua quoque Verrii pofita in Hemicyclo incifos fuiffe Faftos a fe digeftos, atque omnium primum Faftos lapidi incifos potuiffe circa Forum C. Flavium Aedilem: quod ex Livio, & Suetonio advertit illuftris Annalium Conditor ad demonftrandum cur in ftatua Hippolyti Canon Pafchalis, atque olim in Monafteriorum parietibus infcripta fuerint Ecclefiaftica Kalendaria. IV. Diftinguenda non funt Hippolyti *fcripta ad Graecos*, *adverfus Platonem*, & *de Omni*: ex praedicta enim marmorea tabula, in qua legitur ΠΡΟΣ ΕΛΛΗΝΑΣ ΠΡΟΣ ΠΛΑΤΩΝΑ ΚΑΙ ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΠΑΝΤΟΣ, perfpicuum eft particulam πρὸς priori in loco idem fignificare ac *Ad*: & in fecundo loco idem valere ac *Adverfus*, vel *contra*; cum Hippolytus nequaquam fcripta ad Platonem dirigere potuerit; unde recte viri docti ita Graeca illa verba reddidere, *Ad Graecos contra Platonem*, *five etiam de univerfo*: quam explicationem genuinam effe conftat ex fragmento eiusdem Operis edito a Stephano *Le Moyne* inter Varia Sacra cum hoc titulo, Ἐξ Ἱππολύτου τοῦ πρὸς Ἕλληνας λόγου τοῦ ἐπιγεγραμμένου κατὰ πλάτωνος περὶ τῆς τοῦ παντὸς αἰτίας. *Ex Hippolyti Sermone ad Graecos*, *cuius titulus*, *contra Platonem de univerfi caufa*. V. Opus S. Hippolyti adverfus Haerefes, laudatum a Gelafio in libro de duabus Naturis, erat liber contra haerefes 32. quarum prima erat Dofitheanorum, ultima Noetianorum. De Noetianis diximus in praeced. Difs. num. VI. Dofithei autem quamdam inter Iudaeos fectam conftituerunt, & haerefim parum abfimilem erroribus Sadducaeorum, qui ex capite 23. *Act.* afferebant, *non effe refurrectionem*, *neque Angelum*, *neque Spiritum*. Scribente autem Photio, Hippolytum in compendium redegiffe haerefes, quas S. Irenaeus in concionibus refutaverat, arbitramur illum potius Irenaei, quam Clementis Alexandrini fuiffe difcipulum: cumque haerefis

Noe-

Noetiana eruperit circa annum Christi 245. probabilius existimamus, Hippolytum martyrio coronatum fuisse sub Decio, quam sub Alexandro ante decennium, idest, anno 235. a militibus interempto. VI. Caveus in Saeculo Novatiano arbitratur, Opus S. Hippolyti περὶ χαρισμάτων idem esse ac inscriptum Ἀποστολικῶν διατάξεων, Apostolicarum praeceptionum, quas Auctor secum Romam attulerit ex Oriente. Et quidem Eusebius lib. vi. Hist. Eccl. cap. ultimo ait, Hippolytum a Dionysio Alexandrino cum Epistola ad Fratres Romae constitutos missum fuisse. Quae cum ita sint, haud invitus in eam sententiam descendo, Hippolytum, cum edidit librum adversus Haereses, fuisse Episcopum in Arabia, ac proinde hunc librum citari a Gelasio; postea vero Romae commorantem ad Portuensem Cathedram fuisse promotum. Atque haec sunt, quae nos de Hippolyto adnotanda esse putavimus.

VII. *De Minutio Felice, de Ammonio Alexandrino, & de Iulio Africano.*

VII. Cum plura de Hippolyto dicta sint, pauca attingam de Minutio Felice, Ammonio Alexandrino, & de Iulio Africano, qui omnes circa annum 225. imperante Alexandro, & eadem cum Hippolyto aetate claruerunt. Ac Minutius non ignobilis Causidicus insignem scripsit Dialogum, quem *Octavium* inscripsit, & in quo instituta inter Caecilium Natalem, & inter Octavium Ianuarium, unum Christianae Religionis accusatorem, alterum propugnatorem & vindicem, disceptatione, fabulosa profanorum Numinum prosapia refellitur, atque obiecta adversus Fidem, quam nos profitemur, pari eloquentia ac doctrina eliduntur. Dignus propterea est Minutius Felix, qui a Lactantio lib. v. Divin. Instit. cap. 1. dicatur *idoneus veritatis assertor*, & quem Balduinus, Ouzelius, & Cellarius prolegomenis, notis, fusisque commentariis illustrarint. Suppar Minutio fuit Ammonius Alexandrinus cognomento *Saccas*, Platonicae Philosophiae sectator, & in ea praeceptor Origenis. A cavillandi libidine prorsus alienus illa selegit dogmata, in quibus Plato & Aristoteles convenerunt, praeclarum contentiosis Philosophis tradens exemplum. Calumniabatur Porphyrius acerrimus Religionis Christianae hostis, Ammonium a Christi cultu ad Gentilium ritus transisse: at in hoc Porphyirus manifestissime mentitus est, inquit Eusebius lib. vi. Hist. Eccl. cap. 19. Edidit autem Ammonius de Concordia Moysis & Iesu elegantissimum Opus. Scripsit & Concordiam Evangelicam, quam circa annum 545. in latinam linguam vertit Victor Episcopus Capuanus. De hac Concordia, ne cum altera confundatur, quam fertur latine reddidisse Ottomarum Luscinium, monet Casimirus Oudinus Tom. I. pag. 230. Sequitur his Synchronus Iulius Africanus ab Imperatore Alexandro delegatus ad restaurandam Civitatem Emmauntem, quae exinde appellata fuit Nicopolis. Edidit Iulius concisa methodo libros quinque Chronographiae, quos accuratissime compositos asserit Eusebius lib. vi. Hist. Eccl. cap. 31.

cap. 31. Scripsit & Epistolas duas, unam ad Aristidem de dissensione, quae videtur esse inter Matthaeum & Lucam in Christi Genealogia recensenda: alteram de Historia Susannae ad Origenem. In harum Epistolarum prima ad concordiam revocat Evangelistas lege adoptionis, quae vigebat apud Iudaeos, ut constat ex cap. 25. Deut. exponens, quomodo Ioseph Sponsus Beatae Mariae Virginis fuerit natura filius Iacob, & lege filius Heli. Vide praelaudatum Eusebium lib. 1. cap. 7. In altera autem Epistola Iulius difficultates proponit, quae videntur Historiam Susannae demonstrare spuriam & commentitiam; verum his luculentissime satisfecit Origenes. Fertur a Iulio Africano scriptos quoque fuisse Libros *κεστῶν* *Cestorum*, *Amatoria* scilicet, ita a Cesto Veneris dicta, ut putat Syncellus. Ex Chronico Eusebii non amatorias, sed res *medicas*, *phisicas*, *rusticas*, *chymicas* Opus *τῶν κεστῶν* complectebatur. Certe hoc ipsi tribuit cit. Eusebius scribens lib. VI. cap. 31. *Claruit iisdem temporibus Africanus, qui Libros κεστῶν composuit*: ac idem scribit Photius in Biblioth. Cod. 34. Accedit Suidas, qui unum Africanum agnoscit auctorem Cestorum, & Epistolae ad Aristidem. In hac opinione sunt Vossius de Hist. Graecis lib. II. cap. 15. Lambecius in Biblioth. Vindel. Tom. V. Wetstenius in Not. in Epist. Africani, & Caveus in Saeculo Novatiano. Probabilius tamen existimamus, *Cestorum* Libros editos fuisse ab altero eiusdem nominis auctore; primum quia Iulius Scriptor *Cestorum* fuit oriundus a Lybia, ut inquit Suidas; Iulius autem noster fuit Palaestinus ex oppido Emmaunte, ut docet Eusebius in Chronico: praeterea Iulius Africanus Christianus fuit, auctor autem *Cestorum* Gentilis, pluraque iste tradidit remedia ex incantationibus, scriptisque elementis composita; ac demum videntur praedicta verba Eusebii insititia, fractumque etiam argumentum e Suida depromptum. In Eusebii namque textum ea verba, *qui Libros κεστῶν composuit*, aliena irrepsisse manu colligitur tum ex versione Rufini, quae eis caret; tum ex Catalogo Hieronymi magna ex parte exscripto ex Historia Eusebii, ubi item nulla librorum istorum fit mentio; tum denique ex ipsa ratione, quae suadet inverisimile esse ab Eusebio in Ecclesiasticorum Librorum recensione priori loco commemoratos fuisse *τῶν ἐπιγεγραμμένων κεστῶν συγγραφεύς*, *titulo Cestorum inscriptos*. Suidas vero Iulium Africanum *Sextum* appellat, quo nomine fortassis *ἀπὸ τῶν κεστῶν* confictо Iulius, de quo agimus, minime vocabatur; librosque *τῶν κεστῶν* vigintiquatuor fuisse scribit; quos tamen Photius Cod. 34. quatuordecim numerat, Eusebius autem in Chronicis novem tantummodo. Quare nec Suidam, nec Photium hac in re consentientes habemus. Fas ergo sit nobis eam opinionem amplecti, quae Iulio nostro Libros *Cestorum* abiudicat;

cat; in qua opinione versatos novimus Scaligerum in Animadversionibus ad Chronicum Eusebii, Henricum Valesium in Historiam eiusdem Eusebii lib. vi. cap. 31. Dupinium in Nova Biblioth. aliosque. Sed a Iulio Africano, ut accedamus ad Origenem, abire cogimur.

VIII. *Brevi in Vitam, resque ab Origene gestas inquiritur.*

VIII. Origenes itaque, aut propter firmas solidasque rationes, quibus uti visus est, aut propter maximos, quos religionis studiorumque causa subiit labores, appellatus ***Adamantius***, natus est Alexandriae circa annum Christi 186. quum exorta persecutione Severi anno 202. ageret annum aetatis suae decimum septimum; proximoque anno pulsis fugatisque Alexandria Clericis, ac Presbyteris, a Demetrio Episcopo praefectus fuit Catechumenis instituendis annos natus decem & octo, prout lib. vi. Hist. Eccl. cap. 2. & 3. narrat Eusebius. Patrem habuit Leonidam Martyrem, sub quo pietatis, & litterarum posuit tyrocinium, deinde in philosophicis disciplinis institutor illi fuit Ammonius, in Theologicis vero S. Clemens Alexandrinus, adeo ut aperte mentiatur Porphyrius scribens, a Gentilibus Origenem Graecanicis litteris fuisse imbutum. Rapto Leonida eius parente ad carceres, Origenis quoque animum incendit vehemens martyrii cupido: & ubi mater omni illius veste abscondita invitum domi manere coegit, datis ad patrem litteris eumdem ad mortem fortiter perferendam hortatus est, etiam atque etiam eum rogans, ne sui causa a sententia subeundae pro Christo mortis discederet. Coronato itaque Leonida, cunctisque eius facultatibus in fiscum illatis, Origenes aliquandiu apud matronam opulentissimam vixit: deinde quo se aleret, artem Grammaticam docuit; tum venditis libris humaniorum litterarum ea conditione, ut emptor quatuor obulos illi ad victum singulis diebus persolveret, magna frugalitate vitam transegit. Dum postea instituendis Catechumenis daret operam, & frequenter eo in munere sermonem conferret cum mulieribus, ut omnem a se amoveret suspicionem & causam obloquendi, simplicius & iuvenilius accipiens quod legitur Matthaei 19. *Sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum Coelorum*, sese audaci facinore exsecuit. Quod primum audaciam iuvenis, & fidei sinceritatem collaudando admiratum fuisse Demetrium Alexandrinum Episcopum, postea vero celebritati nominis eius invidendo litteris ad omnes Antistites conscriptis acriter reprehendisse, auctor est lib. vi. cap. 8. Eusebius. Post varia deinde itinera, quibus nunc Romam perrexit sedente Pontifice Zephyrino, nunc Antiochiam accersitus a Mammaea matre Alexandri Imperatoris, nunc regnante Antonino Caracalla, & rursus principe praelaudato Alexandro profectus Caesaream Palaestinae, ea in urbe a duobus Episcopis Theoctisto Caesareensi, & Alexandro Hierosolymitano presbyter est ordinatus. Duos illi Episcopos manus imposuisse honoris gratia, ut nempe in utrisque Ecclesiis fungeretur Sacerdotio, haud male Adnot. in Eu-

sebii Historiam lib. vi. cap. 8. coniectat Valesius. Verum hac ordinatione non levis iniuria illata est praesuli Alexandrino Demetrio, cum ab Origene, qui sibi ab externis Episcopis manus imponi permisit, tum ab Episcopis ipsis, qui Scholae Alexandrinae Magistrum ad Ecclesias suas transtulere. Contigit haec Origenis ordinatio anno Christi 228. aetatis suae 43. rediitque Origenes Alexandriam, ubi egregiis voluminibus conscribendis incubuit. Non potuit tamen pristinam inire Demetrii gratiam, ab eoque vexatus, & Synodali Decreto prohibitus in illa urbe morari, & docere, coactus est rursus in Palaestinam reverti. Ibi clarissimos auditores habuit, inter quos Gregorius Thaumaturgus Neocaesariensis Episcopus, eiusque frater Athenodorus. Excommunicatus anno 233. in Concilio Episcoporum Aegyptiorum congregato a Demetrio, aliquandiu Nicomediae, aliquandiu autem Tyri, Athenis, Caesareae in Cappadocia, & alibi diversatus, ubique edidit ingenii sui monumenta. Exorta anno 235. post obitum Alexandri persecutione Maximini, Origenes usque ad huius mortem, quae contigit in obsidione Aquileiae anno 337. una cum Firmiliano delituit apud piam divitemque matronam Caesareensem, Iulianam nomine; Palladius in Historia Lausiaca cap. 51. harum latebrarum meminit, narratque invenisse Origenem in Iulianae aedibus Interpretationes sacrorum Librorum, & Commentarios in Matthaeum elaboratos a Symmacho Ebionaeo; quod etiam refert lib. vi. cap 18. Hist. Eccl. Eusebius. In persecutione autem Decii anno Christi 250. Origenem alacri invictoque animo sustinuisse vincula, corporis cruciatus, ignium minas, & in intimo carceris recessu ferrei torquis aerumnas, testantur citato lib. vi. cap. 39. Eusebius, & Haer. 64. S. Epiphanius. Is tamen addit, Origenem paullo post gloriam confessionis negatione & thurificatione maculasse; quod num verum sit, inter Historicos controvertitur. Nam Pamphilus Martyr, aliique plurimi apud Photium Cod. 118. Origenem in persecutione Deciana consummasse martyrium litteris tradiderunt. His ergo, aliisque laboribus perfunctus Origenes Tyri anno 254. imperante Gallo decessit exacto anno aetatis suae 69. Vide lib. vii. cap. 1. Eusebium, & Hieronymum in Catalogo cap. 54. Quibusdam Origenianis Codicibus, idest Operi περὶ ἀρχῶν laudato a Mabillonio lib. II. Analectorum praefixus est sequens sepulcralis titulus, quasi ab ipso Origene sibimet positus:

Ille ego Origenes Doctor verissimus olim
Quem primum fidei gratia clara dedit.
Si mihi credere vis, libros tot millia scripsi,
Quot legio missos mittit in arma viros.
Nulla meos unquam tetigit blasphemia sensus,
Sed probus, atque vigil, tutus ab hoste fui.

Sola

Sola mihi casum Periarchon dicta dederunt :
His me coniectum undique tela premunt .

Plura de Origene praeter Eusebium, Rufinum, Epiphanium, Photium , aliosque innumeros , qui de Scriptoribus Ecclesiasticis pertractarunt , Cl. Daniel Huetius in Opere inscripto *Origeniana*.

IX. Qui de rebus ab Origene gestis dissertationem instituunt, inquirere solent, num virilium exsectio fuerit canonicum impedimentum , ne a Theoctisto & Alexandro ad Presbyteri ordinem promoveretur ; quod Baronius & Spondanus affirmant ad annum 230. negant vero Alexander Natalis Dissert. XV. in Hist. Eccl. III. Saeculi , & Casimirus Oudinus in Comment. de Script. Eccl. Tom. I. pag. 235. Prioris autem opinionis momenta haec sunt. Primum quia fatente Eusebio Origenis adoratore lib. VI. cap. 8. ipsum Origenem , cum se primo laicus exsecuit , Demetrius vehementer admiratus est : ubi vero evectum novit ad presbyteratus honorem , hoc illi crimen obiecit, & coacta Synodo eum communione privavit , non quod invideret ingenti gloriae , qua florebat Origenes , ut eius laudator existimat ; sed potius , quod probabilius censemus , ob illegitimam ordinationem. Deinde quia est regula Ecclesiastica , seu Canon Apostolicus 21. *Qui sibi ipsi virilia amputaverit , Clericus non efficitor ; sui enim ipsius homicida est , & inimicus creationi :* & 22. *Si quis cum Clericus esset , virilia sibi ipsi amputaverit , deponitor ; homicida enim sui ipsius est* . Etsi autem non omnes Canones , qui Apostolici dicuntur , pervetusti sunt, atque exploratae auctoritatis: hos tamen duos tanquam consonos veteri Apostolorum traditioni confirmavit Canone 1. Nicaena Synodus , factum Origenis , & haeresim Valesiorum proscribens , ut animadvertit eximius Scholiastes Christianus Lupus . Praeterea lege quoque Moysi Deut. 23. cautum erat , ne Eunuchus in Ecclesia Dei administraret : quod etiam in lege Evangelica servari oportuit ; non enim caeremoniale duntaxat , & typicum , sed cedens in sacrorum ministrorum honorem fuit proculdubio praeceptum illud , maxime quod publicis legibus quisquis seipsum castrans infamis habeatur , teste Hieronymo Comment. in Epistolam ad Galatas : *Infames* vero & expresse *qui non sunt integri corpore* Can. 17. dist. 6. q. 1. definitione , quae tribuitur Stephano , ad sacros gradus provehi vetantur. Insuper Ecclesiastica Historia nos docet , quosdam utique Eunuchos sive natos , sive a Dominis excisos , sacris ordinibus fuisse initiatos , ut Eunuchum Reginae Candacis , de quo in Act. Ap. Melitonem Sardicensem laudatum a Polycrate , Germanum , & Ignatium Constantinopolitanae Ecclesiae Antistites , Tigrium eiusdem Ecclesiae presbyterum , aliosque complures : at non idem dicendum est de iis , qui seipsos pro-

IX. Num Origenis abscissio fuerit Ordinationis eius Canonicum impedimentum ?

propria manu exciderunt, aut sponte Medicis excidendos tradidere, lege Adriani Augusti capite plectendi, uti constat ex L. 48. ff. ad L. *Corneliam*. Ad haec Annalium Ecclesiasticorum Parens profert exemplum Leontii Episcopi Ariani a Presbyterio deiecti, quod sibimet genitalia abscidisset, ut cum Eustolio, quam ille virginem praedicabat, libere & absque turpis consuetudinis suspicione dormiret, quemadmodum narrant Athanasius in Epistola ad Monachos, & Socrates lib. II. Eccl. Hist. cap. 26. Verum hoc exemplum ad rem non facere contendit citata Dissertatione Natalis Alexander, tum quia Leontius sese eviravit, ut absque famae discrimine Eustolii frueretur amplexibus, tum quia Leontius ordinatus fuit post Concilium Nicaenum, cuius primo Canone Eunuchi arcentur a Sacerdotio. At quidquid sit de tempore, quo Leontius ordinatus fuit (etenim ex Athanasio, & Socrate id unum colligimus, fuisse Episcopum Antiochenum, quando Coss. Marcellino & Probino, idest anno 341. celebrata est adversus praelaudatum Athanasium Antiochena Synodus Arianorum; Theodoretus autem lib. II. Hist. Eccl. cap. 24. ubi ait, *Leontius Episcopatum obtinuit, contra Nicaenos Canones eum honorem sortitus: erat enim Eunuchus, suaque manu seipsum absciderat*, aperte loquitur de ordinatione in Episcopum, non de honore Presbyteri longe antea illi collato:) est sententia Beveregii in Adnot. ad 21. & 22. Canones Apostolicos, Leontium ante Nicaenam Synodum sibimet exsecuisse virilia, eumdemque Leontium caussam praebuisse Nicaenis Patribus innovandi Canones illos Apostolicos nimium tandem neglectos. Haec me potius in sententiam Baronii, quam Natalis Alexandri traxere: nec moror quod is opponit ex lib. VI. Eusebii cap. 8. atque ex Catalogo Hieronymi cap. 65. Demetrium inique & insane debacchatum fuisse in ordinationem Origenis. Nam si haec, primum cusa in officina nimii Origenianorum factorum ἐγκωμιάστου, probare velimus, exacerbationem excessumque Demetrii in re, quam principio excusaverat, non caussae aequitatem, nec undequaque canonicam ordinationem Origenis possunt evincere. Sane nunc eos, qui seipsos abscindunt, nec propter languorem a Medicis, aut vi a barbaris dissecti sunt, ad Clerum pervenire non posse, promotosque prohiberi a suscepti Ordinis ministerio, apertum est ex praecitato Can. I. Nicaeno, ex Canone 7. Concilii II. Arelatensis, ex Epistola 4. Innocentii I. ad Macerianum, atque ex aliis Sanctionibus Ecclesiasticis, de quibus vide Distinctionem 55. Decreti.

X. *Demonstratur probabile esse quod Epiphanius narrat de Origenis lapsu; falsum vero quod Pamphilus scribit de illius martyrio.*

X. Haud levis quoque est difficultas de lapsu Origenis in persecutione Decii, quem lapsum Haer. 64. commemorat S. Epiphanius; Baronius autem ad annum 253. opinatur, patens esse commentum & affectatam calumniam. Sane Epiphanius eo loci refert, Origenem post plura certamina, dum improbitatis artifices vellent illum ad turpitudinis

dinis necessitatem adigere, atque ad inferendum eius corpori stuprum comparassent Aethiopem, ne id pateretur, potius se immolationi paratum dixisse, licet thus in eius dextera positum in subiectum arae focum excusserit: posthac Alexandria, ubi haec evenerunt, cum ferre non posset exprobrantium ludibria, abiisse in Palaestinam; & Hierosolymis commorantem, rogatumque ut in Ecclesia verba faceret, aperto sacrorum librorum volumine oculos statim coniecisse in locum illum Psalmi 49. *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum*: tum vero ingentem ei fletum erupisse, librumque complicatum statim reddidisse ministro, commotis ad lacrymas, qui aderant, universis. Idem narrant Iustinianus Imperator in Tractatu adversus errores Origenis approbato a Synodo V. Leontius in libro de Sectis Act. 10. Nemesius in libro de Nat. Hominis cap. 30. Nicetas Choniates lib. IV. Thesauri. Anastasius Bibliothecarius ad annum 244. Zonaras lib. II. Hist. Glycas Parte 3. Annal. & Nicephorus Callistus libro V. Hist. Eccl. cap. 32. Vide Natalem Alexandrum Differt. XV. quaest. 2. At Baronius, ut dixi, de lapsu Origenis vehementer dubitat: Primum quia in libro, qui inscribitur *Poenitentia Origenis*, reiecto tamen a Gelasio in Concilio Romano inter apocryphos, alia eiusdem lapsus caussa adumbratur; ibi enim inducitur Origenes ita loquens, *Mea autem lingua ad minam peccati me traxit*: Secundo, quia praelaudatus Epiphanius in libro de Mens. & Pond. inquit de Origene, *Floruit a temporibus Decii usque ad Gallum & Volusianum*, quae verba gloriam, splendorem, non lapsum significant: Tertio quia de hoc Origenis crimine prorsus silent non solum Eusebius, Pamphilus, Rufinus, & Hieronymus, verum etiam Porphyrius, Christianorum infensissimus hostis, & Ecclesiae gloriae invidus, qui potius in Vita Plotini Origenem egregiis laudum titulis ornat, eumque ipsi Plotino praeferendum esse fatetur: Quarto quia nec Augustinus, nec Patres, qui Origenis errores in quinta Synodo proscripsere, commemorati lapsus meminerunt. Haec tamen Baronii argumenta non videntur admodum firma, tum quia silentio tantum paucorum scriptorum innituntur, tum quia falsum est, in quinta Synodo ab Imperatore Iustiniano non fuisse de lapsu Origenis pertractatum, tum demum quia Augustinus, cuius silentium opponitur, de haeresibus summatim breviterque pertractat, & licet Breviarium quoddam sex librorum S. Epiphanii adversus haereses legerit, Panarium tamen, seu spissum amplumque Volumen, quo adversus haereses disputat, & ubi Origenis crimen commemorat, eo saltem tempore, cum scripsit ad Quodvultdeum Catalogum haereseon ex eodem Epiphanio, atque ex Eusebio collectum, nequaquam viderat, quemadmodum manifestum

est

est ex eiusdem Catalogi praefatione. Ceterum Origenem multa in persecutione Decii fuisse perpessum beatus Epiphanius testatur, adeo ut cum Eusebio, Pamphilo, Rufino, aliisque id narrantibus hac in parte conveniat. At in ea persecutione Origenem coronatum fuisse martyrio, quod in Apologeticis suis scribit laudatus Pamphilus, est omnino alienum a veritate, meritoque reprehenditur a Photio Cod. 118. Enimvero Epiphanius in libro de Mensuris & Pond. num. 18. inquit, Origenem multos quidem cruciatus perpessum ad finem martyrii non pervenisse, & Caesaream Stratonis fuisse delatum, additque ad Galli & Volusiani, qui successerunt Decio, tempora pervenisse. Quod etiam Eusebius tradit lib. vii. Hist. Eccl. his verbis: *Decio simul cum liberis interfecto, Gallus in eius locum succedit: quo tempore Origenes septuagesimo aetatis anno ex hac vita migravit.* Hinc tria colligimus, unum veritati consonum, alterum probabilitate non carens, & postremum penitus falsum. Primum est, olim Origenem fuisse gloria confessionis percelebrem: secundum in confessione defecisse, ne subiiceretur turpissimae libidinis dedecori; tertium non esse inter Christi martyres connumerandum.

XI. *An Origenes possit Sanctus appellari, aut saltem aeterna eiusdem salus defendi queat.*

XI. Non martyrem tantum, sed nec inter Sanctos numerandum Origenem existimamus, atque de aeterna eius salute, de qua nonnulli nimia curiositate disseruere, Deo soli, superisque comperta nil definiendum esse arbitramur. Scimus inter Cottibium, & Dallaeum aliquando disceptatum, num Origenes *Sanctus* dici possit; quod neque ii probarunt, qui magnificentissime de illo locuti sunt Picus, Merlinus, Erasmus, Halloixius, Huetius. Ipse ergo Dallaeus Origenem immerito Sanctum dici adversus Cottibium demonstravit, tum quia Origenes anno 494. a Gelasio in Concilio Romano Schismaticus appellatus est, atque omnia fere ipsius Opera inter apocrypha sunt reiecta: tum quia anno 553. damnatus fuit ab Oecumenica Synodo Chalcedonensi; tum quia cum Romae Ioannes Picus Mirandulanus publicis thesibus propugnare salutem Origenis attentasset, ipsius assertum proscriptum fuit tanquam temerarium, haeresi proximum, & universalis Ecclesiae definitionibus oppositum, ut narrat idem Picus in sua Apologia cap. 7. Adde quae in Dissert. de Synodo V. demonstrat adversus Halloixium Cardinalis Norisius praesertim cap. 1. 2. 6. & 7. ubi profert & vindicat encyclicam Iustiniani Epistolam contra eumdem Origenem, damnatosque fuisse Evagrium, Didymum, Theodorum Cappadocem, aliosque Origenis defensores, commonstrat invictissimis monumentis. Futilia sunt autem, & supra quam dici possit insulsa, quae reponebat Cottibius. Aiebat interdum a Paulo Apostolo *Sanctos* appellari fideles omnes baptismate regeneratos, imo eo nomine a quibusdam appellatum fuisse Socratem philosophum

ob

ob egregiam eruditionem, & sapientiam: commendari ab Erasmo, aliisque ardentissimum in Origene desiderium Martyrii: eiusdem adhuc pueruli dormientis non semel matrem deosculatam fuisse pectus, illud Spiritus Sancti sacrarium templumque vocando; Gregorium Neocaesariensem, Basilium, Ioannem Chrysostomum, aliosque illius doctrinam extollere summis laudibus: denique saltem ob singularitatem doctrinae non esse Origenem *Sancti* nomenclatura prorsus indignum. Ad haec vero reponebat Dallaeus, *Sancti* vocabulum, dum alicui personae attribuitur, non id solum significare quod lege tutum, integrum, & inviolabile est, ut apud Latinos Grammaticos; sed juxta Ecclesiae consuetudinem iis competere, qui claruerunt virtutum omnium splendore; puerilem illam Origenis pietatem, & patiendi cupidinem non fuisse consummatione perfectam; neminem non mirari in Origene subactum ingenium, librorum copiam, pectusque adamantinum: hoc interdum exosculatum patrem eius Leonidam (fallitur Cottibius dum ait matrem) propter perspicacitatem ingenii, & quae in adolescentulo enitebat, morum suavitatem; & denique, si errorum absurditas nullam afferat personae maculam, *Sanctos* appellari debere Iansenium quoque, Sancyranum, ceterosque reprobatae doctrinae auctores. Facilius tamen Cottibio respondere poterat Dallaeus, Quintam nempe Synodum non tantum damnasse errores Origenis, verum etiam ipsius personam: idque postulasse Iustinianum Imperatorem, *ut cum erroribus suis auctor damnaretur*; haec enim est eiusdem Synodi sententia Can. XI. *Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarium, Origenem cum impiis eorum conscriptis, ... talis anathema sit.* Vide Nicephorum lib. XVII. cap. 27., Cassiodorum lib. I. Divin. Institut. Baronium ad Annum 400. 532. & 553. necnon Card. Norisium praecit. Dissert. cap. 6. Hinc sequitur, nedum sanctitatem eximiamque virtutem, sed nec salutem Origenis posse temere audacterque affirmari. Immo Ioannes Moschus in Prato Spirituali cap. 26. narrat cuidam Eremitae de Salute Origenis solicito visum hunc in Inferis inter haeresiarchas horrore tenebrarum, flammisque circumdatum. Quamquam si huiusmodi visionibus praestanda sit fides, Sanctae Mathildi a Deo revelatum legimus, nolle Deum ipsum cuipiam notam fieri Sampsonis, Salomonis, & Origenis sortem, ut huius mundi fortiores & doctiores timore simul, & solicitudine capessendae salutis vehementius exagitentur. Sed de salute Origenis Stephanus Binet S. I. anno 1629. prolixam dissertationem typis Parisiensibus evulgavit.

De genuinis, spuriisque scriptis Origenis, eiusque Bibliorum collectionibus.

XII. Iam vero ad Opera Origenis recensenda progrediamur oportet. Inter quae priorem tenent locum variae & multae in sacros utriusque Testamenti libros elucubrationes. Illae quotquot inveniri potuere, pluribus excussis Bibliothecis, cum notis, & ani-

animadversionibus collegit, illustravitque Daniel Huetius Cadomensis & Abrincensis Episcopus, edidítque Rotomagi an. 1668. Ex his Vsserius in Biblioth. Theol. MS. observat Homilias 16. in Leviticum ab impostore quodam in totidem libros distributas adscribi Cyrillo: libri pariter tres in priora capita Iobi, & Commentarii in Evangelium Marci, Origeni censentur suppositi. Praeter *Exegetica* illa plurima edidit Origenes, de *Resurrectione* libros duos, *Stromateon* decem, *Protrepticum*, idest, Exhortationem ad Martyrium in lucem cum adnotationibus missum a Vetstenio; Epistolas plusquam centum, inter quas commemorandae, una ad Iulium Africanum *de Historia Susannae*, altera ad Gregorium Thaumaturgum exhortatoria ad studium sacrarum Litterarum. Scripsit & lib. IV. περὶ ἀρχῶν, antequam discederet Alexandria scatentes erroribus, & a Rufino pessima fide interpolatos; unde alteram eorumdem librorum versionem adornavit S. Hieronymus, ut Latinae Ecclesiae detegeret prava Origenis dogmata, fraudemque Rufini. Conscripsit item libros VIII. *contra Celsum* Epicureum, qui libro inscripto Ἀληθὴς λόγος Christianam religionem fuerat aggressus: iidemque adversus Celsum libri non semel cum exquisitis adnotationibus Spenceri Cantabrigiae procusi sunt. Extat ad calcem horum librorum *Philocalia*, de quo vocabulo diximus in Diss. II. num. III. agentes de Beryllo, quem Origenes, ut ibidem diximus, habitis in Ecclesia disputationibus confutavit. Legite Eusebium lib. VI. Hist. Eccl. cap. 33. Praetermitto *Interpretationem* nominum Hebraicorum, librum *de Oratione*, & Commentarios *in Veteres Philosophos*, aliosque libros complures ab Origene elucubratos. De quibus praeter citatum Eusebium in sexto libro nuperrime laudato, Dupinius, Caveus, Fabricius, omnesque de re litteraria pertractantes, necnon qui in illis edendis operam contulerunt, Genebrardus praesertim, & P. De la Rue Monachi S. Benedicti, fusiori stilo disseruere. Consentiunt autem Critici fere omnes, Origeni abiudicandos esse praeter Commentarios in Marcum, & tres in Iobum libros, de quibus paulo supra, *Dialogum contra Marcionitas de recta fide in Deum; φιλοσοφούμενα, seu de sectis & dogmatibus philosophorum*, *Scholia in Orationem Dominicam*, *& in Cantica Beatae Mariae Virginis*, *Zacchariae*, *& Simeonis*, *Lamentum*, seu *Planctum Origenis*, & librum *de singularitate Clericorum*. Origenianis autem scriptis merito accenseri debent Interpretationes sacrarum Scripturarum ab illo collectae, quae vocantur *Tetrapla*, *Hexapla*, & *Octapla*, Opus in columnis recte dispositum, & inchoatum circa annum 218. aetatis suae 33. perfectum vero Tyri anno 245. aetatis suae 60. *Octapla* comprehendebant 1. textum Hebraicum Hebraicis characteribus, 2. eumdem textum characteribus Graecis expressum. 3. Versionem Aquilae. 4. Symmachi. 5. LXX. *Interpretum*,

6. Theo-

6. Theodotionis. 7. Versionem Anonymi Hierosolymitani adinventam Hierichunte in quodam dolio, imperante Antonino Caracalla. 8. repertam a quodam discipulo suo Nicopoli ad Actium sub Alexandro Mammaeae. In *Hexaplis*, sex priores, in *Tetraplis* quatuor intermediae Versiones continebantur. In maximo hoc Opere Origenes quidquid deerat in Hebraeo supplevit ex Theodotione, notatis additamentis asterisco; & quaecumque LXX. adiecerant praeter fidem Hebraici Codicis, praefixo obelo accurate distinxit. Legite Eusebium lib. VI. cap. 16. Fatentur omnes *Octapla* Origenis, si integra extarent, Polyglottis omnibus Complutensibus, Regiis, & Valtonianis praeferenda fore; maxime quod omnino nunc desiderentur Versiones Nicopolitana, & Hierichuntina. In colligendis *Hexaplorum* fragmentis, quoniam praeclarissimum utilissimumque illud Opus ante annos octingentos intercidit, insudavit primum Romae Flaminius Nobilius, tum Lugduni Batavorum Ioannes Drusius, postremo ceteris operosius Parisiis Bernardus de Montfaucon. Haec pauca de libris Origenis, quos Epihanius aliique tradunt, ad numerum *sex millium* adscendisse; Hieronymus autem inquit, *Quis nostrum tanta potest legere, quanta ille conscripsit?* Ex quibus colligitur, cur Origenes appellatus fuerit *Adamantius*, ut diximus num VIII. necnon χαλκέντερος, quasi *aereis indutus armis*, atque συντάκτης *compositor*.

XIII. *Manifesti Origeniani recensentur errores.*

XIII. In tanta, quam laudavimus, librorum copia errores permultos offenderunt Scriptores Veteres, permultos alios immerito adscribi Origeni contendunt eius Apologistae, illorumque errorum numerum auxere nonnulli recentiores. Arbitror errores istiusmodi posse tres in classes distribui: sunt enim aliqui patentes & obvii, alii excusabiles & dubii, reliqui nuperrime afficti. Inter manifestos errores Origenis, me quidem iudice, hi comprehenduntur. Principio asseruit animas hominum ante corpora fuisse creatas, intrusas autem in corpus, quasi in carcerem & ergastulum, ut superioris vitae scelerum poenas luerent; de quo errore Origenes reprehenditur ab Epiphanio Haer. 64. a Hieronymo in Apologia contra Rufinum, & a Iustiniano in Tractatu in Sinodo V. lecto & approbato. Cohaerenter docuit, Christi animam praeextitisse Incarnationi, ut testantur citato in loco Hieronymus, & Iustinianus: atque Origeniana haec haeresis expresse legitur lib. II. περὶ ἀρχῶν, lib. I. contra Celsum, & Tom. I. in Ioannem pag. 35. editionis Huetianae. Asseruit tertio, quasi illatione quadam, non dari originale peccatum ex Adae propagatione contractum, repetens mortem, aliaque huius vitae supplicia a meritis vitae anteactae priusquam anima devolveretur ad corpus; idque Origenes adstruit initio lib. III. Periarchon, & lib. II. cap. 9. Sublataque Originali labe, ait ibidem, Angelos, animosque diversa officia ex

fuis quemque meritis promeruisse, & posse vivere absque omni prorsus peccato: quare S. Hieronymus in Epistola ad Ctesiphontem, in Dialogis contra Pelagianos, & in Proemio libri IV. Commentariorum in Ieremiam, appellat Origenem Principem & Amasium Pelagianorum, & propugnatorem ἀπαθείας, καὶ ἀναμαρτησίας Pythagorae & Zenonis, idest, *impassibilitatis & impeccantiae*. Ex illa animorum praeexistentia consequitur quartus error Origenis, quo asseruit mundum hunc adspectabilem & corporeum occasionaliter duntaxat, & veluti secundaria intentione a Deo fuisse productum, ut nempe substantias ratione praeditas, quae ante orbem conditum deliquerant, corporalibus vinculis constringeret puniendas; idque traditum ab Origene testantur Theophilus Alexandrinus Epistola I. Paschali, Hieronymus Epist. ad Avitum, & Augustinus in libro contra Priscillianistas cap. 8. Forte ex eodem fonte manavit error Origenis quintus, scilicet in astris quoque alligatos esse spiritales animos, qui mereri & peccare queant, ideoque iudicatum iri, & consequi coelestem gloriam: de quo Origenis errore praeter Theophilum, Hieronymum, & Augustinum in locis nuper citatis, agunt Iustinianus in saepe laudato Tractatu, & Orosius in suo Commonitorio. Revera hoc docuit Origenes lib. I. Periarchon cap. 7. & lib. V. contra Celsum. Ex eadem animarum revolutione, quam proculdubio Origenes hauserat ex Platonica Philosophia, nequaquam dubito fluxisse Origenianum errorem sextum de perpetuo circuitu, successione, & renovatione universi; cuius erroris non tantum a praelaudatis Patribus, sed etiam a Methodio apud Photium Cod. 235. Adamantius insimulatur. Manavit hinc proculdubio error Origenis septimus, quo lib. II. περὶ ἀρχ. effutiit, humana corpora, postquam varias formas subierint, resurrectura tandem mundi consummatione figurae sphericae, & coelestibus corporibus congruae. Huius rei causa denegatam ab Origene resurrectionem carnis Epiphanius Haer. 64. Methodius in libro de Resurrectione apud Photium Cod. 234. idemque Pamphilus Martyr in Apologia, atque Hieronymus in Epistola ad Pammachium evidenter testantur. Etsi enim videatur docere corpora resurrectura, non tamen pristinam in his agnovit naturam carnis, sed in substantiam aliam coelestem & quasi spiritalem credidit transitura. Repetendum puto ex eodem spirituum animorumque circulo, quod octavo loco docuit, omnes homines, etiam iustos, per ignem purgandos, malos vero in infernum detrudendos, ubi tamen horum cruciatus perpetui non sint futuri; quam Origenianam haeresim Hieronymus praecitata ad Pammachium Epistola, Epiphanius Epistola ad Ioannem Hierosolymitanum, Rufinus in prima adversus Hieronymum Invectiva, & Augustinus in libro de Civit. Dei XXI. & in libro ad Orosium contra Priscillianistas refellunt atque infe-

infectantur. His cohaeret dogma proscriptum in V. Synodo cap. 7. Dominum Christum in futuro Saeculo crucifixum iri pro daemonibus, quemadmodum pro hominibus: quod affirmasse Origenem scribunt Hieronymus in Epist. ad Avitum cap. 4. Orosius ad Augustinum, necnon Nicephorus Callistus lib. XVII. Hist. cap. 27. Quemadmodum vero omnes hi, & consimiles errores ex eodem fere principio derivant; ita ex quo Origenes nimium ad allegoricum Scripturarum Sanctarum sensum, spreto litterali, mentem suam applicuerit, quaedam alia absurda dogmata tradidit; inter quae poterit num. 9. recenseri quod lib. IV. de Principiis cap. 2. Hom. 1. in Genesim, & lib. IV. contra Celsum ait, Mosaicam de Paradiso Terrestri narrationem non esse iuxta litteram accipiendam, sed paradisum illum in coelis fuisse situm, arbores nil esse aliud, quam potestates angelicas, tunicas vero pelliceas, quibus Deus hominem induit, terrenum & mortale corpus spiritualis animae receptaculum. Haesit iisdem vestigiis docens in Cap. 66. Isaiae ignem, quo daemones, & damnatorum animae in inferis cruciantur, non esse corporeum, ac pariter commemoratum a Propheta vermem non esse aliud, praeter *συντηρήσιν*, stimulosque conscientiae: quod, licet communi Theologorum sensu, quod spectat ad ignem, reprobetur; non ausim tamen inter haereses computare, quoniam Hieronymus in Isaiam recitata illa Origenis opinione nulla censura eam perstringit; nec aliter se gerit lib. XXI. de Civit. Dei cap. 21. Augustinus: propugnavitque idem assertum Ambrosius Catharinus haud obscuri nominis Theologus. Hi sunt illi errores Origenis, in quibus paucos Apologistas invenit; in iis enim, quos proximo numero commemorabimus, celeberrimos nactus est defensores. Ceterum ab iis, saltem omnibus, velle Origeniana scripta purgare, temeritatis potius videtur, quam praestantis ingenii facinus. Quis enim ignorat damnatum fuisse Origenem a Demetrio Alexandrino, & de huiusmodi damnatione Theophilo pluribus epistolis gratulatum fuisse Hieronymum. Damnatum insuper ab Epiphanio in Synodo Cypria, a Gelasio in Romana, a Vigilio in quinta Oecumenica, ut diximus supra num. XXI. At adite Natalem Alexandrum Diss. XVI. in Hist. Eccl. III. Saeculi, Norisium de V. Synodo cap. 6. & Christianum Lupum in Scholiis ad eiusdem Synodi capitula: quorum postremum his verbis absolvitur, *Anathema Origeni, qui & Adamantius, qui haec exposuit, una cum nefaria, atque execrabili, scelestaque eius doctrina, & cuivis, qui ea sentiat aut defendat, aut ullo modo prorsus quocunque tempore tueri praesumat*. Nam ad alios Origenis errores, qui a plurimis excusantur, nos convertimus enarrationem.

XIV. *Alii Origenis errores, quos nonnulli ab ipso removere nituntur.*

XIV. Ad Origenis itaque errata excusanda veteres & recentiores eius Apologistae praemittere solent praeiudicia illa, quae

ado-

adolescens hausit e Schola Platonica, quae non adeo facile poterat grandaeva etate discutere; fervidum ipsius ingenium, cui in deliciis erat allegorica sacrorum librorum interpretatio, nimiam eius in scribendo festinationem, plura haesitando, non definiendo, prolata, permulta privatim ad amicos conscripta, & ab iis inconsiderate in lucem producta, quaedam suo tempore nondum ab Ecclesia definita, & quod caput est, ipsius libros foede ab haereticis adulteratos atque corruptos, ut Rufinus nititur demonstrare adversus Hieronymum. Quae omnia levia videri possunt, siquidem libri Origenis tam ab haereticis depravari, quam ab eius amicis emendari & corrigi potuerunt, praesertim cum nec ipse Rufinus dissimulet in Versione librorum περὶ ἀρχ multa a se omissa, multaque in melius commutata fuisse: adolescentiae autem praeiudicia, ingenii vehementia, praeceps folicitudo, & alia, quae commemorata sunt, errasse potius, quam non errasse Origenem probo cuique suadent. At iam de erroribus secundi generis dicamus nonnulla. Principio Dupinius in Nova Bibliotheca inquit, Origenem recte quidem sensisse de Dei natura, eiusque attributis: a Iustiniano tamen in Epistola ad Mennam produci verba ex libro secundo de Principiis exscripta, quibus ait, potentiam Dei esse finitam: eiusdem erroris Origenem insimulari etiam a Rufino; affirmasse quoque materiam, ex qua Deus mundum condidit, extitisse ab aeterno. Et quidem in V. Synodo cap. 8. damnatus Origenes fuit, quod assereret *finitam esse Dei potestatem, ac tanta fecisse, quanta manu comprehendere, & providentia sua continere poterat*: quod non est de Dei attributis, eiusque creatione recte sapere. Secundo Gennadius lib. de Dogmatibus Eccles. cap. 2. ait, Origenem cum Marcione dogmatizasse, Carnem Christi esse e coelo delapsam: quod, una cum haeresi de corpore Christi phantastico (quae potius est haeresis Marcionitarum) excutit, & ab Origene amovet Huetius lib. II. Origenianorum, pluribus locis demonstrans, Christum assumpsisse, in sententia quoque Origenis, corpus nostro corpori simile, & vere fuisse natum ex Virgine, vere crucifixum & mortuum, vere e sepulcro resurrexisse. Tertio circa Sanctissimae Trinitatis dogma quid Origenes senserit acerrime disputatur. Videtur praelusisse Arianis, idque certocertius affirmant Hieronymus in Epistolis ad Avitum, ad Pammachium, & ad Oceanum, necnon libro II. Apologiae adversus Rufinum, Epiphanius item, & Augustinus de Haer. Iustinianus, Theophilus, & V. Synodus cap. 4. Legi potest Petavius in libro 1. de Trinitate cap. 4. & 14. Scite monet vir doctissimus priori in loco, nunc in libris Origenis non comparere illa absurda, quae Veteres ei obiecerunt: at Rufinum ad invidiam illius minuendam sustulisse complures eius e scriptis errores, temere & flagitiose; ideoque ex antiquorum potius testimonio, quam

ex

ex illius monimentis, vel assutis a Rufino laciniis aestimari debere quid Origenes senserit de SS. Trinitatis mysterio. Quarto reprehenditur Origenis sententia circa naturam Angelorum, quos corporeos utique esse credidit, sed praeditos tamen anima spirituali, addens bonis Angelis corpus subtilius, malis vero crassius inesse; quod utique consectarium est doctrinae Platonicae, derivatque e semel statuto principio, quod substantiae spirituales extra corpus productae, pro diversa meritorum qualitate, diversa corpora teneantur subire. Hoc Origenianae doctrinae caput in 1. libro Periarchon, & Tom. 13. & 15. in Matthaeum perspicue traditur: atque illud consectarium esse Platonicae Philosophiae animadvertit Augustinus in lib. VIII. de Civit. Dei cap. 16. Quoniam tamen placitum de subtili quodam, & aereo Angelorum corpore probatum fuit permultis veterum Patrum; non adeo inofficiosi & rigidi sumus, ut hoc quoque dogma in eo praecise, quod Angelis affixit corpora, redarguamus, praesertim cum in libro VI. contra Celsum docuerit daemones carere corpore, nec posse malorum Angelorum substantiam in ignem resolvi. Legite Petavium lib. 1. de Ang. cap. 2.

XV. *Errores reliqui Origeni nuper affícti, seu potius errorum praecedentium absurdae consecutiones.*

XV. Non Veteres tantum, sed & Iuniores quidam Origenis errores colligere, immo illos amplificare studuerunt. Cum auctor Opusculi, cui titulus *Ianua coelorum reserata*, Carus Larebonius, seu Iurieu, scripsisset opinionem Socinianorum, autumantium animas reproborum vi poenarum quibus plectuntur post mortem, in nihilum tandem redigi, non differre ab impietate Epicureorum, qui aiunt animam simul perire cum corpore; Elias Saurin in Examine Theologiae M. Iurieu contendit e Systemate Origeniano de aliquando finiendis proborum suppliciis peiora, quam e sententia Socini, derivare consectaria, & inde inferri omnium Libertinorum iniquissimam persuasionem, quod ad coelestem patriam quaelibet secti perducat; quum in sententia Origenis sperare debeat scelestissimus quisque ad Sanctorum felicitatem post aliquam purgationem pertingere. Verum in qualibet praedictarum opinionum maxima invenitur absurditas. Nam Origenistae ferendam in reprobos sententiam aeternorum suppliciorum eludunt, Platonicisque commentis postponunt Evangelicam veritatem; Sociniani eiusdem dogmatis perversitati addunt animae damnatorum futurum interitum; huic autem Epicurei adiiciunt corpoream animi substantiam suamet conditione perituram ac dissolvendam. Petrus Bayle in *Dictionario* Verbo *Origenes* demonstrare nititur, ex dogmate Origenis de revolutione & purgatione animorum consequi, admittendum esse principium omnium malorum cum principio boni decertans, sive haeresim Manichaeorum. Ait enim in Systemate Origenis non posse Deum perducere homines & angelos ad sempiternam felicitatem, nisi per huius, alteriusque Vitae supplicia purgentur a materia

illa

illa elementari, cum qua ob unionem ad corpus permixti sunt. Id tamen asserere non est Manichaeis consentire, siquidem nec opus principii mali sunt corpora, quibus animus alligatur; nec in sententia Origenis spirituales substantiae includuntur corporeae materiae carceribus invito Deo auctore bonorum, sed ipsius Dei iustitia, & voluntate liberrima id postulantibus. Sunt nonnulli, qui in Origenianis dogmatibus conspersa deprehendunt semina Spinosismi, propterea quod lib. III. περὶ ἀρχ. cap. ult. explicans ea verba, *Et erit Deus omnia in omnibus*, concludere videatur Deum, Angelos, hominesque unius esse substantiae, divinitatem quodammodo secans, & naturam omnipotentis Dei universis rebus elargiens. Videatur Hieronymus in 2. Apologia, & in Epistola ad Avitum. Ulterius *Doucin* in *Historia Origenismi* ab huius principiis repetit *Quietismi*, sive erroris Molinosii absurditatem & turpitudinem. Et revera quidam Origenistae contemplationi studiisque dediti apud Epiphanium Haer. 63. & 64. docuerunt, motus pugnasque carnis, & quidquid sensus agunt, non posse mentis puritatem labefactare, eo quod ipsa caro non sit in Origenis sententia pars hominum substantialis, sed carcer, domusque poenalis, in quam detrusus spiritus ut cum Deo tandem regnet, & gratia Christi sanctificatus, non polluitur rerum corporalium commercio, sed ergastulo illo detentus purgat tantum superioris vitae flagitia. Videtur haec fuisse Evagrii Origenistae turpis & flagitiosa sententia: atque ab ea fluit quoque inamissibilis gratia, & semel acceptae iustificationis perpetua possessio, quam una cum sordibus & inquinamentis huius vitae propugnant cum Ioanne Calvino, ac Theodoro Beza ceteri heterodoxi, tametsi hi, & Origenistae principiis longe diversis ad haec promenda consectaria procedant. Dixi de Origene plura nimis: dicam modo compressiori stilo de Scriptoribus reliquis.

XVI. *De Firmiliano Episcopo Caesareae.*

XVI. Cum Origene amicitia & familiaritate coniunctum fuisse Firmilianum Caesareae in Cappadocia Episcopum, & una simul saeviente Maximini persecutione diversatos apud Iulianam praedivitem piamque matronam diximus supra num. VIII. Hinc aetas, qua Firmilianus floruit, dignoscitur. De Conciliis ab eo celebratis in causa Rebaptizantium, dictum est in Diss. II. num. 3. Num ea de causa excommunicatus fuerit a Stephano Romano Pontifice disputatum est alibi; idest lib. XXXI. Theol. Disciplin. cap. 13. Adhaesimus negativae sententiae, quoniam S. Dionysius Alexandrinus officiosissimis litteris apud eumdem Pontificem egit, ne Orientales a communione segregaret. Legatur Eusebius lib. VII. Hist. Eccl. cap. 5. Cum autem Stephanus Apostolicam traditionem propugnaret, quemadmodum ostendimus in Diss. I. num. 15. & in Diss. II. num. 4. videtur Firmilianus modum excessisse, dum in sua ad Cyprianum Epistola, Sanctissimum Pontificem inhumanitatis & audaciae redarguit, atque acer-

acerbiori stilo perstringit. Praeter hanc Epistolam nullum aliud Firmiliani scriptum asservatum est, licet libros ab illo aliquos fuisse editos testetur S. Basilius de Sp. S. cap. 29. Praelaudatus Eusebius lib. vii. cap. 30. profert Epistolam secundae Synodi Antiochenae contra Paulum Samosatensem celebratae anno 270. Ex qua Epistola colligitur, Firmilianum bis Antiochiam fuisse profectum, & dogma a Paulo invectum damnasse; dum vero ad commemoratam alteram Synodum, ad quam fuerat specialibus litteris invitatus, progrederetur, Tarsi ex hac vita migrasse. Hinc habemus annum eius emortualem.

XVII. *De Sancto Dionysio Alexandrino, eiusque Scriptis.*

XVII. Decesserat paullo antea S. Dionysius Alexandrinus, quem Eusebius initio lib. vii. Hist. Eccl. & S. Basilius in Epistola Canonica ad Amphilochium τὸν μέγαν Διονύσιον appellant. Fuerat is auditor Origenis in urbe Alexandria, ubi defuncto Demetrio, atque ad illius Ecclesiae ministerium promoto Heracla, Scholam ad cives in fide instituendos obtinuit. Id contigit circa annum 232. In locum Heraclae, qui diem extremum obiit post sexdecim annos Episcopatus, Dionysius regimen Alexandrinae Ecclesiae suscepit *anno tertio Philippi*, ut inquit Eusebius lib. vi. cap. 35. idest anno Christi 247. Initio Decianae persecutionis, cum Dionysium quatriduo domi manentem miles Frumentarius missus a Sabino praefecto eum invenire non potuisset, discedentem post diem quartum ex urbe milites comprehenderunt, duxeruntque Taposirim, exiguum Aegypti oppidum Osiridis templo conspicuum. Narrat id ipsemet Dionysius in Epistola adversus Germanum apud Eusebium citato lib. vi. cap. 40. Decessit autem *duodecimo anno Gallieni*, cum Episcopatum Alexandrinum tenuisset annos septemdecim, inquit idem Eusebius lib. vii. cap. 28. nimirum anno 265. Inter Sanctos colitur, a Graecis quidem v. Nonas Octobris, a Latinis 15. Kal. Decembris: eique Alexandriae erectum templum tradit in Panario Haer. 69. S. Epiphanius. Dionysii scripta, quorum perpauca nunc extant, connumerat in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum Hieronymus. Laudantur ibidem Epistolae ad Flavianum Antiochenum, ad Heraclam, ad Damonem, ad Canonem. At ex vetustis Codicibus, ex Eusebio, atque ex Sophronio legendum esse Fabium, Hieracem, Ammonem, & Cononem, Erasmus, aliique docti viri observarunt. Extat Dionysii Epistola ad Novatianum, cuius Hieronymus eo loci posuit exordium, apud laudatum Sophronium, necnon apud Eusebium lib. vi. cap. 45. Redarguit haec Epistola conflatum ab ipso Novatiano Schisma, de quo Dionysium etiam ad Novatum scripsisse infert ex Rufino Valesius. In priori Volumine Conciliorum Graec. Latin. habetur Dionysii Epistola ad Paulum Samosatenum. Altera eiusdem Dionysii Epistola ad Basilidem Episcopum Pentapolitanum legitur una cum Commentariis Balsamonis Tom. II. Synodici Magni editi a Beveregio. Ad Romanos

Pontifices has litteras dedit Dionysius; ad Cornelium de praedicto Novatiani schismate, cuius Epistolae fragmentum exhibet lib. VI. cap. 46. Eusebius: ad Stephanum I. de Baptismo Haereticorum, de quo argumento Dionysium etiam scripsisse ad Philemonem, & Dionysium alterum, Rom. Eccl. Presbyteros, colligitur ex citato Eusebio lib. VII. cap. 5. & 7. ad Sixtum item Pontificem de eadem re, scilicet de Baptismo ab Haereticis collato: ad Dionysium Romanum Pontificem de haeresi Sabelliana Epistolas quatuor, quarum fragmenta producunt S. Athanasius in Epistola de Sententia Dionysii, & in libro de Synodo Ariminensi, S. Basilius de Sp. S. cap. ult. & Eusebius lib. VII. de Praep. Evangelica cap. 19. Epistolae illae quatuor apologeticae sunt, iisque Dionysius Alexandrinus suam circa divinarum Personarum orthodoxiam vindicat, eo quod apud Dionysium Romanum, eiusque Synodum delatus fuerat, quod refellens in Epistola ad Ammonem & Euphranorem haeresim Sabellianam in errorem oppositum declinasset, atque Arianis & Macedonianis praelusisset. Fragmenta harum ad Romanos Pontifices Epistolarum sollerter ex Eusebio collegit, notisque illustravit Petrus Coustant Monachus S. Mauri. Praeter istas, aliasque Epistolas plurimas scripsit Dionysius ad Fratres per Aegyptum constitutos de Poenitentia, suam de lapsis sententiam exponens, & criminum gradus distinguens, librum itidem de Poenitentia ad praelaudatum Cononem Hermopolitanae Ecclesiae Episcopum, ad Armenios similiter de Poenitentia, & libellum de Martyrio ad Origenem: quae Opera commemorat Eusebius lib. VI. Hist. Eccl. cap. 46. Caveus arbitratur, Dionysium scripsisse etiam de terrestri Paradiso adversus Origenis sententiam, de qua supra num. XIII. atque id infert ex Anastasio Synaita quaest. 23. in qua profertur huius Dionysiani Operis fragmentum. *De hoc tamen Opere*, inquit, *silent Eusebius & Hieronymus*. Atque haec sunt Magni Dionysii scripta praecipua.

XVIII. *Quid senserit S. Dionysius de libro Apocalypsis, & de baptismate haereticorum.*

XVIII. In praelaudatis Dionysii scriptis animadversione aliqua indiget Opus de Promissionibus, in quo refellens errorem Millenariorum renovatum a Nepote Episcopo Aegypti, de quo egimus Dis. III. num. XIII. prolixe agit de libro Apocalypsi, cuius auctoritate Nepos abutebatur. Ait enim Dionysius apud Eusebium lib. VII. cap. 25. existimasse nonnullos Veterum, ipsum Apocalypseos librum absque ullo sensu & ratiocinatione scriptum esse, neque Apocalypsim, idest Revelationem, recte dici, quum opaco ignorantiae velo sit obductus, non Apostolorum aliquem, immo nec virum Ecclesiasticum, sed Cerinthum fuisse eiusdem libri auctorem, qui ad fidem commentis suis conciliandam, Operi suo Ioannis nomen indiderit, ideoque a quibusdam eorum, qui praecesserunt, repudiari penitus, ac refutari. Verum ipse Dionysius Apocalypsim non reiicit; immo, *Ego vero*, inquit, *librum illum reiicere omnino non ausim, praesertim cum*

multi

multi ex fratribus eum magni faciant ; & paucis interiectis, *Non meo ipsius iudicio metior, atque aestimo ; sed plus fidei tribuens sublimiora esse censeo, quam ut a me percipiantur. Nec ea condemno quae intelligere non potui ; verum inde admiror magis quod capere non possum.* Ait tamen Dionysius haud facile a se concessum iri, librum illum esse Ioannis Apostoli & Evangelistae, tum quia idem Evangelista nullibi nomen suum adscribit, nec semetipsum aut in Evangelio, aut in Epistolis praedicat; tum quia Evangelista ubique solet praeludia praemittere adversus eos, qui negant Christum in carne venisse: tum demum quia Apocalypsis, secus ac alia Ioannis Evangelistae scripta, dictionem habet non admodum Graecam, & barbarismis, atque interdum soloecismis inquinatam. Haec Dionysius. Verumtamen aliud est de alicuius libri auctoritate, aliud de illius Scriptore ab aliis dissentiri. Ioanni Evangelistae & Apostolo Apocalypsim adscripsere Iustinus contra Tryphonem, Irenaeus lib. IV. & V. adv. Haer. Tertullianus in 4. contra Marcionem, aliique antiquiores Dionysio. Haec de priori quaestione. In altera de haereticorum baptismo Dionysium fuisse propensiorem in sententiam Cypriani, quam Stephani, sentit in Saeculo Novatiano Wilelmus Caveus. At ex Epistolis Dionysii ad Stephanum, & ad Sistum II. Romanos Pontifices, id unum eruitur, egisse Dionysium cum praelaudato Stephano, ne Firmilianum, Helenum, sociosque Rebaptizantes a communione sua segregaret, quod cunctae per Orientem Ecclesiae paullo antea ob schisma Novatianum discissae, ad concordiam, fraternamque caritatem rediissent. Addit in maximis Episcoporum Conciliis, Iconii videlicet ac Synnadae, decretum fuisse ut venientes ab haeresi primum doctrina instituerentur Catholica, deinde a veteris & impuri fermenti sordibus per baptismum purgarentur. Atque haec sunt quae demonstrare videntur illam Dionysii in sententiam Cypriani propensionem. Sed oppositum eruitur ex Dionysii Epistola ad Philemonem apud Eusebium lib. VII. cap. 7. atque ex Epistola ad Sistum eod. lib. & cap. In priori enim ait, se ab Heracla hanc regulam accepisse, venientes ab haereticis post multas preces fideique confessionem ad communionem recipiendos esse, neque opus esse iterato baptismate. Altera autem Epistola Dionysius narrat, quomodo accedenti ad se cuidam fideli, qui apud Haereticos fuerat initiatus, atque oranti ut purissimo Catholicorum lavacro, verissimaque adoptione & gratia donaretur, non ausus fuit iterum Baptisma conferre, sed ei dixisse, *αὐτάρκη τὴν πολυχρόνιον αὐτῷ κοινωνίαν εἰς τοῦτο γεγονέναι, diuturnam illi communionem ad id sufficere.* Igitur Dionysius non in sententiam Cypriani propensus fuit, sed Stephani Romani Pontificis definitioni adhaesit, eamque tum scripto, cum facto comprobavit.

XX. *Vindicatur S. Dionysii fides circa SS. Trinitatis Mysterium.*

XX. Gravior est quaestio de S. Dionysii doctrina circa SS. Trinitatis mysterium. Nam cum Dionysius accepisset exortam apud Ptolemaidem urbem Pentapolis haeresim Sabellianam, atque ad hanc refellendam scripsisset plures Epistolas, inter quas una data fuit ad Ammonem Episcopum Berenicensem, altera ad Euphranorem (quem pariter in Pentapoli Episcopum fuisse puto,) Pentapolitani Romam adeuntes illum apud cognominem Dionysium Romanum Episcopum accusarunt, quod affirmasset, Filium Dei esse creaturam, alienum a Patre secundum substantiam, cumque res sit facta, illum non fuisse priusquam fieret: Dionysium vero, Romanamque Synodum ab eo congregatam rem indigne tulisse, litterisque omnium manu firmatis ab illo, ut fidei suae rationem redderet petiisse. Haec tradit S. Athanasius in libro *de Sententia Dionysii* num 13. & *de Synodis* num. 43. Non Pentapolitani tantum, sed etiam S. Basilius Epistola 41. & Gennadius in lib. de Eccl. Dogmatibus cap. 4. scripserunt praeformatam fuisse a Dionysio haeresim Arianorum. Verum orta fuit haec suspicio ex quo Dionysius Sabellianos oppugnatus *τρεῖς ὑποστάσεις* in Deo praedicasset, nomenque *ὑποστάσεως* usurparetur a nonnullis Graecorum pro *οὐσίᾳ*: unde factum est, ut ab iis Dionysius crederetur adstruere in Deo *τῆς οὐσίας* pluralitatem ac distinctionem. Quare ad purgandum Dionysium duo plurimum faciunt; unum quod nomen *ὑποστάσεως* accepit pro persona, non pro substantia, alterum quod in tribus personis eamdem agnovit *οὐσίαν* atque substantiam. Primum inde constat quod Dionysius egerit in laudatis Epistolis adversus Sabellianos, quorum haeresis Patrem Filiumque in eamdem personam confundebat; ideoque tres personas *τρεῖς ὑποστάσεις* appellavit. Deinde in Ecclesia saltem Alexandrina vocabulum *ὑποστάσεως* ad personam significandam antiquis temporibus usurpabatur; quod nonnulli demonstrant ex Origene Tract. II. in Ioannem, & lib. VIII. contra Celsum, ubi tres personas vocat *τρεῖς ὑποστάσεις*; quo sensu Dionysius in Epistola ad Romanum Pontificem asseruit in Deo *τρεῖς εἶναι τὰς ὑποστάσεις*. Vlterius Dionysius Alexandrinus hypostasim pro persona subsistente usurpavit, dum ad prop. 4. Pauli Samosateni inquit, *Αἱ δύο ὑποστάσεις ἀχώριστοι, καὶ τὸ ἐνυπόστατον τοῦ πατρὸς πνεῦμα, ὃ ἦν ἐν τῷ υἱῷ; Duae hypostases* (Patris, & Filii) *inseparabiles sunt, & subsistens Patris Spiritus, qui erat in Filio*. Recte autem Dionysium sensisse de Verbi divinitate ostenditur ab Athanasio, qui ex Dionysii scriptis has sententias producit, *αὐτὸς ἀΐδιός ἐστιν*, *Ipse* Filius *aeternus est*: *ἄναρχος καὶ ἀειγενὴς*, *sine initio existens & semper genitus*: *εἰσὶν ἄμφω, καὶ εἰσὶν ἀεὶ*, *Ambo (Pater & Filius) sunt, & semper sunt*: *ἐστὶν ἑκάτερος ἐν ἑκατέρῳ, ἕτερος ὢν θατέρῳ*, *Vterque in utroque est, tametsi alius ab altero*: *εἰς τὴν τριάδα τὴν μονάδα*

νάδα πλατύνομεν ἀδιαίρετον, *Vnitatem indivisibilem in Trinitatem dilatamus*; *ὡς γὰρ ἐ ποίημα φρονῶ τὸν Λόγον, καὶ ἐ ποιητὴν, ἀλλὰ πατέρα, τὸν Θεὸν αὐτοῦ λέγω*, *Sicut Verbum rem factam esse non sentio, ita nec Deum factorem, sed patrem, eius dico*: *Θειοτάτη μετὰ τὴν μονάδα καὶ ἡ τριάς*, *Vna cum unitate est divinissima Trias*. Ambigua itaque ὑποςάσεως significatio (quidam enim pro natura, quidam pro subsistentia dictionem hanc acceperunt) Sanctum Dionysium in haereseos suspicionem adduxit, adeo, ut Sabellianos perstringens aliquibus visus sit Arianis arma subministrasse, eique contigit, quod Gregorio Thaumaturgo, qui adversus Gentiles demonstrans unum esse Deum, quibusdam visus est unam tantum constituere in Divinitate personam, sicque parare Sabellio venenum, & quod postea contigit Augustino, qui pro gratia Christi decertans contra Pelagianos visus est nonnullis inducere necessitatem liberi arbitrii, atque ad Manichaeismum deflectere. At legite Baronium in Notis ad Mart. Rom. die 17. Novembris, & praesertim S. Athanasium in libro paullo supra citato *de Sent. Dionysii*, unde perpauca ista deprompsimus.

XXI. Nunc de Cypriano dicendum est, quem & Thascium appellatum novimus ex eius Epistola 69. ad Florentium Pupianum, & ex sententia Galerii Maximi Proconsulis in eum lata. Adsciverat quoque sibi Caecilii nomen, ut gratum sui animum erga Caecilium Presbyterum, a quo ad fidem Christi conversus fuerat, testaretur. Distinguendus est a Cypriano Antiocheno, qui ante conversionem magicis artibus fuerat deditus, & de quo agit oratione 18. Nazianzenus. Contigit Cypriani baptismus circa annum 244. nam Pontius in eius Vita ait, *adhuc Neophytum* ad officium Sacerdotii, & Episcopatus gradum fuisse electum. Ordinatus fuit autem Carthaginensis Episcopus ineunte anno 249. siquidem ex illius Epistola 24. constat hoc anno circa festum Paschatis functum fuisse munere Episcopali. Anno proximo 250. in iudicium vocavit Novatum Presbyterum, qui uxoris, quam nondum sacris ordinibus initiatus duxerat, uterum calce percussit, & ad abigendum fetum hoc scelere impulit. In persecutione Decii proscriptionis gloriam consecutus, & ad leonem in circo flagitatus latebras petiit, ne Gentilium furor in plebem suam exardesceret, atque a Deo singulari modo admonitus ut discederet. Corpore tamen dissitus, animo & solicitudine omnibus rebus interfuit, nulla parte Pastoris & Episcopi praetermissa. Plura in secessu conscripsit tum ad Clerum Romanum, cum ad alios, ut opportuna circa Lapsos servaretur disciplina, nec suborto schismate Felicissimi vinculum pacis inter Africanos Christifideles discinderetur. Sopita persecutione Decii Carthaginem rediens, quod in causa Lapsorum deliberandum foret in Synodo cum aliis Afri.

XXI. *Gloriosissimi Martyris Cypriani Vita, & Passio describitur.*

Africae Episcopis decrevit, edito antea de hac re libro *de Lapsis*: tum exorto Novatiano schismate pro Cornelii causa strenue pugnavit; Privatum veterem haereticum in Concilio LXVI. Episcoporum damnavit; atque grassante anno 252. horrenda lue, eximiae caritatis, quam etiam Ethnici admirati sunt, exercuit officia. Per idem temporis, Gallo & Volusiano imperantibus, Religionem Christianam adversus Demetrianum erudito Opere vindicavit. Habuit circa annum 254. cum Stephano Romano Pontifice de baptismo haereticorum gravissimas, quas alibi enarravimus, controversias, harumque causa coegit Synodos in secunda Dissertatione descriptas. Post multa tandem sanctissime & praeclarissime gesta iussu Proconsulis comprehensus in hortis suis martyrium passus est die XVIII. Kalendarum Octobrium sub Valeriano & Gallieno Impp. anno 258. Servantur adhuc Acta Proconsularia, ex quibus constat, S. Cyprianum ab Aspasio Paterno Proconsule relegatum fuisse III. Kal. Sept. *Imperatore Valeriano IV. & Gallieno III. Coss.* idest, anno 257. proximo autem anno *Coss. Tusco & Basso*, Galerium Maximum successorem Paterni praedicta die XVIII. Kal. Octobris in Cyprianum e Civitate Curubis (Calibiam quoque dicunt) revocatum, hoc mortis decretum ex tabula recitasse, *Thascium Cyprianum gladio animadverti placet*. Qua sententia prolata, gloriosus Christi martyr in agrum Sexti perductus, ubi se *lacerna byrro* expoliavit, iussitque speculatori, qui caput amputavit, vigintiquinque aureos donari. Eius corpus cum cereis sublatum ad areas Macrobii Candidiani cum voto & triumpho magno deductum fuit. Vides, opinor, Christianae sepulturae vetustos ritus. Coemeteria appellata fuisse *Areas*, & *Arenarias*, demonstrat Baronius in Notis ad Martyr. Rom. III. Nonas Ianuarii, ubi de Coemeterio Callisti. At quod idem Baronius ad annum 261. num. 41. ait *lacerna* & *byrro*, sive *lacerno byrro*, significari hodiernas vestes Episcoporum, passim reiicitur. Etenim byrrum coloris nomen est, & idem sonat, ac *Rufum*, a Graeco πυῤῥὸν. Pontius Cypriani Diaconus, & qui eius Vitam & passionem litteris consignavit, animadvertit num. 19. nullum ex Carthaginensibus ante Cyprianum fuisse coronatum martyrio: *Ex quo*, inquit, *Carthagini Episcopatus ordo numeratur, nunquam aliquis, quamvis ex bonis & Sacerdotibus, ad passionem venisse memoratur. Licet semper Deo mancipata devotio dicatis hominibus pro martyrio deputatur. Cyprianus tamen etiam ad perfectam coronam, Domino consummante, profecit*.

XXII. *S. Cypriani Opera recensentur.*

XXII. Opera autem a S. Cypriano conscripta sunt quae sequuntur. Edidit initio conversionis suae librum *de Idolorum Vanitate*, refertum copia sententiarum, verborumque splendore, atque, ut Pontii utamur phrasi, emolumentum quoddam Gratiae per Fidem proficientis. Scripsit ulterius ad Sacerdotium promotus, aut vix

vix ad Episcopatum evectus, uti Fellus, Pearsonius, aliique conjectarunt, tres *Testimoniorum* libros ad Quirinum, a quo rogatus fuerat, ut Scripturae Testimonia sibi in certa quaedam capita distribueret. Abiudicavit Erasmus hos libros Cypriano; sed aperte refellitur a Pamelio, & a Baluzio, ex eo quod sub Cypriani nomine illos laudent Augustinus lib. iv. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 8. & 9. Fulgentius Ruspensis Episcopus in Fragmentis, & Lupus Abbas Ferrariensis Epist. 128. ad Carolum regem; immo Erasmus ipse sui immemor quaedam illinc deprompta, tanquam Cypriani, producit initio suarum in Ioannem Adnotationum. Sequuntur Epistolae Cypriani 83. quibus accedunt tres aliae in quibusdam veteribus Codicibus inter Cyprianicas collocatae. Prima ad Donatum expungitur a Baluzio; ab aliis, quibus assentimur, ut genuina recipitur, quoniam laudatur ab Augustino lib. iv. de Doctr. Christ. cap. 14. & Serm. 312. ac reperitur in Veronensi, Seguieriano, & Vaticanis Codicibus perantiquis. Inter illas 83. Epistolas Cyprianicas xvi. extant Variorum datae ad ipsummet Cyprianum. Perutiles sunt ad Ecclesiae disciplinam, ad morum probitatem, ad institutionem Clericorum, atque ad unitatis, fideique stabilimen & firmamentum. His subnectuntur liber *de Habitu Virginum*, quem S. Hieronymus legendum proposuit Virgini Eustochio, egregiumque Volumen appellavit scribens ad Demetriadem; & liber *de Lapsis*, quem Rufinus aiebat *magnificentissime scriptum*, & quem commendant Augustinus, Fulgentius, Venericus Episcopus Vercellensis, aliique: liber *de Vnitate Ecclesiae* falso alicui inscriptus *de Simplicitate Praelatorum*, in quem librum irrepsisse fraude Pontificiorum quae ibi leguntur de Primatu Petri, frustra blaterant Iamesius, Caveus, aliique Novatores; siquidem & Latinius, & Pamelius, & Baluzius, & Editores alii observarunt nonnulla quidem in textum ex notis marginalibus fuisse intrusa, sed quae erant summulae quaedam, & notationes ex eiusdem Cypriani verbis collectae. Adde praestantissimum Opus *de Oratione Dominica*; ex quo Augustinus gratiae necessitatem ad perseverandum luculenter demonstrat adversus Reliquias Pelagianorum in libro de Dono Persever. cap. 3. & seqq. Commemoravimus sup. num. librum adversus *Demetrianum* veri & unius Numinis contemptorem: in quo libro cum Cyprianus contra hominem paganum utatur Sacrae Scripturae testimoniis, illum Lactantius lib. v. Div. Instit. mordet & vellicat, quoniam putat contra inimicum Christianae Religionis potius proferenda fuisse testimonia humana, Philosophorum scilicet, Historicorum, & Poetarum. Verum prudentissime Cyprianus Scripturas adhibuit, ut quod Christiani crederent ac sentirent, maledicus oblatrator ex libris nostris perciperet. Mitto brevitatis causa libros *de Mortalitate*, *de Opere*, *& Eleemosyna*, *de*

Bono

Bono patientiae, *de Zelo & Livore*, *de Spectaculis*, *& de Laude Martyrii*. Ceteri, quorum nec titulum ponimus, supposititii sunt, & in Appendicem reiecti. Notis Cypriani Opera illustrarunt Rigaltius, Pamelius, Baluzius, & unus ex Monachis Congregationis S. Mauri. Huc spectant *Annales Cyprianici* Ioannis Pearsonii, & *Dissertationes Cyprianicae* Henrici Dodwelli, quibus exornata est Oxoniensis Protestantium Editio.

XXIII. *Quaedam circa S. Cypriani doctrinam adnotantur.*

XXIII. Affirmat praecitatus Dodwellus Differt. Cyprianica 7. S. Cyprianum, ubi agit de Ecclesiae unitate, non loqui de Ecclesia Romana & Catholica per universum Orbem diffusa, sed de Ecclesiis particularibus, quae Episcopo suo, in quo unitatis principium est, adhaerescunt, ita ut in unitate permaneant, etiamsi a Romana Ecclesia divellantur, & segregentur. Quod absurdum & haereticum est, atque a mente Cypriani alienum. Sanctus enim Doctor in lib. *de Unit. Eccl.* ait, loqui se de illa Ecclesia, *quae per Orbem totum radios suos porrigit*, *& ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit*. Talis autem Ecclesia non est Ecclesia aliqua particularis, sed Catholica. In Episcopis ergo reperitur *unitatis principium*, si cum Romanae Ecclesiae Pastore communione socientur; schismatis vero, & scissurae, si seiungantur: alioqui non esset Ecclesia *una*, neque *Sponsa* diceretur *incorrupta & pudica*; & aeque ac apud Orthodoxos vera Ecclesia maneret apud haereticos, schismaticos & adulteros. Sed vetus est illa Dodwelli interpretatio, & iam refutata a Bellarmino lib. II. de Rom. Pontif. cap. 16. Abutuntur quoque S. Cypriani testimoniis Fellus & Goubartius autumantes assertam ab illo inter omnes Episcopos aequalitatem honoris ac potestatis, propterea quod cum Stephano disputans de baptismo haereticorum ait Epist. 72 *Qua in re nec nos vim cuiquam facimus*, *aut legem damus*, *quando habeat in Ecclesiae administratione voluntatis suae arbitrium liberum unusquisque propositus*, *rationem actus sui Domino redditurus*: In iis tamen Epistolis, quas de Baptismo dato ab haereticis Cyprianus conscripsit, aperte Petri, & Successorum eius primatum agnovit, scribens Epist. 70. ad Ianuarium, *Unam Ecclesiam a Christo Domino super Petrum origine unitatis & ratione fundatam*, quibus verbis similia passim repetit in Epistolis subsequentibus. Ubi ergo ait liberum esse unicuique Praeposito propriae adhaerere sententiae, loquitur Cyprianus de ea quaestione, quam *adiaphoram* existimabat, & ea genere illarum, in quibus nemo, si diversum sentiat, debet a communione amoveri; quemadmodum inter Episcopos adstruit consortium honoris & potestatis., ita tamen, ut nullum praeiudicium afferat primatui Romani Pontificis, qui cum aequali Episcopatus honore fruitur iurisdictionis praerogativa; sicut inter duodecim Apostolico munere aequales soli Petro collatus est principatus Eccle-

Ecclesiae. Errant pari ratione Blondellus, & Salmasius, aliique Presbyteriani, dum ad se trahere nituntur ea Cypriani loca, in quibus Presbyteris adtribuit nomina Praepositorum, ac Sacerdotum, ut in Epist. 65. & 72. Luculentissime enim S. Cyprianus Epist. 27. 42. & 69. declarat Episcopos esse *Successores Apostolorum*, & *divina lege* institutum esse, ut Episcopi *ordinatione* per temporum & successionum vices constituantur in Ecclesia; quando e contra Presbyteriani effutiunt, nulla ordinatione, nulla institutione divina Episcopos praeesse Presbyteris. Praeterea Fleurius lib. xx. Hist. Eccl. num. 47. aequiparat errorem S. Cypriani circa baptismum in haeresi administratum, errori Principis Apostolorum circa observationem legalium: quod utique non apposite dictum esse videtur, quoniam Petrus circa dispensationis officium in ceremoniis nondum mortiferis, Carthaginensis autem Antistes circa Sacramenti validitatem, & adversus Apostolicam traditionem, quamvis sibi non compertam, errabat, pugnabatque cum Stephano. Multa sunt alia in Cypriani libris ad Confirmationem, Exomologesim, & Absolutionem spectantia, quae hoc loco expendenda forent, nisi de iis pertractatum esset in Theologicis Dissertationibus.

XXIV. *S. Gregorii Thaumaturgi institutio, ordinatio, ingeniique monumenta.*

XXIV. A Cypriano ad Theodorum, seu Gregorium Thaumaturgum, idest, mirabilium operum patratorem, differendo progredimur. Is Neocaesareae, urbis sitae in Cappadocia ad Lycum fluvium, ubi nunc Turcarum Satrapae sedem habent, ex Gentilibus parentibus in lucem editus, in patria humanioribus litteris, Iurisque Romani elementis imbutus, studiorum causa primo Alexandriam, deinde Athenas, post Berytum clarissimam Civitatem Phoeniciae, Emporiumque percelebre, tandem Caesaream Palaestinae se contulit, ubi fuit auditor Origenis. Hinc Eusebius lib. vi. cap. 30. de eiusdem Origenis discipulis inquit: *ὧν ἐπισήμους μάλιστα ἔγνωμεν Θεόδωρον, ὃς ἦν αὐτὸς οὗτος ὁ καθ' ἡμᾶς Ἐπισκόπων διαβόντος Γρηγόριος, τόν τε αὐτοῦ ἀδελφὸν Ἀθηνόδωρον. Quorum praecipuum fuisse cognovimus Theodorum, qui & Gregorius dictus est, Episcoporum nostra aetate celeberrimum, fratremque eius Athenodorum.* Se ab Origene ad altiora studia excitatum scribit idem Gregorius Oratione ad ipsum Origenem, in qua divinae Providentiae acceptum refert, quod talem nactus fuerit institutorem. Origenes quoque Gregorium discipulum suum appellat, laudibusque prosequitur cap. 13. Philocaliae. Fama & sapientia percelebrem Gregorium ordinavit Episcopum Neocaesareae Phoedimus Amaseae in Ponto Antistes, modo prorsus inaudito. Nam ut scribit S. Gregorius Nyssenus Tom 2. pag. 976. *Cum illum manu capere non posset, & ad Sacerdotium adducere, interiecto spatio triduani itineris, loco impositionis manuum sermonem adhibens ordinavit.* Nequaquam hoc exemplum suffragatur iis, qui propu-

gnant subsistere sacrum ordinem invito, & reluctanti collatum. Nimis enim factum istud evinceret, nempe neque necessariam esse materiam, sive manuum impositionem: deinde quae peculiari Spiritus Sancti instinctu, atque extra rerum ordinem contingunt, miranda sunt, non proferenda ad oppugnandam veterem institutionem; & denique subiiciens cit. loco Nyssenus, *Post haec, quae legitime fieri solent, super illum fuere peracta*, haud obscure innuit, Ecclesiasticos ritus minime in illa consecratione fuisse praetermissos. Phoedimus itaque oratione Gregorium longe dissitum traxit, movitque ut ad ordinationem accederet, ac si manu apprehendisset. In Episcopali munere Gregorius tanto fidei zelo, cura, solicitudine, diligentia se gessit, ut moriens in urbe Neocaesarea reliquerit septemdecim tantum Gentiles, quando in ea erant initio Episcopatus sui septemdecim tantum Christiani; floruitque tanta miraculorum gloria, ut etiam montes transferret. Obiit post Concilium Antiochenum, cui & ipse interfuit damnans haeresim Pauli Samosateni, anno 265. Aperte errat Nicephorus, qui Gregorium hunc lib. VI. Hist. cap. 17. confundit cum Gregorio Armeno, & vixisse putat usque ad tempora Diocletiani, qui regnare coepit anno 284. Multo magis a veritate aberrat Suidas, qui in voce Γρηγορ. pag. 628. scribit Gregorium pervenisse ad tempora Iuliani Apostatae, cuius imperium sumsit exordium anno 361. Colitur Thaumaturgus a Graecis Latinisque XV. Kal. Decembris, ut Martyrologia testantur, celebrantque eius laudes, praeter laudatum Nyssenum, S. Basilius de Sp. S. cap 29. ubi illum comparat Apostolis & Prophetis, appellatque Γρηγόριον τὸν μέγαν, Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccles. & in Epistola ad Magnum, Gregorius Papa lib. I. Dialog. cap. 7. Inter Gregorii Thaumaturgi scripta recensetur Epistola Canonica de lapsis in Barbarorum incursu, recepta a sexta Synodo, & a nobis laudata in Diss. II. num. 7. Orationem ad Origenem, cui titulus πανηγυρικὸς εὐχαριστίας, paullo supra commemoravimus, eiusque etiam meminit citato Catal. S. Hieronymus. Addit is brevem quidem, sed valde utilem μετάφρασιν in Ecclesiasten. Recte Erasmus μετάφρασιν interpretatur *Expositionem*, a verbo μεταφράζω, *commentor*, addens extare hunc librum Basileae in Bibliotheca Praedicatorum. At nunc Latinum habemus editum a Vossio, & Grece ac Latine impressum inter Orationes Nazianzeni edit. Paris. an. 1622. num. 53. S. Gregorius Nyssenus profert quamdam Expositionem Fidei traditam Thaumaturgo a Ioanne Evangelista una cum Beata Virgine Maria ei noctu apparente. Reliqua iudicio omnium eruditorum spuria sunt. Vide Bellarminum, Labbaeum, Dupinium, & Caveum.

XXV. Scri-

XXV. Scriptoribus hisce Ecclesiasticis addendi sunt Commodianus & Victorinus; de quibus quambrevissime agemus. Etenim Commodiani incertum est genus, incerta patria, incertum tempus. Ille se appellat *Mendicum* Christi, & aliquando *Gazaeum*, quasi stipem e gaza accipiens. Pamelius & Fabricius floruisse eum putant sub Constantino Magno; alii autem probabilius, aetate Cypriani. Quidam Italum faciunt, quidam Afrum, quod stilum eius sapere videatur, ut inquiunt Rigaltius & Caveus, Africanae ferociae rusticitatem. Extant adhuc *Instructiones* Commodiani adversus Gentes, in quibus affirmat se parentibus Gentilibus natum esse. Opus illud asperrimo, rudi, demissoque stilo conscriptum, inter Apocrypha a Gelasio reiicitur, scatetque Millenariorum erroribus. Hisce adhaesit etiam Victorinus, non Pictavensis, ut aliqui existimarunt, sed Pitabionensis in Pannoniam Episcopus; cuius *Opera*, ut in Catalogo inquit Hieronymus, *grandia sensibus, & viliora videntur compositione verborum*, nimirum praeclara sententiis, sed obscura sermone. Floruit is circa finem tertii Saeculi, martyr enim occubuit in persecutione Diocletiani sub initia Saeculi proximi. Scripsit varios in Scripturam Commentarios, qui iniuria temporum perierunt, si excipias Commentarium in Apocalypsim insertum III. Volumini Bibliothecae PP. interpolatum, emendatumque ab errore Chiliastarum, quibus Victorinus adhaesit, aut huic fortassis affictum. Videsis apud Caveum in Saeculo Novatiano Tractatum Victorini de Fabrica Mundi ante ineditum: Nos enim de Scriptoribus Ecclesiasticis tertii Saeculi enumeratis supra num. I. satis diximus.

XXV. *De Commodiano, & Victorino.*



DISSERTATIO V.

DE ROMANIS IMPERATORIBVS TRVCIDATISQVE MARTYRIBVS.

I. *Quam saeva, ac diuturna fuerit Persecutio Severi.*

I. SEPTIMIVS Severus ineunte Saeculo tertio Romanum regebat Imperium. Huius Chronologiam praemisimus in Historia superioris Saeculi Diss. V. num. 15. ac sat est, si memoria repetamus extinctum fuisse Eboraci in Anglia anno imperii sui decimo octavo, *Elpidio Rufo*, *& Pomponio Basso Coss.* anno scilicet Vulgaris Aerae 211. pridie Nonas Februarias. Ad eius itaque persecutionem, quam communiter *Quintam* dicunt, nostra convertenda est dissertatio. Eamdem persecutionem, veritate cogente, Henricus quoque Dodwellus immanissimam crudelissimamque fatetur, sed ut Martyrum, quibus bellum indixit, numerum minuat, illam intra biennii angustias coarctat. De eiusdem persecutionis crudelitate, & saevitia ait Eusebius initio libri sexti Hist. Eccl. *Cum Severus persecutionem adversus Ecclesias excitasset, per omnes quidem ubique locorum Ecclesias ab athletis pro pietate certantibus illustria sunt confecta Martyria. Praecipue tamen Alexandriae increbuerunt, cum ex universa Aegypto, ac Thebaide lectissimi pugiles eo tanquam in amplissimum Dei stadium deducerentur, & cuiusquemodi tormenta mortesque invicto animo perpessi, immortales a Deo coronas acciperent.* Ex Apologetico, & Scorpiaco Tertulliani eiusdem persecutionis acerbitatem feritatemque demonstrat in Praefatione ad sincera Martyrum Acta num. 45. illustris Ruinartius. Statuitur vulgo Persecutionis huius initium anno decimo Severi, & Aer. Vulg. 202. eodemque anno Alexandriae, & totius Aegypti praefecturam obtinente Laeto, ardentissimum flagrasse persecutionis incendium, atque innumerabiles coronatos fuisse martyrio, narrat praelaudatus Eusebius capite secundo eiusdem libri sexti. Praecedentibus tamen annis imperii Severi in Christianis saevitum aperte demonstrant Acta Martyrum Scillitanorum, qui martyrium perpessi sunt anno primo huius tertii Saeculi; & idem evinceretur ex Tertulliani Apologe-

logetico, si ante annum 202. scriptus foret, ut quidam recentiores, pluribus tamen repugnantibus, opinantur. Quare Tillemontius persecutionem Romae, provinciisque finitimis exortam putat circa annum 197. absque tamen edicto, & lege Severi. Profecto non cessavit persecutio Severi anno 204. ut autumat Dodwellus, dum Coss. Fabio Septimino, & Annio Libone, Ludi Seculares VII. fuerunt peracti, quos lib. III. describit Herodianus, atque ex Dione Xiphilinus. Sed fuisse diuturniorem colligunt viri docti ex Tertulliano, qui in libro ad Scapulam sex Africae praesides, seviente eadem persecutione, praeter Minucium Timinianum recenset; necnon ex Severo Sulpitio, qui illam usque ad Severi obitum prorogare videtur, uti citata Praefat. num. 46. animadvertit Ruinartius.

II. Neque vero efferbuit Severi crudelitas in eos tantum, quos praecedenti Saeculo Diss. II. num. 17. commemoravimus, clarissimos genere, & Senatorio Ordini adscriptos; verum etiam moderante illo Rempublicam innumeri martyres trucidati fuerunt. Tenent priorem locum Scillitani Martyres Speratus, sociique undecim, ita appellati a Scillitana urbe provinciae Africae Proconsularis, quorum capita truncata fuere Carthagine iussu Vegellii Saturnini Proconsulis, anno VIII. Severi, Claudio Severo & Anfidio Victorino Coss. idest, anno Christi 200. XIV. Kal. Augustas; quemadmodum ex horum Martyrum Actis Baronius in Notis ad Mart. Rom. Ruinart, Tillemontius, aliique demonstrant. In horum Martyrum Basilica celebrasse S. P. Augustinum eorumdem triunphum colligitur ex cap. 9. Indiculi, editi a Possidio, atque ex Augustiniano Sermone 6. de verbis Apostoli, nunc 155. Proconsulem, qui eos Martyres capite truncari praecepit, excaecatum fuisse innuit Tertullianus citato libro ad Scapulam cap. 3. scribens: *Vigellius Saturninus, qui primus gladium in nos egit, lumina amisit*. Anno Severi decimo, Christi 202. passum Leonidam Patrem Origenis perspicuum est pervolutanti Eusebii Historiam secundo capite praecitato: atque in eumdem annum referendum est Martyrium S. Irenaei, ut alibi diximus. Laudat Eusebius proximo cap. 4. discipulos Origenis ad Martyrium evectos, Plutarchum, Serenum, Heraclidem, Heronem, Serenum alterum; atque ex mulierum numero Heraidem, sive, ut vertit Rufinus, Heram, quae adhuc Catechumena per ignem baptismi gratiam, & coronam obtinuit, ac celebratur in Menologiis Graecorum IV. Nonas Martias. Illustrius fuit Martyrium Potamiaenae Virginis, quae una cum matre Marcella, ab Aquila praefecto Aegypti post acerbissimos horribilesque cruciatus igni damnata fuit; post quam Basilides, & alii complures Alexandrini cives, ipsa Potamiaena in somnis eos provocante, subiere martyria. Legatur quinto capite eiusdem libri sexti Eusebius. Anno autem 203.

II. *De Martyribus occisis imperante Severo.*

Car-

Carthagine flammis fuerunt absumpti Aemilius & Castus laudati a Cypriano in libro de Lapsis, atque ab Augustino serm. 294. postremae editionis. Fertur passus circa haec tempora Adaleon Albae Helvetiorum; vigetque apud Gallos traditio, fuisse eo missum a Polycarpo. Agitur de Adaleone apud Bollandistas Tom. II. Maii pag. 35. Adde Africanos Martyres Rutilium & Mavilum laudatos a Tertulliano, illum quidem in Libro de Fuga in persecut. & istum ad Scapulam: de quibus consule Fastos Romanae Ecclesiae iv. Nonas Augusti, & pridie Nonas Ianuarii. Praetermitti non debet Passio SS. Perpetuae, & Felicitatis in Civitate Tuburbitana: quarum Acta diu expetita invenit in Monasterio Casinensi Cl. Lucas Holstenius, vulgavitque Romae cum eruditis adnotationibus. In eis illustrandis & Petrus Possinus S. I. & Henricus Valesius, & Theodoricus Ruinartius, aliique insudarunt; & habent plures, doctissimosque patronos; habent quoque oppugnatores nonnullos. In causa sunt harum Sanctarum Revelationes; quas tamen licet a Canone Scripturarum excludat, plurimi tamen facit S. P. Augustinus Sermone 280. quem habuit in Natali earumdem Martyrum, aliisque in locis. Quamvis ergo Acta, quae nunc extant, exploderentur, in dubium tamen revocari non posset illarum Martyrium, de quo praeter Martyrologia fere omnia ad diem 7. Martii, & Augustinum nuperrime laudatum, mentionem facit Canon Missae, Tertullianus in libro de Anima, Victor Vitensis lib. 1. de Persecutione Vandalica, Prosper in Chronico Labbeano, & alii complures. Ex quo autem Perpetuae meminerit Tertullianus, consequens est, Perpetuae, Felicitatis, sociorumque passionem, non contigisse temporibus Gallieni, & post annum 254. ut nonnulli affirmarunt, cum iam antea Tertullianus ex hac vita migraverit. Ex praelaudatis Actis num. 7. infertur, Sanctas Martyres bestiis fuisse obiectas in die natali Getae Caesaris, anno 203. quo Geta iniit Consulatum cum L. Septimio Plautiano.

III. *De Antonino Caracalla, Macrino, & Heliogabalo.*

III. Severo e vivis sublato, Antoninus & Geta tenuerunt imperium, eiusdem Severi filii unus ex Marcia, alter ex Iulia uxore procreati. At Geta vix Imperator dici potest, nam a fratre in sinu matris confossus est, nondum mense a morte patris transacto. Regnavit itaque Antoninus a quarta die Februari anni 211. usque ad diem octavam Aprilis anni 217. quo inter Edessam & Carram opera Opilii Macrini occisus est per Martialem Centurionem. Ita sex annis, & duobus mensibus imperium Antonini finitur. At brevior fuit principatus Macrini, eiusque filii Diadumeniani, quos post annum duosque menses milites occiderunt, idest anno 218. vii. Idus Iunias. Administravit deinde Rempublicam spatio trium annorum, & mensium novem sceleftissimus Heliogabalus, peremptus militari tumultu cum matre, & proiectus in Tiberim anno 221.

Sexto

Sexto Idus Martias. De his brevitati studentes coniunctim agemus. Antoninum appellavere Caracallam a Clamyde ad talos usque demissa, quam Galli *Caracam* dicunt. Illum & Tarantem vocarunt, nomine cuiusdam Gladiatoris deformissimi, perexigui, & nefarii. Testantur eiusdem Imperatoris crudelitatem, impietatemque, caedes illatas medicis, qui patrem eius Severum interficere noluerant: fratri Getae, cuius nec nomen patiebatur, addictis statim extremo supplicio qui idem nomen pronunciassent: Papiniano Cl. Iurisconsulto, quem securi percuti iussit eoquod Getam excusasset; Vestalibus Virginibus, quas vitiare tentaverat, & quarum unam Clodiam Laetam vivam sepeliri mandavit. Tumidam inflatamque Antonini ambitionem commonstrat inanis illa suipsius existimatio, qua se comparans Alexandro Macedoni similibus armis & poculis utebatur; ac phalangem e solis Macedonibus comparatam Alexandri exercitum, seipsum vero Alexandrum Orientalem Augustum cognominabat, eo dementiae progrediens, ut animum Alexandri in corpus Antonini migrasse iactaret. Mitto adulteratam ab illo monetam, & pro argento aurove exhibitum aes plumbumque signatum, Amphitheatra, Circos, & sumptuosa diversoria ubique constructa, & statim diruta cum intolerabili pecuniarum exactione; Iuliam novercam suam, & Getae matrem ductam ab Antonino in uxorem, & *iunctum* (ut Aelii Spartiani utar verbis) *ad parricidium incestum*; Ex verbis Spartiani constat Caracallam non fuisse filium, sed privignum Iuliae. Maximam denique veneni cuiusque generis copiam emptam pretio ducenties vicies sestertium, ut quos collibitum fuisset variis modis necaret, aliaque turpissima horrendissimaque facinora, quae legi possunt apud Romanarum Historiarum Scriptores. De Opilio Macrino, eiusque filio Diadumeniano prolixe agit Iulius Capitolinus: cui addimus ex Dione Xiphilini, Macrino mortem fuisse praenuntiatam Oraculo versibus desumptis ex Homero VIII. Iliad.

O Senior bello iuvenum, quem dextra fatigat,
Iam tibi deficiunt vires, repitque senectus.

Occisus est enim in suburbano Bythiniae ab Aurelio Antonino Alagabalo adhuc adolescentulo, qui e Sacerdote Heliogabali creatus ductor exercitus, Caracallae, cuius filius putabatur, mortem vindicavit, sibique Imperium adscivit. Tantae Alagabalus fuit turpitudinis, ut cum Soemiade matre, & Caracallae pellice consueverit, in fabula Paridis personam Veneris impudentissime egerit, in Virgines Vestales incestum admiserit, omniaque nefaria, quae nemo libenter referat, vel audiat, suo in corpore passus fuerit. Sat est, si id unum dicamus, hunc omnium hominum impurissimum nomi-

nomine assumpto mulieris, & reginae, mancipio & aurigae, qui Hierocles dicebatur, palam nupsisse. Adite Spartianum, Dionem, & Sextum Aurelium. Paucis hic Alagabali improbitatem describit hisce verbis: *Hoc impurius ne improbae quidem, aut petulantes mulieres fuere: quippe orbe toto obscoenissimos perquirebat, visendis tractandisque artibus libidinum ferendarum*. A Dione Alagabalus dicitur Avitus, Pseudoantoninus, & Sardanapalus; a pluribus Lupus, & Varius; post mortem vero non alio passim nomine vocitabatur, quam *Tiberinus*, *Tractitius*, *Impurus*.

IV. *De quibusdam Viris sanctitate conspicuis, qui circa hac tempora claruerunt.*

IV. Caracalla imperante floruit Narcissus Hierosolymorum Episcopus, a quo patrata miracula aquae conversae in olei pinguedinem, poenarumque, quas calumniae dederunt suae, qui structis insidiis gravissima ei crimina obiiecerunt, Narcissum sanctitate, pietate, ac fide laudabilem vocat Romanum Martyrologium IV. Kal. Novembris, eumque ad aetatem centum & sexdecim annorum pervenisse testatur; eumdemque commendant, praeter Eusebium citato in loco, & lib. v. cap. 12. Nicephorus libro v. cap. 9. & S. Epiphanius in Panario Haer. 66. Cum Narcissus ob calumniantium insidias Hierosolymis discessisset, finitimarum Ecclesiarum Episcopi ordinarunt eius loco Antistitem alium Dium nomine; eoque vita functo Germanium, & post hunc Cordium: post reditum vero Narcissi huic in extrema senectute collega datus est Alexander Episcopus in Cappadocia, qui forte adierat Hierosolymam orandi causa, designatus aliorum Episcoporum consensu Narcissi successor. Ea tamen consuetudo constituendi successorem vivente adhuc Episcopo, pluribus Conciliorum definitionibus fuit improbata. Referendus quoque est ad Antonini Caracallae tempora Serapion Antiochenus Episcopus, cuius memoria colitur ab Ecclesia III. Kal. Novembris, non sanctitate solum, verum etiam eruditione & doctrina conspicuus. De quo legendi sunt Eusebius libro VI. cap. 12. Nicephorus lib. IV. cap. 27. & Hieronymus in Scriptorum Catalogo. Huic successit Asclepiades, qui persecutionis tempore fidem Christi confessus magnam gloriam retulerat. Baronius ad Annum 218. num 1. tanquam Christianum, virumque sanctum a Iulio Africano laudatum commemorat Abagarum regem Edessae, quem Antoninus ad se venientem tanquam amicum, & Romanorum socium *Sabino II.* & *Anullino Coss.* idest anno 216. coniecit in vincula, ut scribunt Dio in *Caracalla*, & Herodianus lib. IV. Inierat Abagarus cum Severo foedus, extantque apud Patinum pag. 284. numismata huius foederis indicativa cum inscriptione CEOYHPOC A. CEΠ. ABΓAPOC BAΣIΛ. MEΓ. Percipimus inde Abagari nomen fuisse pluribus Edessenorum regibus commune: nam & Abagarum alium conspicimus inter nummos M. Aurelii, Abagarum alium commemorat libro XII. Annalium C. Tacitus, alium item, ad quem fertur Christum litteras

teras conscripsisse, Eusebius lib. 1. cap. 13. Sed redeamus ad institutum.

V. Heliogabalo successit M. Aurelius Severus Alexander, filius Iuliae Mammaeae, & ipsius Heliogabali consobrinus, tenuitque imperium annis 13. interfectus a militibus anno 235. xv. Kalendas Apriles. Res ab eo gestas enarrant prae ceteris Herodianus, & Aelius Lampridius. Alexandri matrem fuisse filiam Iuliae Augustae, & sororem Soemidis tradit Dio apud Xiphilinum libro XLVIII. Illam Eusebius lib. VI. cap. 21. appellat piam in primis ac religiosam, ac fuisse divinarum scientiarum cupidissimam diximus Diss. IV. num. 8. agentes de Origene. Recusavit Alexander delatum sibi a Senatu Antonini, & Magni nomen. Animas Sanctiores, inquit Lampridius, in queis & Apollonium, & quantum Scriptor suorum temporum dicit, Christum, Abraham, & Orpheum, & huiuscemodi Deos, ac maiorum effigies habebat in suo lirario. Superstitiosa quidem religio, quae Christum & Abraham aequiparat Magis, idolorumque cultoribus. Iussit in palatio, & in publicis aedificiis praescribi, & quum aliquem emendatet, repeti a praecone sententiam, quam a Iudaeis & Christianis didicerat: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*. Tantae nihilominus erat ille severitatis, ut inde ei, auctore Sexto Aurelio, Severi cognomentum accesserit; eumque milites severitatis vim horrescentes agentem vico Britanniae, cui nomen Sicila, trucidaverint. Quare falsum est, quod nonnulli apud Lampridium dixere, Alexandri imperium fuisse *ἀναίματον*, scilicet incruentum. Neque enim pepercit Ovinio Camillo amplissimo Senatori tyrannidem affectanti, ac multo minus Christianis, in quos Domitius Vlpianus Iurisconsultus illius aetatis clarissimus in libro de officio Proconsulis rescripta Principum, & constitutiones sacrilegas colligere studuit, Paullo etiam altero Iuris auctore tunc edocente, quibus suppliciis affici eos oporteret. Legite Lactantii Firmiani librum divinarum Institutionum quintum. Martyrium itaque perpessi sunt, imperante Alexandro, Calepodius presbyter gladio necatus & proiectus in Tiberim; Palmatius Consul decollatus cum uxore, liberis, & universa familia; Felix cum coniuge sua Blanda; Asterius Ostiensis Presbyter, de quibus plura Baronius ad Annum 226. ubi pertractat de martyrio Callisti Pontificis. Addit vir illustris Quiriacum Ostiensem Episcopum, Tatianam Romanam civem, Iulium & Hesychium in Mysia milites, Auream Virginem, aliosque permultos variis tormentorum generibus apud Ostia Tyberina peremptos, & quorum omnium memoriam referunt Fasti Martyrum, & Tabulae Ecclesiasticae. Praetermittenda non est passio Caeciliae Virginis, quae sedente Vrbano sponsum suum Valerianum, huiusque fratrem Tiburtium convertit ad Christum, incitavitque ad martyrium: de qua x. Kal. Decembris

V.
Alexandri imperio descripto, illustriores sub illo Martyres commemorantur.

bris Romanum, & alia Martyrologia. Caeciliae autem venerandas Exuvias aureis, & sanguine intinctis vestibus exornatas invenit in Coemeterio Praetextati S. Paschalis I. evectus ad Petri Cathedram anno 817. qui & in propriis Caeciliae aedibus aedificavit templum illud Transtiberinum, in quo religiosissime sub ara maxima custodiuntur. Id colligitur ex versibus Musivae in Tribuna picturae subscriptis:

Haec domus alma micat variis fabricata metallis,
Olim quae fuerat confracta tempore prisco:
Condidit in melius Paschalis praesul opimus.

VI. *Imperatorum series usque ad Gallum & Volusianum contexitur.*

VI. E vivis sublato Alexandro, imperium arripuit C. Iulius Verus Maximinus patre Micea e Gotthia, & matre Ababa ex Alanis exiguo Thraciae vico in lucem editus, Opilio primum & pastor, miles deinde sub Severo, & sub Antonino Caracalla ordinum ductor, centurio, ceterisque militaribus dignitatibus decoratus, & denique suffragiis legionum, absque Senatus consultu ad principatum evectus. Imperavit Maximinus una cum filio, cui idem Caii Iulii Maximi nomen erat, annis duobus, & sex mensibus, interfectus anno 237. cum filio dum obsidione cingeret Aquileiam, in tentorio a militibus, qui illorum capita praefixa contis Aquileiensibus demonstrarunt. Vivente autem Maximino alii proclamati fuerunt Augusti, Gordianus primus natus ex patre Metio Marullo, & ex matre Vlpia Gordiana, paternamque originem trahens a Gracchorum genere, maternam ex Imperatore Traiano: Gordianus alter illius filius natus e Fabia Orestilla Antonini pronepte: Clodius Pupienus cognomento Tristis; & Caelius Balbinus a Senatu cum Pupieno dictus Augustus contra Maximinum. Quorum omnium brevissimum fuit imperium: nam Gordiani ambo post mensem unum & sex dies perierunt; filius quidem in bello Africano occisus a duce Maximini Capelliano; pater vero laqueo seipsum perimens, ut hostium vincula effugeret. Balbinus item & Pupienus clam inter se dissidentes, cum ad Ravennam maximo apparatu contra Maximinum exercitum compararent, militari seditione occubuerunt. Obtruncato Maximino M. Ant. Gordianus III. Gordiani senioris nepos paullo diuturnius habuit imperium: interfectus enim fuit a Philippo Arabe in Perside anno 244. cum vixisset annos 22. & annos sex imperasset. Quare Gordiano ad Circeium, castrum in finibus Persidis, monumentum erectum fuit, cum hac inscriptione: *Divo Gordiano Victori Persarum, Victori Gotharum, Victori Sarmatarum, Victori Germanorum, sed non Victori Philipporum.* Sed & Philippi idem ac Gordiani fuit exitus. Enimvero dum anno 249. Aemiliano & Aquilino Coss. adversus Decium eduxisset exercitum, Veronae a militibus confossus est anno imperii

perii sui sexto; eodemque tempore Romae Iulius Philippus, illius & Severae Otaciliae filius, & consors imperii, trucidatus est a cohorte Praetoria. Ita Imperium devolutum fuit ad Quintum Traianum Decium, qui Augustus appellatus praedicto anno 249. imperavit biennio, nec pervenit ad exitum anni 251. Adsciverat & Decius in consortium imperii filium Quintum Herennium ei natum e Sallustia Barbia Orbiana: sed cum illo profectus ad liberandas Thracias, Herennius accepto vulnere interiit; Decius vero equo insidens, ne vivus in potestatem hostium veniret, insiliit in voraginem paludis, eiusque cadaver nusquam repertum est. Regnarunt post Decios Gallus & Volusianus, de cuius imperio dicendum est paullo infra: nam de Maximino, de Philippis, & de Traiano Decio praemittenda sunt quaedam ad Historiam Ecclesiasticam specialiter pertinentia.

VII. *De Martyribus, qui sub Iulio Maximino, & sub duobus Philippis occubuerant.*

VII. Arrepto itaque imperio Caius Iulius Maximinus, vir tantae vastitatis, & ingluviei, ut in die biberet amphoram vini Capitolini, & comederet, ut Cordus inquit, sexaginta carnis libras, ac tantae feritatis, ut illum alii *Cyclopem*; alii *Busiridem*, alii *Scironem*, nonnulli *Phalarim*, multi *Typhonem*, vel *Gigem* vocarent (quae sunt verba Iulii Capitolini in *Maximinis* ad Constantinum Augustum,) excitavit persecutionem Ecclesiae sextam: cuius proinde Epocha figenda est in Consulatu Severi, & Quinctiani, anno Aerae Vulg. 235. De hac persecutione inquit Eusebius lib. VI. Hist. Eccl. cap. 28. *Maximinus gravi odio succensus adversus familiam Alexandri, in qua plerique erant Christiani, persecutione excitata, solos Ecclesiarum Antistites, utpote Evangelicae praedicationis auctores, interfici iussit.* Martyrio in ea persecutione coronatos Pontianum & Antherum Romanos Pontifices diximus Diss. I. num. 8. & 10. Aliorum numerus colligi potest ex illa Maximini feritate, qua in singulos saeviebat, & de qua ait citato in loco Capitolinus: *Senatus eum tantum timuit, ut vota in templis publice, privatimque mulieres etiam cum suis liberis facerent, ne ille umquam urbem Romam videret. Audiebat enim alios in crucem sublatos, alios animalibus nuper occisis inclusos, alios feris obiectos, alios fustibus elisos . . . . Erat enim ei persuasum, nisi crudelitate imperium non teneri.* Sub Philippis quoque Martyrum caedes invenimus, non utique imperiali edicto, sed populari persecutione in Alexandrina Urbe excitata studio cuiusdam Vatis ac poetae superstitionibus dediti, ut narrat in Epistola ad Fabium Antiochenum S. Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib. VI. cap. 41. In ea persecutione verberatus fustibus, acutis arundinibus compunctus, & lapidibus obrutus fuit Senex quidam Metra nomine, sive ut habent cum Rufino Martyrologia pridie Kalendas Februarias, Metranus: mulier spectabilis Quinta,

 Graece

Graece *Κοΐντα*, per vicos civitatis constrictis pedibus raptata, saxis illisa, caesa flagris, & in suburbium deducta lapidum extincta procellis, cuius memoria in Fastis Martyrum colitur VI. Eidus Februarii; & Admiranda Virgo Apollonia, de qua iidem Fasti agunt die proxima, cui maxillae concussae, dentes evulsi, corpus succenso rogo combustum: Serapion denique in Romano Martyrologio descriptus XVIII. Kal. Novembris, quem acerbissimis tormentis excruciatum, cunctisque membris confractum, e cenaculo praecipitem deiecerunt. Hos omnes sub Decio passos affirmant Martyrologia: sed constat ex citata Epistola Dionysii *integro anno* antevertisse, ideoque sub Philippis consignari debere. Id olim Baronius ad Annum 252. deinde Ruinartius in Actis Sinceris ad annum 249. adnotarunt. Hinc, ut suam Ecclesiasticis monimentis fidem adstruerent, Bollandus in Vita S. Apolloniae die 9. Februarii, & Antonius Pagius in Critica ad an. 250. num. 3. dixere, Antiquos persecutionem sub Philippo, & persecutionem sub Decio motam pro una eademque reputasse. Revera Eusebius Epistolae Dionysii haec verba praemisit, *τῶν κατὰ Δέκιον μαρτυρησάντων ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τοὺς ἀγῶνας, τοῦτον ἱστορεῖ τὸν τρόπον*, *Eorum, qui imperante Decio martyrium Alexandriae subierunt, certamina refert hoc modo*.

VIII. *De Religione Philippi.*

VIII. De Philippis quaeri ab Historicis solet, an Christianam religionem saltem occulte professi fuerint, id affirmantibus Scriptoribus plurimis, sed aliis quoque eruditionis non exiguae contendentibus, primum Imperatorem Christianum fuisse Constantinum. De qua controversia, quoniam prolixe egimus in Praelectionibus, dicemus perpauca. Philippum una cum filio Christianam fidem amplexum demonstrant primo Acta S. Pontii Martyris edita a Stephano Baluzio: deinde Eusebius narrans lib. VI. Hist. Eccl. cap. 34. Philippum fuisse in Ecclesia precationum participem, quamquam Historicus hoc refert adiecta particula *κατέχει λόγος ut refert fama*: insuper ex Hieronymo de Script. Ecclesiasticis in *Origene*, atque ex Vincentio Lirinensi cap. 17. Commonitorii. Contra primum Augustorum omnium Principum, qui Christo nomen dederit, fuisse Constantinum Magnum inferunt viri docti, ex praecitato Eusebio, qui lib. IV. de Vita Constant. cap. 62. scribit, hunc principem solum ex omnibus, qui antea extiterunt, Imperatoribus, renatum fuisse in Christi martyriis. Proferunt & Lactantium in praefatione Librorum Divin. Instit. Ambrosium in Orat. de Obitu Theodosii, atque Severum Sulpitium lib. II. Hist. Sacrae, qui omnes disertissime tradunt hanc gloriam Constantino deberi, quod primus omnium Romanorum Caesarum agnoverit veri Numinis maiestatem. Addunt Philippum anno 247. Ludos Saeculares celebrasse, qui sine idolorum cultu, & victimarum mactatione nequaquam pe-

rage-

rагebantur. In his autem diverſarum opinionum ambagibus, ea nobis arridet ſententia, quae tenet, Conſtantinum palam in omnium conventu, ſolemni ritu fuiſſe regeneratum; Philippum autem ſecreto, & ne idololatrarum furorem adverſus ſe concitaret, ſimulata ſuperſtitione, neque omnino inculpate.

IX. Commemorata religione Philippi, ad perſecutionem Decii trahit nos eximius Hieronymus ſcribens citato in loco: *De crudelitate autem perſecutionis, quae adverſum Chriſtianos ſub Decio conſurrexit, eo quod in religionem Philippi deſaeviret, quem & interfecit, ſuperfluum eſt dicere, cum etiam Fabianus Romanae Eccleſiae Epiſcopus in ipſa occubuerit, & Alexander Babylasque Hieroſolymorum, & Antiochenae Eccleſiae Pontifices in carcere pro confeſſione dormierint*. Quod enim aetate Hieronymi ſuperfluum erat narrare, noſtra a Decio remotiſſima haud inutiliter declaratur. Ac de Fabiano pertractavimus Diſſ. I. num. 11. De Alexandro, quem ſupra num. 8. diximus fuiſſe coadiutorem & ſucceſſorem Narciſſi, ait Euſebius lib. VI. cap. 39. poſt praeclaram atque illuſtrem Chriſtianae fidei confeſſionem in Praeſidiali iudicio editam, tandem in cuſtodia animam exhalaſſe: quod repetitur cap. ultimo eiusdem libri ex Epiſtola Dionyſii. Caeſareae in Palaeſtina Alexandrum obiiſſe affirmant Martyrologia XV. Kal. Apriles: Martyrium anno 250. conſignandum eſſe arbitramur. Vereor num diſtinguendus ſit ab Alexandro altero, de quo in Martyrologio Romano III. Kal. Februarii, etſi diſtingui oportere monet in Notis Baronius: nam quod legitur de Alexandro iſto, *longaevae aetatis veneranda canicie, & confeſſione iterata reſplendens*, ſunt verba de Alexandro Epiſcopo prolata ab Euſebio citato cap. 39. ἐπὶ δευτέρᾳ διαπρέψας ὁμολογίᾳ, δεσμωτηρίῳ πειρᾶται λιπαρῷ γήρει καὶ σεμνῇ πολιᾷ κατεστεμμένος. Babylas in Epiſcopatu Antiocheno ſucceſſor Zebini iuxta Euſebium eodem cap 34. poſt confeſſionem in vinculis mortuus eſt, iuxta Ioan. Chryſoſtomum Orat. de ipſo Babyla anno aetatis ſuae 90. una cum tribus pueris, quos inſtituerat, affectus ſupplicio. Praeclarum eſt quod de Babyla narratur in ea Orat. Chryſoſtomi, & a Socrate lib. III. cap. 18. & Sozomeno lib. V. cap. 20. Iuliano Apoſtatae conanti inducere ad loquendum Apollinem in Daphne in ſuburbio Antiochiae, reſponſum fuiſſe a Daemone, ademptam ſibi loquendi poteſtatem a corpore Babylae eo loci ſepulto: qua cauſa comperta Iulianus iuſſit loculum transferri: quod Chriſtiani gaudio tripudiantes, pſalmosque concinentes fecerunt in urbem oſſa Martyris inferentes. Latini IX. Kal. Februarias, Graeci autem pridie Nonas Septembris Babylae memoriam agunt. Paſſi ſunt quoque in perſecutione Decii Iulianus, Cronion, Eunus, Epimachus, Alexander, Macar., ſanctaeque mulieres Ammonarium, Mercuria, Dionyſia, Ammonarium alia, nec-

IX. *Agitur de Perſecutione Decii, quae vulgo dicitur Septima.*

necnon integer manipulus militum, aliique plurimi laudati in praecitata Epistola S. Dionysii Alexandrini apud Eusebium lib. vi. cap. 41. & 42. Adde Saturninum Tolosanum Episcopum, Pionium Smyrnensem, Acacium Antistitem Melitenae, Tryphonem & Respicium, Lucianum & Marcianum; de quibus lege Acta Sincera Theodorici Ruinart a pagina 105. usque ad pag. 156. editionis Veronensis. Saeviente persecutione Decii Paulum Thebaeum primum Eremi cultorem deserta loca petiisse aperte demonstrat Cardinalis Baronius ad annum 253. pagina Vatic. edit. 419. Atque haec de Persecutione Decii, quem Autor Libri de Mortibus Persecutorum cap. 4. vocat *exectrabile animal, furens protinus contra Deum, ut protinus caderet.*

X. *Galli Hostiliani saevitia, horrenda lues, persecutio Christianorum, Imperatorum interitus.*

X. Extincta tamen non fuit cum morte Decii, de qua praecedenti num. 6. saevissima persecutio; *sed*, ut inquit Dionysius in Epistola ad Harmammonem apud Eusebium lib. vii. cap. 1. *Neque Gallus culpam Decii intellexit, nec prospexit, quid tandem illum pessundedisset: quin potius ad eumdem lapidem ante oculos suos positum impegit. Qui cum imperium ipsius prospero in statu esset, cunctaque ex animi sententia succederent; Viros Sanctos, qui pro pace & incolumitate ipsius preces ad Deum allegabant, insectatus est: ideoque cum illis orationes pro ipso fieri solitas simul fugavit.* Haec Dionysius Alexandrinus. Immo Dodwellus ipse multitudinis Martyrum insectator fatetur persecutionem Galli fuisse Deciana severiorem, coactus testimoniis S. Cypriani, qui in libro de Exhortatione Martyrii, in Epistola ad Cornelium, & in Tractatu adversus Demetrianum affirmat, Martyres tunc interfectos numerari non posse. Praebuit ferociendi in Christianos occasionem perniciosa pestis, quae, ut in *Decio* scribit Pomponius Laetus, orta apud Aethiopes, ex nimio solis ardore, consumptis fere meridianis, per Orientem divagata est: inde ceteras orbis partes evasit, ubique maximam partem incolentium exhausit, & pleraque loca inhabitata reliquit, & vix intra decem annos finem invenit. Eamdem labem idem Pomponius provenisse putat ex infelicibus Galli auspiciis, *ut qui proditione imperium arripuit, Christiani etiam dogmatis hostis.* Gallus enim cum occiso Decio Augustus dictus esset exeunte anno 251. percusso cum Scythis foedere non fine Romani nominis ignominia, barbaris tributa pependit, populumque Romanum expoliavit diuturno & libero principatu. Elegit filium Volusianum consortem Imperii; quod Eutropius lib. viii notum fuisse perhibet *sola pestilentia, & morbis, atque aegritudinibus*. Ad restringendam luem iussit Gallus, ut ubique gentium Apollini litaretur, cujusque ea de causa nummos illos, in quibus extat inscriptio, APOLL. SALVTARI S. C. arbitrantur Tristanus, & Mediobarbus. Cum itaque arae ubique fumarent, nollent autem Christiani

ni Apollini sacra facere, ad carceres rapti sunt, affectique suppliciis. Coronatos eo tempore Cornelium, & paullo post Lucium Romanos Pontifices, diximus Diss. I. num. 12. & 13. Passus quoque Antiochiae Hippolytus Presbyter, qui ex Novatiano schismate redierat ad Ecclesiae unitatem; distinguendus ab Hippolyto Portuensi, ut constat ex adnotationibus Baronii ad Martyrologium Romanum III. Kal. Februarias. Dum vero Gallus Imperator Christianorum caedibus inhiaret, Aemilius Aemilianus obscurissime natus summam potestatem corruptis militibus arripuit: ad quem opprimendum cum Gallus & Volusianus profecti essent, Interamnae interfecti sunt anno 254. imperii sui anno tertio inchoato. Aemiliano etiam extincto, nondum exacto imperii mense tertio, rerum potiti sunt Valerianus & Gallienus.

XI. Itaque P. Licinius Valerianus, quem Sextus Aurelius Victor ait, cognominatum fuisse Colobium, ortum parentibus splendidissimis, ac stolidum, multumque inertem, neque ad usum aliquem publici officii, aut consilio, aut gestis accommodatum; Trebellius autem Pollio scribit ab eo Magistratus insigniter gestos, & a Senatu omnibus meliorem, modestum, gravem, amicum bonorum, vitiorum hostem, moribus singularem, & exemplum antiquitatis appellatum fuisse, adeo diversa sunt de Valeriano Historicorum iudicia: Gallo, & Volusiano interfectis, Augustus & Consul II. dictus est una cum Licinio Gallieno eius filio, anno 254. At Pater Valerianus anno 259. captus a Sapore Persarum rege ignobili servitute consenuit, ac tandem caede laniatus, cute a cervicibus ad imos pedes detracta miserrime interiit. De hac Valeriani fortuna ab Eutropio, Sex. Aurelio, Pomponio, Pollione, ceterisque descripta, Magnus Constantinus in Epistola ad Regem Persarum apud Eusebium lib. IV. Vitae eiusdem Const. cap. 11. aiebat: *Qui* (Valerianus) *quidem suo dedecore atque ignominia tropaeum illud tantopere a vobis iactatum constituit.* Interea temporis capto a Persis Valeriano, quum Gallienum non solum viri, sed feminae quoque contemptui haberent, regnarunt triginta illi tyranni, quorum res gestas praecitatus Trebellius Pollio describit. Horum unus Aureolus ad pontem Insubriae, qui ex eius nomine Aureolus appellatur, a Gallieno fusus acie, & Mediolanum detrusus est; quam urbem idem Gallienus oppugnans a suis interiit, *Paterno, & Mariniano Coss.* idest, anno 268. die 21. Martii. Gallieno successit M. Aurelius Claudius II. origine Dalmata, aut Dardanus, vir integerrimae vitae, & designatus Augustus ipsius Gallieni morientis sententia, & a quo nonnulli Constantini Magni genus arcessunt. Idem Claudius Aureolo tyranno post conflictum extincto ad pontem, de quo supra, tumulum cum hoc epigrammate erexit:

XI. *Chronologia Caesarum usque ad annum 268.*

Dona

Dona sepulcrorum victor post multa tyranni
Proelia, iam felix Claudius Aureolum
Munere prosequitur mortali, & iure superstes
Vivere quem vellet, si pateretur amor
Militis egregii, vitam qui iure negavit
Omnibus indignis, & magis Aureolo.
Ille tamen clemens, qui corporis ultima servans,
Et pontem Aureoli dedicat, & tumulum.

Pons iste Aureoli, pagum, quem *Ponticulum* dicunt, distat duobus milliariis ab Addua fluvio, Mediolanum inter, & Brixiam.

XII. *De crudelissima Valeriani persecutione.*

XII. Antequam vero prosequamur Augustorum Chronologiam, & exiguum istud historiae prospectum, agendum est de persecutione *Octava*, & iuxta Severum Sulpitium *Nona*, a Valeriano excitata anno 257. in Consulatu eius quarto. Hanc S. Dionysius Alexandrinus in Epistola ad Hermammonem revelatam ait Ioanni capite 13. Apocalypsis; unde nonnulli hanc appellarunt *persecutionem Antichristi*. Opinatur quidem Dodwellus in solos Episcopos & Clericos persecutionem Valeriani saevisse; sed aperte refellitur S. Dionysii Alexandrini, & Beati Cypriani Martyris testimonio. Quorum primus in libro adversus Germanum apud Eusebium lib. VII. cap. 11. ait in ea persecutione excitata persuadente Marriano quodam Archisynagogo Magorum Aegypti, se cum Fausto, Maximo, Marcello, & Chaeremone ab Aemibiano Praefecto relegatum fuisse Cephrum, Lybiae locum ignotum atque obscurissimum; atque in Epistola ad Domitium & Didimum, de iis, qui in eadem persecutione Martyrium consummarunt, inquit Valesio interprete: *Nostros vero superfluum est nominatim recensere, cum & plurimi sint, & vobis ignoti. Id tantum in universum scire vos convenit, viros & mulieres, iuvenes ac senes, puellas & anus, milites ac paganos* (ἰδιώτας) *ex omni denique hominum genere, atque aetate; alios flagrorum verberibus, alios ferri acie, alios ignibus in certamine superatis coronas retulisse.* Cyprianus autem in Epist. ad Confessores ad metalla damnatos, quae in edit. Pamelii est 77. in aliis 76. *Exemplum vestrum*, inquit, *sequuta multiplex plebis portio, confessa est vobiscum pariter, & pariter coronata est, connexa vobis vinculo fortissimae caritatis, & a praepositis suis nec carcere, nec metallis separati. In pueris quoque virtus maior aetate annos suos confessionis laude trascendit, ut martyrii vestri beatum gregem & sexus, & aetas omnis ornaret.* Haec Dionysius & Cyprianus primo persecutionis anno scribebant, quo martyrio coronatum Stephanum Papam diximus num. 14. Passus eodem anno Tarsicius; de quo S. Damasus.

Tar-

Tarficium Sanctum Christi sacramenta ferentem
Cum malesana manus peteret vulgare profanis,
Ipse animam potius voluit dimittere caesus,
Prodere quam canibus rabidis coelestia membra.

Vide Notas in Martyrol. Rom. XVIII. Kal. Septembris & Tomum III. Augusti Bollandiani. Magis tamen saeviit persecutio proximo anno 258. dum Valerianus Antiochiam petens Marriano rempublicam regendam concredidit. Praeter Sistum Rom. Pontificem, de quo in Diss. I. num. 16. pro Christo cum eodem Pontifice mortem oppetiere Quartus, Hippolytus, Agapitus, & Felicissimus, aliique Clerici VIII. Idus Augusti. Post triduum gloriosissimus ille Martyr, cuius merita nulla pars Romani orbis ignorat, ut aiebat Chrysologus, Laurentium dico Levitam eiusdem Sisti, cuius passionem S. Ambrosius lib. I. Offic. cap. 41. & Aurelius Prudentius lib. II. περὶ στεφ. describunt. In Africa vero ante Cyprianum de quo Diss. IV. num. 21. permulti, de quibus praelaudata Epistola ad Martyres: inter quos candidatus ille trecentorum Sanctorum Exercitus, Vticae in calcem demersus, quem Augustinus in Ps. 114. & Serm. 306. ac 311. Martyrologia IX. Kal. Septembris, & Pontius in Vita Cypriani *Massam Candidam* appellaverunt. Constat hoc nomen derivasse a fornace illa calcaria: unde Prudentius Hymno περὶ στεφ. 13. inquit:

Prosiluere alacres cursu rapido simul trecenti,
Gurgite pulvereo mersos liquor aridus voravit,
Praecipitemque globum fundo tenus implicavit imo:
Corpora candor habet, candor vehit ad superna mentes;
CANDIDA MASSA *dehinc dici meruit per omne seclum.*

Adde Iacobum & Marianum, Agapium & Secundinum, atque Tertullam & Antoniam, ceterosque plures anno 259. martyrium passos in provincia Numidiae: Theogenem laudatum ab Augustino Serm. 273. Montanum, Lucium, & sex alios item Africanos, de quibus Martyrologia VI. Kal. Martias, Theodoricus Ruinart pag. 200. & Henschenius in Februario Bollandiano: Nicephorum Antiochenum apud eumdem Henschenium in App. Tom. 2. Februarii: Priscum, Marcum, & Alexandrum damnatos ad bestias Caesareae in Palaestina, de quibus Eusebius lib. VII. Hist. Eccl. cap. 12. Eugeniam Virginem Romanam filiam Philippi praefecti Aegypti, claram Aviti Viennensis carmine ad Fuscinam sororem, apud Lippomanum & Surium VIII. Kal. Ianuarias: Fructuosum Episcopum, & Augurium & Eulogium Diaconos Tarraconenses, de quibus Martyrologia XII. Kal. Februarias, Surius item, Mombritius, & Pru-

dentius Hymno VI. qui incipit, *Felix Tarraco Fructuose vestris:* Privatum Gabalitanum Episcopum, de quo Venantius Fortunatus lib. VII. Carminum, Gregorius Turonensis de Gestis Francorum lib. I. cap. 34. & Martyrol. Rom. XII. Kal. Septembris: Florentium Viennensem in Galliis, ibidem III. Nonas Ianuarias. Praetermitti non debent viri illi piissimi, qui grassante pestilentia, de qua superiori num. 85. morbo laborantibus ministrantes mortem oppetierunt, & quos *velut martyres* veneratur religiosa fidelium pietas, ut pridie Kal. Martias testantur Sanctorum Fasti. Corroborantur hi testimonio saepe laudati Dionysii apud Eusebium lib. VII. cap. 21, scribentis: *Plurimi quidem ex fratribus nostris ob nimiam caritatem, curam omnem propriae salutis abiicientes, sibique mutuo adhaerescentes, dum aegros secure, & audacter invisunt, eisque assidue ministrant, & curationem adhibent in Christo, una cum illis mortui sunt:* & paullo infra: *Et hoc quidem pacto optimi quique ex fratribus nostris, quorum nonnulli Presbyteri erant, ac Diaconi, & ex populo laudatissimus quisque mortem oppetierunt; adeo ut genus hoc mortis ob pietatem, fideique constantiam nequaquam inferius martyrio censeatur.* Quibus verbis non recte martyrium *per pestem*, quod nonnulli propugnarunt, ostendi potest; tum quia Dionysius praedictorum Sanctorum meritum non vocat *martyrium*, sed, *non inferius martyrio*, & Romanum item Martyrologium illos non *martyres* dicit, sed, *velut martyres*: tum quia in persecutione Valeriani una cum pietate, quam exercebant proximorum aegritudini adhibentes curationem, demonstrarunt πίστιν ἰσχυρὰν, *constantem fidem*, cuius caussa pati constituit verum propriumque martyrium. Etsi vero a barbaris capto Valeriano Gallienus solus imperium tenens moderatius se gessit, & aliquantum post commotam persecutionem sedavit; non defuere tamen martyres tracti ad praefectorum tribunal, inter quos Marinus quidam militari dignitate, splendore generis, & opibus clarus: quem Caesareae in Palaestina renuentem sacrificare Achaeus Iudex ad supplicium adduxit; peremptum Asterius Romanae Urbis Senator impositum humeris suis amictus candida ac pretiosa veste portavit, ornatumque cultu magnifico decenti tradidit sepulturae. Atque haec ex Historia Eusebii lib. VII. cap. 15. & 16. exscripsimus.

XIII. *De Claudii II. imperio, & de Aureliano, eiusque persecutione.*

XIII. Illuc modo, unde discesserat, redeunte oratione, Gallieno e vivis sublato suffectus est Claudius anno 268. adeo fortis, ut illum Romani compararent Herculi, variisque praeliis Sarmatas, Gotthos, Scythas, Quados, aliosque hostes devicerit, & Daciam recuperaverit. Victoriam Gothicam, quae contigit anno 269. exhibent nummi cum inscriptionibus, IMP. C. M. AVREL. CLAVDIVS GOTHICVS. & VICTORIA GOTHICA, captivos

vos duos ad trophaeum armorum sedentes, aut Victoriam tenentem dextera fertum, sinistra hastam referentem. De illa Victoria idem Claudius apud Trebellium ad Iunium Brocchum Illyricum tuentem: *Delevimus CCCXX. Millia Gotthorum, II. Millia navium mersimus. Tecta sunt flumina scutis, spathis & lanceolis omnia littora operiuntur, &c.* Quare Senatus Divum illum appellavit, ingenti decoravit honore, statuamque auream ei posuit in Capitolio. Pestilentia, quae post bellum Gothicum increbuit, correptus intra imperii biennium interiit, anno 272. IV. Kal. Februarias. Claudio successit Aurelianus Sirmii in Pannonia obscuris parentibus ortus, sed victoriis, bellisque strenuissime peractis, triumpho de barbaris, & de Zenobia Palmirenorum Regina reportato, cincta firmioribus muris Vrbe Roma, aedificato Soli magnificentissimo Templo apud Scriptores Romanae Historiae percelebris; sed saevus etiam & sanguinarius, atque filii Sororis interfector, occisus & ipse a militaribus viris amicis suis, fraude cuiusdam servi, aut Notarii, anno 275. tertio Nonas Aprilis. Ab Aureliano intentatam quidem fuisse, sed non executioni mandatam persecutionem Ecclesiae, quam *Nonam* vocant Historici, negat Dodwellus, propterea quod Eusebius lib. VII. cap. 30. de ipso Aureliano ait: *Processu temporis aliter de nobis sentiens, quorumdam consiliis coepit impelli, ut persecutionem adversus nostros commoveret. Iamque de ea re multus ubique rumor spargebatur. Sed eum paratum iam, & compositis contra nos edictis, ut ita dixerim subscribentem, ulta est divina iustitia.* Sed Dodwellus facillime refutatur. Primum quia Eusebius nil aliud significat, nisi persecutionem Aureliani non fuisse diuturnam, *quum inter initia furoris sui extinctus sit*, ut inquit Auctor de Mortibus Persecut. cap. 6. Deinde quia Nonam hanc persecutionem Aureliani commemorant Augustinus lib. XVIII. de Civit. Dei cap. 52. & Serm. 2. de Pentecoste, iuxta eruditos viros complures, Leo Magnus. Tum quia in Actis Symphoriani Martyris apud Surium 22. Augusti & Baronium Annal. II. ad annum 273. extat Aureliani rescriptum ad Provinciarum Rectores: *Comperimus ab his, qui se nostris temporibus Christianos dicunt, legum praecepta violari. Hos ergo comprehensos, nisi diis nostris sacrificaverint, diversis poenis subdite, ut habeat & districtio prolata iustitiam, & in resecandis criminibus ultio terminata iam finem.* Id demum confirmant nomina Martyrum, quae delere non potuit oblivio. Meminimus nuper Symphoriani, qui pro Christo occubuit Augustoduni, Gregorii Turonensis, & Venantii Fortunati, necnon Martyrologiorum Bedae, Adonis, Vsuardi, Romani, aliorumque ad diem XI. Kal. Septembris testimoniis praeclari. De Felice I. Romano Pontifice diximus Diss. I. num. 18. Mamantis agrestis olim Pastoris,

 postea

postea gloriosissimi martyris Caesareensis in Cappadocia, non Martyrologia tantum Latina die 17. Augusti, & Menologia Graecorum, atque Chronicon Alexandrinum die 2. Septembris, verum etiam S. Gregorius Nazianzenus Orat. 43. & S. Basilius Hom. 26. pretiosam mortem, & gloriam miraculorum concelebrant. Permultos alios sub Aureliano Martyres, Patroclum, Claudium, Iustum, ceterosque in Galliis, Cononem, & filium eius, & Charitonem in Isauria Galatiae provincia, Athenodorum fratrem S. Gregorii Thaumaturgi in Ponto Asiae regione, Bythiniae & Paphlagoniae contermina, Philomenum Ancyrae primariae Vrbis Galatiae, Heliodorum, sociosque iubente Aerio Asiae praeside in mare demersos, & Paulum, Iulianam, & Stratonicum Ptolemaide in Palaestina martyrium perpessos laudant celebrantque Baronius ad annum 275. & S. R. Ecclesia in Fastis Sanctorum Martyrum. Circa haec tempora floruisse fertur S. Felix Nolanus, de quo Martyrologia XIX. Kal. Februarias. Quidam Martyrem cum Gregorio Turonensi Lib. *de Gloria MM.* cap. 104. quidam vero cum Augustino *de Cura gerenda pro mortuis* cap. 16. Confessorem appellant. Et Martyrem & Confessorem vocat Poemate XVI. sive Natali V. S. Paulinus Nolanus Episcopus; quoniam post tetri carceris horrorem, poenasque, mortem etiam subire paratus erat,

Ni Deus anticipans gladios, solvisset iniquis
Emissum vinclis, aliosque vocasset ad actus.

XIV. *Sequitur Chronologia Imperatorum usque ad Saeculi tertii exitum.*

XIV. Extincto Aureliano suffectus est imperator Tacitus anno 275. die 25. Septembris, post interregnum sex mensium: ac Tacito e vivis sublato apud Tarsum ducentesimo imperii die, successit frater eius Annius Florianus, qui viginti tantum diebus regnavit. Horum vitam conscripsit Flavius Vopiscus; ex quo accepimus, Tacitum vesci solitum pane sicco, lactucis, oleribus agrestibus, cibis autem aliis parcissime: legisse senem minutulas litteras ad stuporem; interemptum denique militaribus insidiis, tametsi alii decessisse febri tradiderint: Florianum non auctoritate Senatus, sed motu proprio imperium, quasi hereditarium foret, arripuisse, ac inter paucos dies occisum a militibus, qui audierant Probum, quem omnis exercitus elegerat, imperare; seu potius incisis a semetipso venis interemptum. Ita breve & obscurum fuit duorum fratrum imperium: quod anno 277. tenebat M. Aurelius Probus Sirmiensis, vir militari gloria illustris, & superiori anno adeptus ab Exercitibus Orientis Augusti nomen ac principatum. Commemoravi annum 277. quo Probus iniit primum Consulatum cum Paulino, & erupit haeresis Manichaeorum, ut memoriae occurrerent quae alibi diximus de pertur-

perturbata a Baronio Consulari Chronologia, ut duo Consulum paria expungens, & duos annos imperii Probi detruncans, Aeram Dionysianam tandem assequeretur, quo fecit anno 279. *Probo III. & Ovinio Paterno Coss.* Obiit autem Probus Sirmii in turri ferrata interfectus militari tumultu, anno 282. cum ageret imperii sui annum septimum. Postea vero praefuerunt Orbi Romano M. Aurelius Carus Narbonensis, eiusque filii Carinus & Numerianus biennio duntaxat. Carus enim gesto contra Persas bello apud Ctesiphonta interiit fulminis ictu: Carinus cum se omnibus sceleribus inquinasset, progressus cum exercitu adversus Diocletianum, quem in Bythinia milites Imperatorem salutaverant, trucidatus est eiusdem Tribuni dextera, cuius dicebatur coniugem polluisse. Numerianus ob paternam necem oculorum dolore correptus, ab Apro, cuius filiam Atriam sibi in matrimonium copulaverat, dum lectica veheretur, per insidias occisus est, prodiditque parricidium faetor cadaveris. Ita imperium indeptus est C. Valerius Diocletianus Dalmata obscurissime natus & Anulini Senatoris libertinus. Haec autem est annorum Diocletiani supputatio. Imperium auspicatus est anno 284. xv. Kal. Octobris Chalcedone, & v. Kal. Octobris Nicomediam purpuratus intravit, ut legitur in Chronico Alexandrino ad Consulatum *Carini A. II. & M. Aur. Numer. Augusti II.* Est enim Consulatus iste praedicti anni Vulg. Aerae 284. certus character. Hinc evidenter demonstratur ab eodem anno 284. die 17. Septembris subducendam esse celeberrimam Aeram Diocletianeam, sive Martyrum, ut demonstramus in Dissertationibus Chronologicis. Diocletianus anno 286. Kal. Aprilis in consortium imperii adscivit M. Aurelium, Maximianum Herculeum dictum; & anno 291. Kal. Martii Caesares creavit Constantium cognomento Chlorum, & Maximianum Armentarium, accepitque Constantius in uxorem Theodoram Maximiani Herculei privignam. Diocletianus autem & Herculeus abdicarunt sese principatu anno 304. Kalend. Aprilis, sive anno proximo 305. Kal. Maii, quo die Augusti declarati sunt Constantius, & Galerius Maximianus. De his autem, & de Persecutione decima a Diocletiano excitata ante abdicationem imperii, agendum in Historia proximi Saeculi. Anno itaque 16. imperii Diocletiani, & Maximiani Herculei 14. *Coss. iisdem Diocletiano VII. & Maximiano VI.* ad finem pervenit tertium Christiani nominis Saeculum.

XV. *Quidam sub Diocletiano, & Maximiano Martyres celebriores ante tertii Saeculi exitum coronam consecuti.*

XV. Non defuere hac postrema tertii Saeculi parte gloriosi Christi Martyres, qui proprio sanguine Catholicam religionem confirmarunt. Hos inter Acta Sincera recensent Claudium, Asterium, Neonem, Theonillam, & Domninam damnatos a Lysia praeside Lyciae in urbe Aegea x. Kal. Septembris, *Augusto & Aristobulo Coss.* idest, anno secundo Diocletiani, & Communis Aerae 285.

Se-

Sequitur Genesius appellatus in Actis apud Ruinartium *Mimithemela* a τῶ μίμω, & Θυμέλῃ, idest *Mimo*, *ac Theatro*; siquidem dum Romae spectante Diocletiano ludum Christianorum mysteriorum exerceret, extemplo divina gratia mutatus baptismum, quem irridebat, ex puro corde postulavit, atque a Plantiniano praefecto iussus est plecti capite, anno 286. VIII. Kal. Septembris. Genesii autem exemplum perperam a quibusdam heterodoxis profertur ad comprobandam baptismi mimice collati efficacitatem; quoniam non ludrica & scenica actione, sed vehementi desiderio, ac martyrio Genesius gratiam consecutus est adoptionis. Ad eumdem annum 286. refert Ruinartius passionem Martyrum Agannensium, seu Legionis Thebanae, quorum dux fuit Mauritius, a quo Agannum Galliae Narbonensis in Sabaudia, seu potius in Vallesia oppidum, ubi legio Thebaeorum militum, sex millia & sexcentos viros habens, iubente Maximiano a circumfusis agminibus interfecti pro fide Christi fuerunt, *S. Mauritii* nomen obtinuit: quo item nomine Ordo nobilissimorum Equitum insignitur. Horum Martyrum Acta conscripsit Eucherius Lugdunensis Episcopus; eosdem carmine celebravit Venantius Fortunatus: illorum miracula enarravit Gregorius Turonensis de Glor. Martyr. cap. 76. memoriam vero agunt Latinorum Martyrologia X. Kal. Octobris. Praeterea in Consulatu IV. Diocletiani, ac III. Maximiani, idest, anno 290. a Simplicio Iudice crudelissimo in Tarso Ciliciae Urbe martyrio affectus est Bonifacius, qui post turpem cum Aglae matrona Romana, & filia Acacii Proconsulis consuetudinem, paenitentiae causa ad conquirenda ac sepelienda Sanctorum Martyrum corpora se contulerat. Contigit vero Bonifacii martyrium pridie Eidus Maias; Romae autem, quo eius corpus quingentis solidis (νομισμάτοις) emptum conservi illius detulerunt, sepultus est Nonis Iunii. Hinc Adonis Martyrologium hac die, Romanum, & Usuardi die Maii decimaquarta recolunt S. Bonifacii memoriam. Denique ante exortam Diocletiani persecutionem, & iuxta Baronium anno 286. complures Romae coronati fuere martyrio, Nicostratus, Claudius, Victorinus, Symphorianus, Tiburtius, Marcus & Marcellianus, omniumque laudibus celebratissimus Sebastianus dux militum Praetorianorum sagittis in medio campo confossus, senex ut demonstrat vetus imago ad Titulum Eudoxiae, non iuvenis palo alligatus, ut delineat licentia pictorum: ac Sebastiano addenda est nobilissima Virgo Susanna, quod renuisset nuptias Galerii Maximiani, & profiteretur Christi fidem, capite truncata *Coss. ipso Galerio & Constantio Chloro*, idest anno 294. tertio Idus Augusti, in aedibus paternis, sive in Quirinali ante Forum Sallustii, ubi nunc extat eiusdem Susannae templum, sacratumque Virginum Monasterium. Eiusdem Susannae sanguinem

noctu

noctu Serena Auguſta uxor Diocletiani exterſit, quod confirmat vetuſtiſſimum Sanctorum Martyrum cultum, & ſacrarum reliquiarum venerationem; de qua & Prudentius Hymno 11. περὶ ςεφ.

Palliolis etiam bibulae ſiccantur arenae,
Ne quis in infecto pulvere ros maneat.
Si quis & in ſudibus recalenti adſpergine ſanguis
Inſidet, hunc omnem ſpongia preſſa rapit.
Nec iam denſa ſacro quidquam de corpore ſylva
Obtinet, aut plenis fraudat ab exequiis.





DISSERTATIONVM HISTORICARVM

QVAE IN HOC SECVNDO VOLVMINE CONTINENTVR

RERVMQVE NOTABILIVM

QVAE IN EISDEM DISSERTATIONIBVS PERTRACTANTVR

I N D E X.



IN HISTORIAM PRIMI SAECVLI.

DISSERTATIO II. De Conciliis Primi Christiani Saeculi. pag. 23.

DISSERTATIO III. De Primi Christiani Saeculi Haeresibus. pag. 30.

DISSERTATIO IV. De Scriptoribus Primi Saeculi. pag. 42.

XV. De

DISSERTATIO V. DE ROMANIS IMPERATORIBVS DE MARTYRIBVS ALIISQVE VIRIS ILLVSTRIORI SANCTITATE PRAEDITIS QVI PRIMO ECCLESIAE SAECVLO FLORVERVNT. pag. 59.

IN HISTORIAM SECVNDI SAECVLI.

DISSERTATIO I. DE ROMANAE VRBIS EPISCOPIS. pag. 75.

DISSERTATIO II. De Conciliis Secundo Christiano Saeculo Celebratis. pag. 93.

DISSERTATIO III. De Haeresibus Secundo Christiano Saeculo exortis. pag. 101.

DISSERTATIO IV. DE SCRIPTORIBVS QVI SECVNDO ECCLESIAE SAECVLO FLORVERVNT. pag. 123.

DISSERTATIO V. DE ROMANIS IMPERATORIBVS ET DE VIRIS QVI INTER MARTYRES SANCTOSQVE CELEBRIORES HABENTVR. pag. 137.

IN HISTORIAM TERTII SAECVLI.

DISSERTATIO I. De Romanis Episcopis qui sederunt tertio Christiani nominis Saeculo. pag. 157.

DISSERTATIO II. De Synodis Episcoporum pag. 182.

VII. Di-

DISSERTATIO III. DE HAERETICORVM COMMENTIS. pag. 193.

DISSERTATIO IV. DE SCRIPTORIBVS QVI PRAE CETERIS SAECVLO TERTIO FLORVERVNT. pag. 216.

DISSERTATIO V. DE ROMANIS IMPERATORIBVS TRVCIDATISQVE MARTYRIBVS.





